ANNALIVM BOICORVM

PARS PRIMA.

COMPLECTITVR PRIMA PARS

ANNALIVM

FRAGMENTA HISTORIÆ VETE-

RIS VNDECIM SECVLORVM

ET AMPLIVS.

AB VLTIMA GENTIS

BOICÆ LITERARVMQVE

MEMORIA.

ANNOS ANTE CHRISTVM NATVM

D C.

POST EIVSDEM NATALEM

DCCLXXXVIII.

EX FIDISSIMIS MONIMENTIS

GRÆCIS ROMANISQVE.


ANNALIVM
VIRTVTIS ET FOR-
TVNÆ BOIORVM
PARS I.
AVCTORE
ANDREA BRVNNER
E SOC. IESV.
POSTERORVM EXEMPLA
MAIORVM GLORIA
APVD HERTSROYANOS
HAEREDES ET
CORNELIVM LEYSSERIVM
ELECTORALEM TYPO-
GRAPHVM.
ANNO M. DC.XXVI.



6.

SERENISSIMO
PRINCIPI
ET
BOIORVM DVCI
POTENTISSIMO
MAXIMILIANO
COM. PALATINO RHENI
S. R. IMPERII SEPTEMVIRO
ET
ARCHIDAPIFERO:
PATRIAE PATRI.

POst impletum Tui Nominis Famâ orbem terrarum, MAXIMILIANE PRINCEPS, provocatámque, ad verissimas Laudes Tuas, felicium Ingeniorum

Eloquentiam; satiaveras Tu quidem vota Patriæ, fecerásque, vt nemo Civium Tuorum spei suæ irasceretur, quæ non ausa est cuiquam tantum promittere, quantum ingentibus factis repræsentasti; & BOIARIA Tua, quæ nullo se Principe meminerat feliciorem, vltra sortem suam, SERENITATIS Tuę manu perducta, exhaustis penè ipsis etiam desiderijs, in quibus sibi animus semper prolixè indulget, vix habuit, quod precaretur, nisi, vt quo SERENITAS Tua optimi status auctor Remp. loco constituisset, eo staret inconcussa, & ad præsentem felicitatem Æternitas admigraret. Tuæ verò SERENITATI relictum jam nihil credebatur, præter modestissimũ suspirium, quod etiam Alexandro suo Fortuna concessit, quo scilicet Homerus revocaretur, inventurus alterum Achillem, qui majus divino carmini argumentum dare

dare, & fatigare etiam illud ingenium poſſet. At enim non ſteterunt intra orbem noſtrum curæ Tuæ; egreſſus es etiam hoc theatrum impar magnitudini animi Tui, & extra hunc circum, reperiſti locum adhuc capacem Tuæ Pietatis. Pios nimirum Tuorum Majorum Manes, & nobiliſſimos Heröes, quibus ſua jam pridem Vita, & Fortuna peracta eſt, è Beatis ſedibus, & veluti Elyſio nemore excitos oſtendere Orbi geſtiebas, reducturus cum ijs, ſi poſſes, totum Seculum Aureum, cujus nobis jam aliquē guſtum propinaſſes. Agitaverat idem olim animo Auguſtus, qui, cùm proximo, poſt Deos, honore, eorum memoriam coleret, qui Imperium populi Romani ex minimo maximum feciſſent; illorum omnium ſtatuas, triumphali imagine, in vtraque ſui fori porticu dedicavit, rationémque conſilij ſui eam edixit, vt illorum

velut ad exemplar, & ipse, dum viveret, & insequentis ætatis Principes, à Civibus exigerentur. Verùm ille satis habuit, suos Romæ Duces marmoreos ostendere; aut spirantes in ære; quæ quidem misera vita est; Tu optabas Tuis animam dare, quam olim Patriæ impenderant; eosdémq; loquentes, & cum reliquis pristini moris notis producere, vt non tantùm oculis, sed animis suorum Civium admoverentur; dúmque ipsimet magni Heroës totam Virtutum suarum scenam explicant, admissa ad spectaculum Posteritas coràm agnosceret, & adoraret Principes suos, non illud tantùm factura operæ precium, vt dicere possit de singulis,

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat; sed ad virtutem magnis rapienda exemplis; dum vtique verecundia est, plebejo pede nolle præeuntes Reges sequi. Sed cùm hoc neque Apelles pin-

pingendo, neque Lysippus fingendo consequi posset, itum est ad Bonas Literas, quibus vnis, ex omnibus humani ingenij artibus, quadam quasi Divinitatis æmulatione, concessum est, etiam mortuis Vitam reddere, & Immortalitatem: Ab his animati, & redivivi prodeurit in Lucem, SERENITATIS Tuæ inclyti Majores, BOIARIÆ Principes, Palatino totius Gentis suæ comitatu stipati; & quia liberi ab invidia immortales animi sunt, cujus etiam causas procul habent, ad primum veteris Patriæ aspectum, negant se illam vnquã vidisse pulchriorem: quámque nos in illis veneramur ætatem & caniciem, sola ante nos secula mensi, ij modestiùs Infantiam, & cunabula appellant BOIARIÆ, ad hoc ævi, floris, vigorísque eductæ, eo succo & sanguine, quo ipsa nutritur, & viriliter formosa est Virtus: neque putant Posteritati suæ

)?(5 fas

fas esse, his quidquam temporibus obijcere, & prisca secula repetere, cùm ætas, quæ sub optimo Principe agitur, non possit non Aurea vocari: Nam ipsi quidem non patiuntur SERENITATEM Tuam, MAXIMILIANE PRINCEPS, exigi ad annos suos; nolunt aliquod Tui exemplar extra Te quæri; cùm & Tua incrementa Tibi debeas, eodem jure, quo Patria Tibi ornamenta sua assignat, quam Tu multò veriùs, quàm Augustus, gloriari possis, marmoream Te reddidisse, cùm lateritiam acceperis. Vides ergo, quid assecutus sis, dum Majorum gloriæ studes, Tuæ penè oblitus, quam meruisse contentus, captare humilis animi putas; primùm enim amplissima Virtutis supellex, cujus privilegio Majores Tui æternitatem nominis sunt indepti, quantacunque ea à nobis intelligi, & laudari potest, tota Tua est, familiari & opti-

optimo jure, & ad Te cum ipso sanguine migravit: deinde quia Tu *Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,* Vix Tua putasti, & erubuisti alienæ famæ incumbere, cùm Tua Te Virtute posses involvere, illud nihilominus, ex illorum præsentia, ad Tuam gloriam accessit, quòd nunc demum theatrum nactus dignum animo Tuo, plausum ab augustissimo tot Regum Principúmq; recipis cōsessu; quorum nemo est, qui non optet, novo more, Tuarum Virtutum hæres esse; quo tanto judicio non potest major, aut certè jucundior merces Benefactis dari: nam si viles, & modicos animos quocunque digito monstrari delectat, & duo minutula verba, HIC EST, Demosthenis pectus tam grato palpo destrinxerunt, credam certè & Heroum filios illo acroamate capi, cùm ijs Reges ad laudem linguas commodant, qui non nisi

nisi maxima, id est, sibi æqualia mirantur. Vnicum Priami Patris encomium, infelicissimi Regis, Hectori pro triumpho fuit, & masculo pectori decantatum illum apud Nævium versiculum expressit, Lętus sum me laudari abs te pater LAVDATO VIRO; sed hìc totâ Majorum Tuorum conspirante serie, & quodam quasi Semideûm choro in Tuas effuso laudes, suas in Te spargente Laureas, gloriosos jactante Titulos, quos cùm illi singulos meruerint, deberi Tibi fatentur vniversos, adornatus Tibi certè triumphus est, quo illustriorem Virtus nunquam habuit. Quem quidem explicare his libris aggredior, totam à primordio Gentem BOICAM evocaturus, trahentem secum tot trophæa, tot victarum Gentium titulos, domitarum Vrbium imagines, ipsámq; adeò veterem Romam propè in angustijs Capitolij exspirantē,

&

& reliquias animæ ad libellam auro-
redimentem; tum deinde omnem tot
ſeculorum fortunam, & magnos in
vtraque animos, candidiſſima, & mi-
nimè fucatâ pompâ producturus,
ſemper aurigante Veritate; cujus mi-
hi prior vbique cura, quàm Eloquen-
tiæ, quæ ijs in ſupplementum vocan-
da eſt, qui cum rerum tenebris & ina-
nitate luctantur; nam alioqui ipſa ſe
Virtus ſatis oſtendit, ſuo colore, &
pro ſe loquitur: Etſi ne id quidem pu-
dori mihi futurũ eſt, ſi oppreſſam in-
gentium mole rerum Orationem,
velut ſub magni Æneæ dextrâ, fatear
ſuccubuiſſe; mediocris virtus fuit,
cujus faſtigium dicendo potuit exæ-
quari. Quam ego habuiſſe cauſam
Vetéres exiſtimo, cur ſola Heroum
Templa taciti præterirent, ipſa reli-
gione ſilentij profeſſi, Semideorum
facta non modò ſupra exemplum,
ſed etiam eloquentiam eſſe; quò ad-

mi-

mirabilior est Humanitas Tua SERENISSIME PRINCEPS, Tuam, Majorúmque gloriam, résque adeò omnes, domi forísq; in Toga & Sago, applaudente orbe terrarum, gestas rudi calamo subijcientis, velut incuriâ Famæ, cui animam, linguámque dare nisi bonus Scriptor non potest. Quanquam ea confidentia veriùs est, sinceráque Heroicorum facinorum æstimatio, ad quorum magnitudinem, quantumvis culpâ imparis ingenij detritam, nunquam humiles animæ se tentabunt expendere; tametsi id maximum SERENITATIS Tuæ studium est, ea, in Virtutis stadio, támque luculenta vestigia relinquere, quæ Posteritas non adoret tantùm, sed premat etiam, eadem cum SERENITATE Tua operæ pretia meritura, & pares Coronas, quas nunc quidem SERENITATIS Tuæ

Tuæ Capiti, cãdidiſſimis votis, componimus, ſed Dei olim manus imponet PIO, FELICI, VICTORI, & verè PATRIÆ PATRI. Monachij, Bojorum Metropoli. Kal. Sept. Anno Chriſtiano M.IↃC XXVI.

SERENISSIMO NOMINI

TVO

Devotiſſimus

Andreas Brunner Societatis IESV Sacerdos.

AVCTORITAS R.di P. PROVINCIALIS.

CVM Sacra Cæſarea Majeſtas, Lege latâ, Mulctam dixerit omnibus Typographis, & Bibliopolis, qui Libros à Societatis IESV Patribus vulgatos vulgandóſque, citra Auctorum voluntatem, Superiorúmque publicam approbationem, vel ipſi recuderint, vel alibi recuſos, intra S. Rom. Imperij, aut Provinciarum Regnorúmque S. Cæs. Majeſtati, Hæreditario jure, ſubjectorum, fines importaverint, venúmque dederint: Ego Gvalterus Mundbrot Societatis IESV, per Superiorem Germaniam, Præpoſitus Provincialis, pro poteſtate, ab admodum Reverendo P. N. Mutio Vitelleſco vniverſæ Societatis IESV Præpoſito Generali, acceptâ, Cornelio Leyſſerio Civi & Bibliopolæ Monacenſi, & Typographo Electorali, edendæ Primæ ANNALIVM BOICORVM Partis, quam P. Andreas Brunner Societatis noſtræ Sacerdos ſcripſit, & quatuor ex eadem Societate noſtra Arbitri recenſuerunt probarúntque, facultatem impertio, eámque Chirographo meo & officij Sigillo obſigno. Monachij VIII. Kal. Quintil. D. Ioannis Baptiſtæ Natali. Anno Christiano M. D C. XXVI.

Gualterus Mundbrot.

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER PRIMVS.

Breuiarium.

ORigo BOIORVM *incomperta, ob litterarum silentium. In Gallia tamen Celtica, eorum Nomen, Sexcentis, ante Christum Natum, annis, inclaruit. quo tempore eorum pars in Herciniam sylvam, Sigoveso Duce; pars in Italiam, privatis auspicijs, commigravit.* I.

In Italia sedes sibi, vltra Padum, Bello, & Victorijs parant, veteribus colonis expulsis: & laudatissimis moribus ingens nomen adipiscuntur. II.

Boiohæmum, quod hodie Bohemia est, à BOIIS *eò transgressis, nomen acci-* III.

pit: BOII *indè profecti* TOLISTO-BOII, *aucto nomine dicti sunt.*

IV. BOII *Italici secundis rebus florent. Melpum expugnant, eodem die, quo Camillus Veios cepit. Vicum nobilem, qui Laus Pompeia postea dictus est, condunt.*

V. *Expeditionem Romanam, Brenno Duce, suscipiunt; Romanos ad Alliam fundunt. Vrbe potiuntur, eáq incendijs deformatâ, Capitolium obsident. Romæ Captivæ pretium ad Libram exigunt, & salvi in patriam deportant.*

VI. *Dionysio Syracusano fœdere junguntur. cũ Romanis bella, vario eventu, pace subinde interpolata, gerunt. à C. Sulpitio Petico magna clade afficiuntur.*

VII. *Cum Alexandro M. Macedonum Rege amicitiam contrahunt, Heroicâ potißimùm voce illi conciliati, cùm præter Cœli Ruinam, negarent quidquam se metuere.*

Aliquot

Aliquot eorum cum Romanis bella à Livio, & Polybio variè narrata: eius discordiæ causæ indagantur. VIII.

Senones BOIORVM *vicini à Romanis Italiâ eiecti;* BOII, *duplici prælio, ab iisdem victi, quadraginta, & amplius annos quiescunt.* IX.

TOLISTOBOII *interim in Pannoniã, Illyricũ, Thraciã, Græciámq; aliquot expeditiones suscipiunt. Res memorabiles gerunt, quas Brenni Avaritia, & Impietas corrupit; qui templum Delphicum spoliare aggressus, digno sceleribus suis exitu, extinguitur.* X.

TOLISTOBOII *à clade, & scelere Brenni immunes in Asiam migrãt, eámq; sibi vectigalem faciunt; & Bithyniæ partem, Originis Gallicæ memores, Galatiam appellant, in eâq; novam Reip. formam constituunt.* XI.

Iidem Pyrrho, & Antigono auxiliantur. Lacedæmonem, & Argos op- XII.

A a pugnant.

pugnant. Seleucum iuvant, iterúmq; deſerunt. Aſiam vexant. tandem ab Attalo, qui primus Regum illis vectigal negare auſus eſt, miro ſtrategemate vincuntur. Nihilominus Camma Regij animi, ſanguiniſq; fæmina, Pudicitiæ Coniugalis inſignem Triumphum agit.

GESTA SVNT HÆC ab Anno ante CHRISTVM NATVM Sexcenteſimo, vsq; ad duceнteſimum trigeſimum ſextum.

Qui

QVi fiduciâ Jngenij animũ ad ſcribendum appulerunt, vel ſuo ſæculo prodeſſe meditati ſunt, vel alio victuris; eóq; diligentiæ ſuæ hæredem totum orbem fecerunt, magni ſine dubio viri, & publico bono, etiam ex tumulo, conſulturi. Inter quos Nomen meum non profiteor, familiaris inopiæ conſcientiâ à ſpe tã ambitioſa depulſus. De mortuis bene mereri, facilius duxi, qui faſtum, & faſtidia (ſi tamen aliquando noſtræ ætatis vitijs aſperſi ſunt) pridem in cinere ſuo ſepelierunt: horum juſtis deſiderijs, parabili ſumptu, ſperabam me parentaturum: Ego enim ita cenſeo, amorem extendendi nominis, nõ heri demum, humanos animos invaſiſſe; imò priſcos mortales, cum ſuo orbe propè recentes, calidiùs luctatos eſſe ad Æternitatem; neq; facilè vllum tam arctis terminis circumſcripſiſſe ævum ſuum, vt non diuturniorem famam, quàm vitam ſibi exoptaret; adeò mihi perſuaſum eſt, neminẽ totum voluiſſe mori: At enim pleróſq;, quantumvis indignantes, & obnixos, profunda al-

titudo temporis obruit, & ineluctabilis oblivio oppressit. quæ iniuria non in singulos tantùm homines bacchata est, sed totas Gentes involvit, cum suo etiam nomine mortuas. Vnicum adversus communia fata præsidium Literarũ fuit; quarum animâ quisquis non vivit, is verò jure dici potest occisissimus. Certè tanta hodie populorum omnium fama est, quantam ij esse voluerunt, quibus res eorum gestas literis consignare in mentem venit. Ita alijs horum indulgentiâ parta gloria est, plures silentio plectuntur; cui calamitati irasci qui velit, operã perdat; ignoscere multò æquius puto, & id deputare in lucro, quod communi Gentium ruinâ non est obtritum; ex qua si vel vna fortis viri promineat manus, legenda est, & mactãda honoribus, quos agnitus vel ex vngue Heros merebatur. Et sanè hunc piæ Humanitatis affectum deprehendebam in maximis Viris, qui sibi gloriæ ducerent, inter Antiquitatis rudera consenescere; qui cùm seipsos velut in latomias damnassent, omnem lapidẽ movebant, & evolvebant, & verò gestiebant gaudijs, sicubi excesum aliquod in literato

terato marmore nomen reperere, fortasse hominis trium literarum; rati veteris ævi gloriam, etiam in rubigine, & vltimâ lineâ, adorandam. Quo mihi honestior labor visus est, quem toti BOICÆ Genti impenderem, quam ego nôssem, ingenti animi impetu, ad Immortalitatem nominis grassantẽ, vsq; in contemptum ferri, & ignium exarsisse. Sed negotiosi homines, & fortiter facere, quàm bene dicere, peritiores, cùm manum cæsim, & punctim ferire doctam, disertâ linguâ potiorẽ ducerent, reliquis hostibus formidandi, Tempóris iniurias minùs feliciter propulsabant, quibus, communi plurium populorum fato, succubuissent, nisi Barbaras pertæsi victorias, vocatâ in certamen gloriæ Italiâ, & Græciâ, de fortissimis juxtà, ac eloquentissimis populis triumphassent; meruisséntq;, vt sua ipsi fata narraturi, BOICÆ Virtutis non possent non meminisse; cùm eorum silentium capta, & ardens Roma tam luculentè posset revincere; quod ferè primum de hac Gente in literas missum est, compensátq; suâ magnitudine jacturam omissorum; sed idipsum parcius fortasse

æquo, quia ab inimico calamo eſt, qui nunquā infacundior eſt, quàm cùm laudat hoſtem; rigidè tamen ſincerum, vt in quo nihil minùs timeas, quàm adulationem: ſed qualecunq; eſt, meruit, vt Capitolio parceretur; nam alioqui mille auri pondo, redemptæ libertatis Romanæ precium, tanti non erant, vt BOII victores ab Vrbe iam ſuâ recederent, niſi hoc auctarium ab Eloquentia petitum Roma adiecisset, quâ BOIORVM nomen æternitati conſecravit; ad quam cùm ſibi primam hanc viam gladio ſtraviſſent, nulla deinceps temporum iniquitate, de partæ poſſeſſione gloriæ ampliùs deijci potuere; ſed ipſis etiam nobilitati cladibus, illuſtribus acceſſere exemplis, quæ inter alternantes vtriúsq; Fortunæ triumphos recenſentur; atq; proinde ea in luce poni, & poſteritati innoteſcere, Reipublicæ intereſt, nobis quoq; pulchrum erit, à quibus vitam acceperimus, eam illis ipſis, fortaſſe cum fœnore, reddidiſſe.

I. BOIORVM ORIGO INCOMPERTA.

PRIMA BOICÆ Gentis Origo irreperta adhuc, & vltra hominum, literarúmq; memoriam ſita, quia olim indicem, præconémq; non reperit, neq; hodie oſtendi

di poteſt; niſi auſpicari à Fabulis libet, quarum neq; noſtros Scriptores puduit, communi ſuperioris ævi corruptelâ, & lue, quæ penè omnium Gentium hiſtorias inquinavit, cùm nulla ſe ſatis laudatam crederet, niſi origines ſuas Cœlo inſertas, & inter Maiores ſuos, aliquot Semideos videret; hinc etiam noſtri, vt plauſum ferrent, maluerunt ſubinde poëticè, quàm humanè loqui: Et alij quidem ex fœcundis Herculis nuptijs perſonatum ſibi BOIVM rapuere, quem tamẽ nec pater, nec vlla Danaidum, pro ſuo agnoſceret; alij ex Equo Troiano BOIORVM Parentem extraxerunt; quaſi quidquid vſquam Heroum fuit, ligneo illo ventre genitum eſſet. In ipſa adeò Armenia, prima Gentis cunabula nonnemo, immani confidẽtiâ, monſtrat; quia, credo, editiſſimis illius Regionis montibus olim reliquiæ generis humani adhæſere, cùm vindex DEVS orbis ſcelera elemento aquæ ſepeliſſet. At enim patiamur hos in ſuo foro inter lanificas regnare, Veritatis modeſtiâ contenti, quæ ſine verecundia quædā ignorat, quódq; ipſa neſcit, bonâ fide, tradit alijs neſciū;

PRIMÆ BOIORVM IN GALLIA CELTICA SEDES.

Quâ nos duce, primas, de quibus constet, Boicæ Gentis certas sedes in Celtis collocamus. Eo nomine multò maxima Europæ pars olim censa est; sed cùm privatæ deinde appellationes, arbitrio Gentiũ inventæ, vulgò evaluissent, Germanis & Gallis, qui illud pertinaciùs tuiti sunt, eius possessio libera transcripta est. Postremò & Germanis fastiditum, & à Gallia pleráq; proiectum, ægrè in illius parte tertiâ hæsit, quæ postea Lugdunensis dicta est; in cuius complexu etiam Boii consedere: quos tamen certis circumscribere finibus non ausim, quorum mascula illa, & inquies Virtus impatiens fuit; pars Libertatis credebatur, eáq; optima, nullo loco claudi. Hinc tam promptè sedes fortunarum suarum, quàm castra transferebant, patriam ibi esse rati, vbicunque bene esset: quò vel amœnior cespes, vel fertilior seges invitabat, vel deniq; animi impetus facilè obsequentes rapiebat, in modica spe causas inveniebant migrandi. Et videbatur saltem Natura limitem opposuisse audaciæ, Rhenum, qui Gallos, Germanósq; medius interfluebat, vt ingentis alvei, & aquarum divor-

tio

tio coërciti, & divisi vtrinq; populi suas sibi res haberent. Sed néque hoc impetratum est; quæsita per flumen via, & inventa, & in Germanorum agros, pro libidine, excursum; inter quas veluti prolusiones audacia crevit, felicitate adiuta; animos ex successu capiebant, quibus iam præsentia paria non erant, velut inter angustias deprehensis, ex quibus probrum esset non eluctari; vt proinde illis ad maxima quæque properantibus, nihil, præter idoneum ducem deesset, quem ipsum Fortuna fatigata votis, ijs ex hac occasione obtulit.

Tacit. de mor. Germ. Iul. Cas. lib. 6.

TARQVINII PRISCI ævo, anno ab Vrbe cōditâ ferè cētesimo quinquagesimo, ante Deum in terris visum Sexcētesimo, Galliæ Celticæ, cuius partem Boios diximus, Ambigatus cum summo Imperio, Regio nomine, præerat, vir incertū prudentior, an felicior: adeò sub illo res Galliæ effloruerant, opibus, viris, & viribus auctæ, vt ea iam nulli vicino populo posset invidere: ita enim fertur, terram ipsam solito indulgentiorem, communem fertilitatis suæ modum egressam, plus frugum dedisse, quàm imperabatur: sed

Liu. l. 5.

PRIMAE MIGRATIONIS OCCASIO SEX ANTE C.N. SAECVLIS.

ſed hæc ſuſpicienda alijs dona, ſoli Regi erant ſuſpecta. Animadvertebat, ſubiectis ſibi populis cum paupertate, quàm opibus rectiùs convenire; duris innutritos animos mollē Fortunam ægrè ferre; illam fertilis terræ luxuriam, ab agro in mores immigrare; aſſueſcere interim indiligentiæ, & ab ignavia minùs abhorrere; cùm dormientibus propè omnia conficerent Dij; vnde etiam ſibi imperium in illos reddi ſentiebat difficilius; cùm & inimiciſſima res diſciplinæ ſit Otium; & moleſtè mandata accipiat, qui obedire cœpit Voluptati. Nondum tamen erat inſanabile malum, ſi remedium properaretur; quod quidem Ambigatus, ſolerti conſilio, tale reperit. Otij vitia aggreſſus eſt negotio diſpungere, ſed quàm honeſtiſſimo, & quod etiam ſublanguidis allubeſceret. Expeditionem edicit ad novas terras, ſedéſq; quærendas, quas Dij daturi eſſent, Celticâ etiam beatiores, quam non tam ſuo merito, quàm melioris ſoli ignoratione amarent; & ob titulum patriæ, qui fortes viros nunquã magnopere moverit; humilis eſſe ſenſus, qui ſe ignobilis vici, quàm mundi civem malit

malit dici; humanum animum Cælo cognatum, more siderum, quietem odisse, gaudere raptatione, & velle in spectaculum emitti; torporem videri non tam virium, quàm virtutum, nolle currere ad gloriam. Adijciebat insuper, esse etiam invitis impositam necessitatem migrandi; angustam esse patriã incolarum multitudini, in immensum efflorescẽti; turpe esse viris, iam neque corporibus parem locum possidere; cùm interim in manu ferrum sit, quo illæ angustiæ tam facilè possint rescindi; irent proinde, & patriam, famámque, vtrámque in arcto sitam fortibus factis extenderent. Addidit orationi Regis ingens pondus res exigua cæteroqui, per idem tempus famâ hominum celebrata, sed vt solent nova, & mustea, iactata cum plausu. Helico quidam ex Helvetijs, quæ & ipsa Gallica Gens est, arte fabrili clarus, in Italiam transgressus operam suam aliquamdiu Romæ locaverat. Is ex intervallo patriam revisens, civibus suis adhuc rudibus deliciarum, perpetuum Italiæ ver, & Hortorum opes facundè narrabat; ructabat vina, quæ bibisset, & fastidita olim poma

Iustin. l. 24.

Plin. Hist. nat. l. 12. c. 1.

poma

poma suspirio repetebat; ficum, oleam, & cætera gulæ irritamenta, néque de nomine suis nota, per Italiam asse venalia attonitis depingebat; & ne hæc videretur mendacio condire, & efferre in maius, ficum siccam, & Vvam depromit, & quæ præterea in amœnitatis Romanæ exemplum condiderat; propinat etiam vinum; sed quo sitim accenderet, non extingueret: & hac solâ, eáque parcissima libatione adeò Gentis suæ animos proritavit, vt nemo dubitaret hæc tanta bona, velut humanis maiora, etiam bello quærenda. Sunt, qui ab Arunte Clusino vini illicio invitatos in Italiam Gallos dicant, pudendo errore, cùm ducentis, non minus, ante Arũtem hunc, annis, Galli inter Italiæ vineta consederint. Hæc igitur cùm lætis vbíque auribus cantarentur, multò promptiùs in Regis sententiam itum est; ferocissimus quísque Juvenum voluntarius adfuit, eius expeditionis socius futurus, quâ ad Fortunatas sibi videretur Insulas migraturus; tantúmque hominum confluxit (Justinus trecenta millia fuisse autor est) vt Ambigato plures Provinciæ viderentur in sortem conijciendæ

Plut. in Camillo.

Iust. l. 24.

ijciendæ; Duces etiam, qui sortirentur, dedit, Bellovesum, & Sigovesum sororis suæ filios, magna indole Juvenes, & illustrius aliquid præsente Fortuna, animo complexos. Belloveso illa ipsa tot deliciarum parens Italia obtigit, quem magno numero Bituriges, Arverni, Senones, Hedvi, Ambarri, Carnutes, Aulerci secuti sunt, qui omnium mortalium primi, aut certè (vt aliquid Græcis demus, quibus etiam in hac re opus fuit ad Deos currere) proximi post Herculem, porrectas ad cælum Alpes, eóque inexuperabiles creditas transgressi, nullam virtuti viam esse inviam probarunt. In agro Insubrum deinde consederunt; postquā illum armorum jure, quod illis longè æquissimum visum, Thuscis ademptum sibi vindicarunt. Mediolanum in eo condidere, æternam Vrbem, & à tot deinceps funeribus suis redivivam, atqúe adeò ab aratro, quod illi, hostili odio, impressum est, renatam. Felicitas boni eventus & æmulatio gloriæ, etiam Elitovium in pares Belloveso ausus accendit, vt & ipse, Cenomannos secum trahens, Alpes ijsdē vestigijs transcenderet, eóque

Liu. l. 5.

loco,

loco, vbi Verona,& Brixia pòst conditæ sunt, sedem figeret. Hos insecuti Salluvij, inter Ligures, qui citra Ticinum amnem incolebant, consedere.

II. BOIORVM EX GALLIA IN ITALIAM DEDVCTA COLONIA.

Boii demum, Lingonésque dedignati jam tritum tot populis iter, jugo ipsi Pennino superato, cùm infessam, ad Padum vsque, frequenti cultore, eóque cognato, Italiam reperissent, ne in angustias, quas domi oderant, foris compingerentur, aut à popularibus suis, in descriptum, & velut Agraria lege divisum fundum precariò immitterentur, cùm reputarẽt quémq; fortunæ suæ optimum esse fabrum, ne quidquam alienæ benevolentiæ potiùs, quàm suæ virtuti deberent, traiecto ratibus Pado, Hetruscos,

PRIMA BELLA ET VICTORIÆ.

Vmbrósque agro pepulere. Erant Vmbri auguriorum observantiâ, peritiâque per Italiam nominatissimi; Hetruscorũ verò nomen, & æstimatio non ex opibus tantùm inclaruerat, quæ iam ante Romã natam validæ; sed studio maximè religionis, & quodam velut cum Dijs commercio. Portentorum illic exercitatissimi interpretes, eáque non nisi ex illorum disciplina explanari, procurarique posse vulgò

vulgò persuasum fuit: quin Sacrorum ritus, vti & Imperij maiestatísque insignia ab Hetruria jam olim Roma petierat, neque turpe putauit Juventutis suæ principes sex, decémve, singulis Hetruriæ ciuitatibus dare in disciplinam. Constat insuper Hetruscorum duodecim populos numeratos fuisse, vt facilis æstimatio sit, nihil illis minùs, quàm militum multitudinem defuisse, quibus BOII vel pares copias, vel majores certè animos opposuerunt; centum quidem & duodecim BOIORVM tribus fuisse, Cato autor est; sed quo quæque capitum numero censeretur, indictum reliquit; neque nos anxiè inquirimus, quando de victoria constat, in qua neque victor, neq; victus copias numerat. Amplum deinde in ijs oris BOIORVM imperium fuit, cùm quidquid inter Padum, Apenninum, & Ariminum interjacet, in potestatem redegissent; reliqua tractus illius Ananibus, Ænonibus, Senonibúsque cessêre. Atque in hunc modum Italiâ ad Apenninum vsque Gallici juris factâ, licuit nouis incolis à belli artibus ad pacis studia converti: hostem enim tum neque pro-

Plin. hist. natur. lib. 3.

Liu. d. 1. l. 5.

vocabant, ſed neq; timebant;hoc ipſum primo æſtu, & torrente victoriæ conſecuti, vt vicini populi omnia mallent, quàm Gallica arma experiri, ipsâ jam nominis claritate domiti, & ad parendum inclinati: timebantur ergo, etiam ubi gladium numquam ſtrinxerant, & ſua pro illis fama pugnabat. Id illis publicè glorioſum fuit; inter domeſtica verò decora hoc palmarium, fortes illos viros, bello indomitos, & ijs, quas Italia propinabat, delicijs inexpertos, & inſuetos, cùm in voluptarium illud Italiæ ſolum immigraſſent, illecebris, in quas ex inſolentiâ avidiùs ſe videbantur immerſuri, captos non fuiſſe; ſed blandum hunc hoſtem eodem animo tuliſſe, quo armatum exceperant, vtrinque victores: ſive ab Hetruſcis vltra Apenninum ſubmotis hic ſaltem adhuc metus erat, vt ne illos ignaviâ ſuâ fortiores, aut audaciores facerent; ſive illis recentis gloriæ guſtus animos, palatúmq; immutaverat, vt epulis, cupediíſq; jucundiores crederent victorias, quas quia ab hoſte profligato referre non licuit, domi inter debellatas voluptates quæſivere, de quibus incruëtus

Polyb. l. 2.

BOIORVM FRVGALITAS ET LAVDATI MORES.

tus quidem, ſed ſpecioſiſſimus agitur triumphus, Dei, hominúmque invidiæ ſecurus: Quem quidem illis optimæ fidei auctor Polybius decreviſſe videtur, dum antiquos Gallorum in Italia mores, & rigidam frugalitatem luculento teſtimonio proſequitur, quod poſteritas admiretur, ſi æmulari pigeat. Pagis vicíſque diſtincti habitabant; pericula fortitudine, non mœnibus depulſuri; cùm nollent quidquam præter ſe, & ſua arma timeri. Tecta ipſa, & domus, quæ nunc ingens negotium facta ſunt, ſine arte, & cura, ſatis ampla, ſi pecus, & dominum communi umbrâ clauderent; ubi ſuffugium hyemi eſſet, ubi pluvias ſicci riderent. Somnus in viridi porrectos ceſpite, aut graminco ſuffultos thoro, facilis, & invocatus occupabat, nihil ſolicitos de plumâ, ſine quâ tamen placidas, ſine ſuſpirio, noctes tranſigebant. In ſobriam menſam dapes inemptæ, ſpolia ſilvarum, laſſitudine condita veniebant. Amabant enim venationem, vt quæ illis in pace belli eſſet meditatio. Nondum credebatur ruſticitas, prandium cum fame finire; parvo bene vivebatur. Naturam ſe- Polyb. l. 2.

quebantur incorrupti; delicata artificia, quæ hodie munditiæ appellantur, eo generosiùs contemnebant, quòd ea ad virtutem nihil prodesse verè credebant. Duabus dũtaxat artibus, audaciâ in bello; vbi pax evenerat, agri colendi scientiâ, rem privatam, & publicam curabant; reliquas supervacuas, aut certè indecoras viris ducebant. Marmoris cælati, & & rudis eadem æstimatio; tabularum, signorúmque nullus intellectus; divitiæ in auro, & pecore, ad necessitatem scilicet naturæ quæsitæ, & quæ peregrinantem dominum non ægrè sequerentur; maximum autem, & certissimum ex parsimonia vectigal. Sed qui opes honestas, iidem gloriam ingentem volebant, honestissimè tamen partam; amari volebant à plurimis; numero clientum frequentari, primum illis votum; nulla fœdior visa, quàm amicorum, inopia. Durant adhuc nomina, quædam etiam veterem linguam prodentia, imposita his clientibus; Devoti, Comites, Soldurij & Ambacti vocabantur. Æterna his in dominos fides; dominis mutuum facientibus, quibus Clientum greges diutius utique cordi,

Cæs. de Bell. Gall. l. 3. & 6. Tacit. de mor. Germ.

cordi, quàm vsui. Amicitiam illam negabant fuisse, quæ aliquando desineret: hinc fidei apud illos illustriora exempla, & plura, quàm apud ceteras Gentes. Duo aut tria paria Græci fastidiosè numerant, eáque vix à fabulis liberant, ex ijs tamen sæculorum suorum felicitatem jactant; hîc quotidianum fuit spectaculum, & ipso vsu extra admirationem positum, sese pro charo capite mucronibus objicere; alienam animam suæ impendio emere; se suáque jactare, quocunque domini salus desiderasset; cum amico sanguine confundere suum; vulnera vulneribus innectere, inhærere morienti, & mortuum sequi. hoc enim illi amorem interpretabantur, maximum sine dubio humani pectoris bonum, neque immeritò ab illis tam ambitiosè conciliatum.

III. VERVM de Bellovesо populísque eius auspicia in Italiam secutis, aut factum ex intervallo æmulantibus, quorum pars magna, vt vidimus, BOII fuere, ad necessitudinem rei satis dictum. Bellovesi fratri Sigoveso, in nobili illa provinciarum sortitione, Hercinij saltus obuenere; quos, quibus viris, viribúsq; instructus in-

Altera Boiorvm ad Herciniam sylvam colonia.

Liu.lib.5. ingreſſus ſit, quæque illum comitata fortuna fuerit, paulò obſcurius eſt. Romanus enim ſcriptor, cuius diligentiæ hoc tantillum debemus, in ipsâ magni apparatus expectatione hiantes deſtituit; vt quas omnino terras petierit, non ſatis fidenter pronunciem. Hercinia ſilva tot populos inumbrãs, & immortales quercus, quas ipſi congenitas mundo credas, in immenſum propagans, tota in ſortem & vrnam conjici non potuit: & propè ſupra vnius hominis votum fuit, tam latè velle dominari: vetuſtiſſimis Græcorum ex magnitudine notam video, qui nomen, ſine injuriâ tamen, nonnihil fregere, & Orciniam appellarunt. In Helvetiorum, Nemetum, & Rauracorum finibus enaſcens, cum Danubio, cuius ſubinde propè ripam ſtringit, æquali gloriâ progreditur, ad Dacos & Anartes vſque, illic nondum fatigatâ fœcunditate Danubium deſerit, & jam ſuo itinere excurrens ad lævam, multis ſe Gentibus oſtentat, vbique horrida, & planè nigra: neq; curioſis licuit deprehendere, etiam cùm ſexaginta ipſos dies, in perpetuâ propè illius vmbrâ proceſſiſſent, vbi tandem exſpi-

Cæſ. lib 6. de bell. Gall.

exſpiret, ſilvæ nomine amiſſo: reſpondet longitudini latitudo, quam expeditus viator novem diebus ſi permeet, officium fecit. Credi igitur non poteſt, Sigoveſum etiam animoſiſſimum, hanc omnem ſibi provinciam depopoſciſſe. Enimvero ex Gallicis Gentibus, quarum ad Herciniam ſilvam nomina innotuere, conjecturam non nimis præfidentem duci poſſe exiſtimem, quas oras invaſerit Sigoveſus. Tacitus enim rerum Germanicarum apprimè ſciens, Helvetios inter Herciniam ſilvam, Rhenúmque, & Mœnum amnes, collocat; BOIOS vlteriora tenuiſſe affirmat, incinctos nempe perpetuâ arborum coronâ ingẽtes campos, quos ludens Natura in Amphitheatri morem, velut alterum orbem incluſit. Loci nomen vetus non proditur; ſed BOII cùm immigraſſent, quaſi dignum fortunis ſuis domicilium, & alteram ſibi patriam reperiſſent, in ſui nominis gloriam adoptatum indulgentiſſimo affectu, Boiohæmum appellarũt, æterno cognomine, quod etiam irata Fortuna numquam potuit convellere, dominis toties mutatis, vt in humanis rebus vſu-

Tacit. de Mor. Germ.

FIXÆ IN BOIOHEMO SEDES, ET DATVM LOCO NOMEN.

venit, quæ de manu in manum eunt.

l.6.de bell. Gall. Tectosages denique Iul. Cæsar circum Herciniam silvā statuit, quibus alij Volcas adjiciunt, non novum, vti ego existimo, populum, cùm ijdem Tectosages Volcæ appellarentur; quemadmodum in eâdem Narbonensi Gallia, ex quâ hi prodiere, etiam Volcæ Arecomici collocantur. l.7. Horum ergo trium Galliæ populorum cùm ad Herciniam silvam coloniæ monstrari digito possint, causa nulla est, quin triplicem hanc Sigoveso manum in comitatum demus, vnáque opera de terminis constituti, fundatíque ab eodem imperij pronunciemus. Nam Boios quidem (vt pro cæteris laborem mihi non sumam) cessasse credi non potest, cùm tota propemodum Gallia suis excita sedibus, partim per obstructas Alpes irrumperet, velut in alterum orbem terrarum; partim Herciniæ silvæ laxare tenebras illustribus factis cogitaret. Amolitur hanc ignaviæ infamiam generosa BOIORVM virtus, adeò inter Celtas eminens, vt magnus Auctor omnium Gallorum ferocissimos appellarit, quanquam ille militares viros, & manu nimis seriò vsos horridio- Appian. in Celt.

ris

tis injuria nominis asperfit; & verò tales oportebat Sigovefo commilitones dari, qui non ad Italiæ vineas, ad ficum & oleam, fed in afperos Hercinię faltus properarent, quorum incolæ, & accolæ inter patria durati robora, Gallicis armis alios animos, aut certè majora corpora, quàm Italia, videbantur oppofituri. Neque verò, quia Boios in Italiam trajeciffe fuprà commemoravimus, ideò à Sigovefo jam abjungendi funt. Quarta enim illa demum à Bellovefi expeditione profectio fuit, & fortaffe aliquam multis annis pofterior; credámque BOIÆ Gentis reliquias, juventutémque nondum exhauftam, vel fubinde annis, & animis auctã, & idoneam bello, popularibus excitatam trophæis, hoc jam alterum virtutis BOICÆ quæfiviffe theatrum, ne ab Italicæ confortio gloriæ excluderentur, indignū rati, vfquam fine BOIIS triumphari. Quemadmodum etiam Senones, qui in Bellovefi exercitu fuum nomen profeffi inter primos funt, fuis deinde aufpiciis, privatum, & familiare fuę Genti decus illaturi, cuius totum fibi affem vindicarent, fuis opibus, viribúfque freti, juftum,

ſpecioſúmque ex domeſtica juventute agmen conflarunt, & trepidanti Italiæ infuderunt; vbi cùm proximas BOIIS ſedes occupaſſent, Romana deinceps arma, ad deſperationem vſque, exercuerunt.

Quando igitur certum eſt, BOIORVM ad Herciniam ſilvam amplum, diuturnúmque imperium fuiſſe, neque antiquior vſquam profectionis extat memoria, quę quidem tanto apparatu, molitionibúſq; adornata ſit, vt quæ non tumultuantis populi, & cupidi rerum novarum ſuſcepta furore, aut temeritate fuerit, quem egeſtas, aut conſcius animus exagitaret & proſcriberet; ſed Ambigati Regis adjuta, & promota conſiliis, quibus ille florem Provinciæ conſpirantis, tanquam ver ſacrum, auſpicatò in novas terras emiſit; credibile omnino fit, hoc potiſſimùm tempore BOIOS, Sigoveſo duce, in Herciniam ſilvam penetraſſe; id quod recēti rerum Germanicarum Scriptori non indiligenti adeò perſuaſum video, vt miretur, id quibuſdam dubium videri: & quia pugnare Cæſarem Tacito exiſtimat, dum pro BOIIS Volcas Tectoſa-

ctoſages nominat, qui ex Gallia tranſgreſſi, ad Herciniam ſedes fixerint, ipſe ſolâ ingenij confidentiâ, veteri apud Cęſarem ſtatione Tectoſages deturbat, BOIOSQVE ſuccenturiat, quod ego bono jure, vel more factum nego; neque enim Tectoſagibus clauſum iter ad ſimilem gloriam fuit, ne & ipſi abundantiâ virium novas ſedes quærerent, & ſuam Hercinię ſilvæ coloniam affigerent, plurium ſine dubio accolarum patienti, & qualiacunque naturæ beneficia publicanti promiſcuè vtenda. Et ſanè Tectoſages viros fuiſſe acres Strabo indicat, qui virtutem in l.4. patria non paterentur conſeneſcere, quam cùm haberent opulentiſſimam, & abundantem auro, aurum illi alijs è flammâ petitum poſt famam habuere, hanc ex ipsâ vſque Phrygia armati rapuere: Neque verò illud nullum argumentum eſt conſpirantium in hanc migrationem conſiliorum, quando etiam poſterioribus annis, quod ſuo loco demonſtrabitur, ijdem cum BOIIS Tectoſages, ſocia, in ipſam vſque Aſiam, arma promoverunt, robore juventutis ex confinibus Imperijs delecto, & communibus auſpi-

cijs

cijs in famosissimam expeditionem auctorato. Stabit ergo sua Cæsari auctoritas, & contermina Hercinię silvæ Tectosagum colonia, præsertim cùm ex Boiis fraudi non fuerit, ipsum vmbilicum silvæ obsidentibus: quem qui populi ante Boios habuerint (vacuum enim cultore repertum credi vix potest) nescire nos veteris ævi silentium cogit; quod ipsum etiam longas Scriptori ferias indicit, cui necessariò tota sæcula vno saltu transmittenda sunt, quæ ad historiam nullam symbolam conferunt, sed breuissimâ epitome, & compendio duûm prægnantium verborum absolvi possunt, Boios interim Fortiter Fecisse: nam quemadmodum clamantium voces in auram emissas venti raptim differunt, jugulántque, simul atque ab ore exciderunt, nisi in benignam fidelémque delapsę vallem, ad vocale aliquod saxum impegerint, vnde magna sæpe sui parte multaræ reciprocentur; sic fortium virorum facta, antiquorum temporum barbaries absorpsit, nisi quando cum Romanis Græcísq; collisi, aliquot ab illis syllabis, & qualicúnq; admurmuratione cantentur.

AD BOIOS igitur Romæ viciniores, in Italiam revisamus; cujus imperium facilè illi ijsdem artibus retinuere, quibus initio partum est, animis nimirum, armísq; concordibus; ita enim comperio, Galliæ populos, qui eò immigrauerant, etsi sedibus distinguerentur, cętera fere communia, amicos præsertim, & hostes eosdem habuisse; vt qui vnum aliquem injuriâ lęsisset, nosset se conjurata in perniciem suam omnium arma concitasse: hoc illis adversus omnia, quæ timeri poterant, tutissimum munimentū fuit, vti verè Concordia domestica pro muro aheneo est; atque hac maximè re vicinis formidabiles evasere, vt etiam inermes timerentur, vtque ij, qui Gallum vicinum oderant, tamen nollēt eundem sibi inimicum capere. Quæ illorum gloria neque cum tempore elanguit; nam ducentesimo ab adventu Bellovesi in Italiam anno, Vejenti bello, quo demum Veij à Romanis deleti sunt, illustre in hanc rem exemplūm editum est. Nam cùm Falisci communem Hetruriæ populorum opem pro Vejentibus flagitarent, Hetrusci quo minùs auxilia pollicerentur, domestica peIV. BOIORVM SECVNDÆ RES.

ricu-

ricula excusabant, gravi se hoste premi dictitantes; nam postquam Galli suæ viciniæ commigraverint, sibi cum illorum ingenijs identidem conflictandum esse, etsi bellum non sit, nunc cum illis pacem esse, sed quæ ægrè ætatem ferat, & facilè exspiret; eos nonnihil sopitos, mox ad sua commoda evigilaturos, simul atque bellum pace utilius visuri essent: neque id admodum mirum videri; nam quemque sibi proximum esse, sibíq; omnes melius cupere, quàm alteri. Quare delectum apud se haberi vetuere; voluntarijs duntaxat, siqui ire vellent, facta eundi potestas. Porrò quorum vicinitatem ita Hetrusci pertimescebant, Senones & Boii fuerint oportet, hi enim proximi consederant; & Boii quidem tanto timendi magis, quòd illorum quondam armis vltra Apenninum fugati erant, jámque constabilitis domi rebus multo periculosiùs lacesserentur. Obtulit tamen circa hæc ipsa tempora Boiis nobilem Fortuna victoriam. Melpum erat in Insubribus præcipuâ opulentiâ Oppidū; id Gallorum populi tres, iíque fortissimi, Insubres, Boii, & Senones, conjunctis viri-

Liu.l.5.

MELPUM A BOIIS EXPUGNATUM ANNO A.C.N. CCCXCIV.

viribus, oppugnarunt, durante adhuc bello Vejente; evenítque vt eadem dies Vejis, & Melpo summa, & fatalis esset; ea ipsa enim, quâ Camillus Dictator Vejos jam decimum annum obsessos cepit, ij quos diximus populi Melpum delevere, ita simili vtrobique felicitate, Romana virtus Gallicæ exæquata: quanquam Galli ad Romanam hoc etiam contulisse victoriam videntur, quòd illorum metu, vti antè memoratum est, Hetruria in officio contenta auxilia laborantibus Veijs non submiserit: quod quàm opportunũ Romanis fuerit, vel ex eo clarè intelligitur, quòd cùm ex Hetruscâ juventute volones aliqui Veijs subsidio venissent, eorúmque numerus famæ ludibrio nonnihil auctus esset, jam etiam Romæ cœptum sit trepidari.

LAVS POMPEIA OPVS BOIORVM. *Plin.l.3.c.17*

BOII non procul Melpo in eâdem Insubria nobilem vicum statuêre, qui pòstcà mœnibus cinctus, & gloriâ urbis auctus Laus Pompeia dictus est: id propè in hoc tempus rejiciam, quo circa Melpum hæsere BOII: & posset benignioribus conjecturis animari opinio, nisi pigeret in re non magnâ, operâ abuti. Aventinus

nus manifestè vanus etiam Mediolanum, & Ticinum Boiis conditoribus tribuit, toti antiquitati obluctatus; pluribus deinde Oppidis, quorum conditores non produntur, veluti vacuam possessionem nactus, BOICVM nomen, vt herbam parietariam affigit; sed miserum adulandi genus est, cuiquam laudem ex mendacio, & furtivis coloribus quærere, qui sinceris suísque abundet; neque de Bononia, quanquam auctores habeo, facilè pronunciem, eam id nomen Boiis debere, cùm Felsina antè diceretur. Illud propius vero, fluvium, qui non magno devectus alveo Bononiam stringit, & Ferrariæ in Eridanũ se exonerat, quem Plinius Rhenũ, Silius Parvum Rhenum appellat, patrij fluminis desiderio tam superbum nomen, nullo suo merito, à blandientibus Gallis nactum; quorum vernaculam linguã etiam illud arguit, quod Padum, quà summa illius altitudo incipit, Bodincum, quasi fundo carentem, & adsitam vrbem Bodincomagum appellarunt; cujus asperitatem vocis horruisse illos existimo, qui postea nomen Vrbi Industriam fecere.

V. PROXIMO à Melpi expugnatione sexennio,

ennio, dignus tandem Gallis repertus hostis est; nam Hetruria tot attrita cladibus, etiam veteris potentiæ famâ amissâ, timebat hostilem animum in acie explicare: Roma supererat in spē Imperij orbis terrarum assurgens, quæ cùm Vejos, & ignobilem è viciniâ hostium turbam, velut humiles candidatos, jam ex Campo Martio submovisset, cum potentioribus deinceps commissa competitoribus, solius sæpe Fortunæ sublevata suffragio, evitavit repulsam: & primam quidē illi de Imperij dignitate litem Galli movêre, spreti initio hostes, & eodem, quo reliqui anniversarij turbines, Falisci, vel Latini, loco æstimati; quem tamen contemptum grandi deinde pœnitentiâ luêre. Marcus Cæditius plebejus vir ad Senatum retulerat, vocem humanâ clariorem audivisse se, quæ Magistratibus dici juberet, brevi in Vrbe Gallos futuros esse. Sed indicem sua paupertas ridiculum fecit; & Galli, quòd Apennini jugo à se arcerentur, velut toto orbe divisi, vltimi hominum credebantur; nempe quos summæ Alpes non fatigassent, ad reliquos montes erant suspiraturi: subsecuta brevi mœ-

FORTVNA BOIOS CVM ROMANIS COMMITTIT.

Liv. lib. 5.

C sta

ſtaCluſinorum legatio nunciavit, Gallos non tantùm Apenninum ſuperaſſe, ſed etiam Cluſio perniciē allaturos, niſi Romani opem ferre maturarent. Ab Arunte Cluſino eò vocati Galli dicuntur, qui domeſticæ injuriæ impatiens, privatam iram ruinâ patriç ſolari decreverat. Auxilia Romæ negata ſunt: legati tamen ad Gallos miſſi M. Fabij Ambuſti tres filij; quaſi viri illi facūdâ oratione Cluſio abigi poſſent. Auditi tamen ſunt modeſtè, quamdiu modeſtè loquebantur; ijsdémque præſentibus, & arbitris, pacem ſe compoſituros Galli pollicebantur, ſi partem agri, Cluſini ſibi volentes cederent, quem latiùs poſſideant, quàm colant: id, ſi aliter non poſſent, armis ſe impetraturos; invitabántque Romanos ad ſpectaculum, qui deinde in patriam nunciarent, quàm ſcitè Galli gladio vterentur, & quanti in haſtam inſurgerent. Hîc jam commotiores Romani quærere, quo jure alienum agrum peterent, cum tantis minacijs? & quid omnino Gallis in Hetruriam acceſſio eſſet? Ridenda viſa Gallis de jure diſputatio, inter pueros potiùs agitanda, qui par impar luderēt; ſe enim, inter-

OBSIDIO CLVSII.

CVM ROMANIS LEGATIS ALTERCATIO.

interstrepentibus armis, Legum vocem exaudire non posse. Et Brennus Rex manu ad capulum admotâ, ecquid ille satis peritus legislator videretur, vicissim quærebat; deinde quo tandem jure præmia fortium virorum ignavi possiderent? Nam fertilis soli opulentiam militare stipendium esse, quod natura Imperatrix armatæ virtuti numeret; sic ipsos Romanos ditatos esse; suáq; omnia non stricto juri, sed stricto gladio debere: proinde & se manus extendere, ejusdē juris viriúmque cónscientiâ: adversantium Legum nodos gladio se soluturos. Parum apta componendę paci oratio visa est; revera classicum fuit, & cruda Brenni eloquentia vtramque partem ad pugnam animavit, in quâ & legati Romanorum probarūt, meliores se milites esse, quàm juris interpretes: obliti enim muneris sui, ex legatis duces Clusinorum facti, Gallis virtutem Romanam alio loco pulchriùs probandā, intempestivâ audaciâ ostentarunt. Quin imò Q. Fabius Gallū nobilē ferociùs in Hetrusca signa invectum adortus, hastâ trāsfixit; quem Brennus Rex spolia legentem clarè agnovit, &

Plut. in Camillo.

BRENNI BOIORVM REGIS FEROCIA RESPONSA.

EIVSDEM POENA ET MINÆ.

violatorem juris Gentium Dijs, hominibúsque ostentans, vtrosq; obtestatus est, vt hanc impietatem vltum irent; móxq; facti infamiam abominãs, è prælio scelesto suos reduxit, charo capiti, Manibúsq; cõmilitonis, ad Romanæ vrbis bustum, parentaturus; atque, vt erat extra dilationem positus, ac consulta factis conjungens, eâ ipsâ die infestum agmen, & recenti calidum irâ Romam rapuisset, nisi moderatior sententia vicisset, quæ suasit Romanos priùs justitiâ, quàm armis vincendos: Legati irent, qui Fabios sibi dedi postularent; nisi dederentur, crederent Vrbem Legatis suis nihilo meliorem. Erubuere sanè Patres, Romanis violatum Jus exprobrari, de quo ipsos Gallos commonefieri jusserant: sed, præter colorem morsúmq; verecundiæ, nihil expressum; non placuit esse rigidis in tam nobilem Fabiorum sanguinem; absoluti sunt tres fratres, quasi trecenti illi his cognomines, pulchrè olim pro patriâ mortui, honorum sceleri essent patrocinati: sed quod indignissimum fuit, Gallísque cor exussit, quasi novum Fabiæ familiæ decus intulissent, summa impietas, summo, qui tum

tum Romæ erat, Magiſtratu honorata eſt: & , proximis comitijs, Triumviri illi planè Capitales, Tribuni militares creati. Hac re intellectâ Galli, jam non trium hominum, ſed publicũ totius Vrbis flagitium ferro, & flammâ exciſuri, rapidi torrentis more, eò feruntur, triſte illud carmen meditantes, quod poſteà victis occinuere. Tantis itineribus profecti ſunt, vt propè Famam præverterint; ad Alliam tandem irruentibus occurſum cum exercitu, qui præter arma nihil haberet Romanum; virtus omnis à dextra in pedes migraverat; horum maximus vſus; cætera obtorpuerant; neque os adeò ad clamorem ſuffecit; nam Gallis ab vlulatu pugnam auſpicantibus, quaſi jam in voce illà fulmen veniret, attoniti Romani, & muti, mox terga præbuere cædenda, vt nemo honeſtum ſaltem vulnus domum referret. Quamplurimi etiam patriæ obliti (& verè Romani non erant) Vejos curſu petiere, illis cuniculis abdendi, quos nuper ad capiendam Vrbem generoſiùs ſubierant. Neq; auſus eſt ex ijs quiſquam hoc ſaltem Romam nunciare, animam ſe adhuc Veijs trahere, vel agere. Quos

EXPEDITIO ROMANA QVIBVS CAVSIS, ET IRIS SVSCEPTA.

ROMANORVM FVGA ET STRAGES.

vel Gallicus ensis, vel Tibris non hausit nec metus exanimavit, fœdiórve his omnibus fuga abstulit, Romam se recepere, & neq; portis quidē clausis (quod nemo nisi Romanis scribentibus crederet) in arcem, imò carcerem se conjecēre; desperata illius noctis, & nihilo saniora sequentis diei consilia, ridicula & personata triumphalium senum ad victimam se exornantium pompa, ordinum, ætatúmque omnium confusa comploratio, & verissimæ lachrymæ, in publico civitatis funere, suas sibi exequias celebrantium, ærumnosissimum lustrum, & paucorum habiti delectus, qui in Capitolium compingerentur, ardentem vrbem, ex editiore loco, spectaturi, & reliqua tam inusitata illi populo non assueto vinci, luculentè testantur, Virtutem Fortunámque, Romanis desertis, tunc apud Gallos habitasse; qui vrbem nudam præsidio ingressi, per trecentos & sexaginta annos semper triumphantem, cæde, incendiísq; deformarunt. Subnotatus est fatalis dies, quo Roma ardere cœpit, ísque decimus quartus ante Kal. Sextiles fuit: cujus ne vnquam excidere memoria posset, fax patriæ

DESPERATIO.

VRBS CAPTA ET INCENSA

ANTE C.N. CCCXCIIX.

patriæ ſuæ Nero, eodem die, renovato ſpectaculo, Romam iterũ buſtum fecit. Inter hæc, ſola patientia Capitolio clauſorũ victa non fuit; nam ij cùm in manu ferrum haberent, maluerunt tamen Gallos cum patria, quàm ſecum pugnare; neque ipſum adeò Capitolium ſtetiſſet, niſi ab anſeribus defenſum eſſet, qui ſubeuntibus Gallis claſſicum cecinere, vt ex tanto intervallo Romanus aliquis facinus ederet, quod dignũ eſſet nominari; Marcus Manlius is fuit, qui, quòd Gallum vnum jam arci inſiſtentem è faſtigio deturbaſſet, deinceps Capitolinus dictus eſt, levi impendio pulcherrimum nomen adeptus. Tandem poſt menſes ſeptem, cùm miſeris etiam difficile eſſet perire, quòd illos hoſtilis gladius clementiùs, quàm lentum malum, inteſtina fames haberet, tunc vehemẽtiſſimè irritata, quando illius diſſimulandæ gratiâ, panes, non ex copia ſanè, de Capitolio in hoſtes jaculati ſunt; cùm obſeſſos & patientia, & quæ vltima mortales deſerit, ſpes deficeret, & eſurientes ferri jam vſum neſcirent; atq; interim Galli jactarent, ſe auro ab obſidione abigi poſſe, coacti ſunt Ro- *Tacit. 15. annal.*

ROMA AD LIBELLAM APPENSA.

Hist. nat. l. 33. cap. 1.

Romani se suámque fortunam, & reliquias vrbis sub hasta & gladio venales redimere. Desponsa auri pondo mille; sive plus effici non potuit, vt Plinius scripsit, cùm modestior adhuc mundus muliebris esset, qui Vrbi etiam tunc pro ærario fuit; sive Brennus Romam omnem, & quidquid auctioni subjecerat, pluris non æstimavit. Id ipsum tamen, militari insolentiâ, ad iniquam exactum est libram, gladio insuper prægravatam, depressámque; quæ tamen Romanis mussitanda injuria fuit; nam cùm voces liberiores erumperent de fraude conquerentium, eæ mox miserrimo ludibrio sopitæ, suffocatǽque sunt, cùm ridens Gallus, Væ Victis, ingeminaret; qua voce tristior nulla vnquam Romæ audita est: atque hac obsignarunt Galli nobilem victoriam, septimo tandē mense, cum auro redemptæ Romæ precio in patriā regressi; nisi fortasse illis hoc per Livium non licet; is enim Camillum hîc interijcit, qui victorum abeuntium iter moretur; ab hoc enim extortum Gallis aurum scribit, pro quo ipse ferrum objecerit, nudósque gladios, quibus Gallos duplici prœlio ita con-

Polyb. l. 2.

LIVII DE CAMILLO NARRATIO REJECTA.

conciderit, vt ne vnus quidem supereſſet, qui inflammatam à ſe vrbem Romam jactare poſſet. Sed veniam nobis dabit Livius, ſi hoc illi nõ credimus; verecundiam cladis Romanę abſtergere hoc lenimine voluit; ita attemperatè Camillum ab exilio revocavit, in illam ipſam horulam, qua Romanos Libripendes aurum defecit, vt in eo articulo Gallos opprimeret. Atqui nec Romæ, Suetonio teſte, aurum receptum eſſe, priùs eſt creditum, quàm illud Druſus pro Prætore in Galliam miſſus, publicè illic aſſervatum recepit, & patriæ refudit. Confirmat idipſum luculentè Maſſilienſium factum, qui ſimul atque Vrbem à Gallis captam, inflammatam, eáque quibus ferrum & flamma pepercerãt, redempta auro cognovere; cùm & ipſi Gallos hoſtes paterentur, & omnia illorum incrementa ſua detrimenta crederent, Romanæ vrbi domeſticas ipſi exequias duxere, qui ſuorum etiam funera ſicci, fletu ſuſpenſo, ſpectabant; &, ne ſolis oculis liberales, ad vrbis extinguendum incẽdium viderentur lachrymas annumeraſſe, aurum inſuper, argentúmque ex publico ærario de-

ROMANVM PRETIVM IN GALLIA ASSERVATVM.

Suet. in Tib. c. 3.

Iuſtin. l. 43.

MASSILIENSIVM SYMBOLA AD CONFICIENDAM AVRI SVMMAM.

promptum, & privatis etiam opibus egestum, insigni & commemorandâ benevolentiâ contulere, vt, quod ad auri pondus Gallis debiti deerat, indè suppleretur, tandémque Romani ex suorum hostium ære exirent. Quâ collatitiâ stipe quid opus fuit, si etiam illud, quod appensum jam erat, Camillus Gallis extorsit? Et verò tanta opportunæ humanitatis apud Romanos gratia fuit, vt ijs & decreta immunitas, & locus inter Senatores in theatro datus, ipsique amici appellati sint. Quin imò cùm Romanis tandem armis ipsa etiam Massilia petita est, eiúsque imago in triumphum ducta, nemo bonus vir Romæ fuit, qui non ingemuerit, veteris fidei memoriâ hoc quantumvis impar officium exprimente. Florus cætera Livio consentiens, in Gallorum cæde recensenda mitior est; duobus prælijs non omnes, vti Livius, jugulat; neque tantùm cladis nunciũ, sed copiosas reliquias dimittit, post plures demum annos conficiendas. Vrbi verò exustæ consolationis genus multò ambitiosius reperit, dum Dijs immortalibus gratias agit, & supplicationes decernit,

Cic. Philipp. 8. & 2. de Offic.

Flor. l. 1. c. 13.

cernit, quas Roma, re bene gestâ, vsurpare solita est; abolitam enim esse probrosam Romanæ Vrbis paupertatem, barbaros manum commodasse ad diruendas pastorum casas, vt ex flamma, & cinere lustrata, & illustrata Vrbs, imò aurea resurgeret. Cæterùm ex Polybio constat certissimo Scriptore, qui Livium etiam ætate antevenit, quíque veritatis studio antiquissima monimenta, neque ipsis satis intellecta civibus suis, ex Capitolina æde eruit, & Romanis proceribus homo ipse Græcus jura suæ patriæ interpretatus est, Gallos victores nullo incommodo affectos, victoriam integram in patriam retulisse, cùm illos domestici tumultus ab obsidione Capitolij avocarent. Veneti enim, qui ad mare Adriaticum Gallis vicini adsidebant, tempori insidiati, & absentiam Gallorum rei bene gerendæ occasionem interpretati, cum infesto exercitu, in eorum fines populabundi erant ingressi; cujus rei fama ipsos vel invitos & frendentes domum retraxit. His proinde Romani, non Camillo, debent salutem suam, & quidquid illis victor Gallus præter animam reliquit. Verùm Livius,

BOII CVM SOCIIS INTEGRAM IN PATRIAM VICTORIAM REFERVNT.

vius, qui blandâ hac narratiunculâ majestatem Romani nominis sepultam ruderibus Vrbis, & Gallicis afflatam incendijs iterum erexisse, & recreasse visus est, aliâ quapiam re eandem multò validiùs prosternit, collidítque, dubitare ausus, soláne Senonum Gens, an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum adjuta populis, Clusium, atq; indè Romam petierit; tantilla scilicet illi Roma visa est, vt à quocunque hoste posset contemni; nimirum Melpum, cujus neque nomen sciremus, nisi illud ex Cornelio Nepote Plinius exscripsisset, à fortissimis tribus Gallorum populis, Insubribus, BOIIS, Senonibus oppugnandum fuit; nunc cùm Apenninus (puta novas Alpes te audire) superandus, cùm Hetruriæ solum calcãdum, vbi nemo non ex professo hostis, cùm Clusini Vejentium consanguinei, & denique Romani, quorum vtique fama vltra Apenninum porrecta fuit, bello petendi, Senones, quasi ad ignobilem vicum pabulatores excurrerent, soli ad triumphum proficiscuntur, & cõtra hos non jam trecenti Fabij emittuntur, sed tota Romana juventus effunditur, eáque ipsa

ipsa primo impetu proculcanda, cui pudori non sit, tali hoste tantùm viso, imò ne viso quidē, pedē referre, déque tuendâ Vrbe, & ipsâ adeò vitâ desperare; credi certè non potest, Romam vnquam fuisse tam imbellem, ne tum quidem, cùm illius mœnia Remus saltu transmitteret. Sed enim vt Boios ostendam Senonum socios fuisse, video id Græcis olim adeò decantatū fuisse, vt quanquam totius rei seriē minùs exploratam haberent, de BOIIS tamen, illis dubium nullum esset. Id ex Poëta Græco Simylo, quem Plutarchus in Romulo laudat, manifestum fit; qui cùm Vrbem semel duntaxat, ídque à Gallis, captam crederet, Tarpeiæ Virginis proditionem, ob speratas non Tatij, sed Brenni, vt ipse existimavit, nuptias, huc traxit, eámque armillis clypeísque BOIORVM, quos ex Celtis solos nominat, superobrutam cecinit. Ex quo etiam illi sententiæ pondus adijcitur, quæ Brennum BOIORVM Regem facit, vt ij non jam Senonū Socij, sed capiendæ Vrbis duces fuerint. Sanè Silius, qui bellū Punicū secundum scripsit, quíque Poëtæ nomē ægre tuetur; quia nihil

BOII EXPEDITIONIS ROMANÆ DVCES, AVT CERTE COMITES.

Simylus apud Plutarch. in Romulo.

men-

mentitur, & historiæ veritatem simplici metro ligavit, Chrixum BOIORVM Ducem Brenno atavo gloriantem, Heroico versu sic repræsentat.

Sil. l. 4.

BOIORVM ante alios, Chrixo duce, mobilis ala
Arjetat in primos, obicitque immania membra;
Ipse tumens atavi Brenni se stirpe ferebat
Chrixus, & in titulos Capitolia capta trahebat;
Tarpejóque jugo demens, & vertice sacro
Pensantes aurum Celtas umbone ferebat:
Colla viri fulvo radiabant lactea torque,
Auro virgata vestes, manicæq; rigebant
Ex auro, & simili vibrabat crista metallo.

Atque hic certè Chrixus cùm BOIOS eó prælio duceret, quos Brenni Populum ipse appellat, apud eundem Silium, alienos triumphos, & suæ Genti non debitos scuto suo nunquam pinxisset; Imago illa libram Romanam ferens Chrixum furti accusasset, quòd in se BOIOS QVE suos captæ Vrbis gloriam transmoveret, si tota illa Senonum fuisset. Porrò neque illud temerè oscitanti Poëtæ effluxit, quòd virgatas BOIO vestes tribuit, nam Virgilius in verbis usque ad superstitionem religiosus, eodem cultu Gallos induit Capitolio adrepentes.

Virg. l. 8.

Galli per dumos aderant, arcémque tenebant
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.

Aurea Cæsaries ollis, atque aurea vestis;
Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla
Auro innectuntur, duo quisq; alpina coruscant
Gesa manu, scutis protecti corpora longis.

Neque inscitè Velserus opinatur, inspexisse diligentissimum Poëtam in veterem tabulam pictam, in qua obsessi Capitolij pictura inesset, atq; indè hoc Gallicæ vestis exemplum sumpsisse. prostare enim Romæ ejusmodi monimenta solita, etiã pueri sciunt. Et constat, Marianum illic scutum pependisse, quod pictum Gallum ferret, ex quo nonnemo, ridiculo errore, Gallinaceum fecit. Atque ab his virgatis sagulis, quæ coloratis tessellis distincta, & discurrentibus decussatim lineis virgati formam calathi, aut apertum maculis rete referrent, BOICÆ Gentis insignia manasse, non infeliciter eruditi viri ominantur. *Velserus l. 1. Rerum Boicarum.* *Plin. lib. 35. c. 4.* *Cic. 2. de orat.* *Quintil. l. 6. cap. 3.*

Gallos ab Vrbe regressos, post Venetos etiam motus compositos, cùm externus hostis deesset, Fortuna tot triumphos aliquâ labe contaminatura, ipsosmet inter se cõmisit, gladiósque cognato sanguine infecit. Causæ traditæ non sunt, neque necesse fuit. Tales ferè sunt bello- *Polyb. l. 2.* INTESTINVM GALLORVM BELLVM.

bellorum reliquiæ; nec eorum infelicitas omnis in hostes effunditur; quædam mala etiam victores sequuntur, qui sæpius corpus integrum, quàm animum referunt. Ego ita existimo, Romam ardentem etiam Gallorum animis faces subdidisse, vt facilè in mutua odia exardescerent: nam & in solo hostico fiunt multa non optimè, impunè tamen; quorum mox etiam in patria minor verecundia est. Victoria deinde ipsa insolentes facit, quæ inter plures ægriùs ex æquo, quâm præda dividitur; etiam modesti, & quod fœdius est, ignavi quoque de laude sibi quàm plurimũ arrogant; quæ æmulantium lites donec fervent, gladij bonâ fide non conduntur. Invidia deinceps alios Gallis hostes subornavit; Inalpini populi vicinas eorum prope se opes invalescere, dudum iniquis animis senserant: jam verò post Romanã victoriam, res illorum, & multò maximè spes in immensum auctas, etiam cum suo periculo rebantur. Itaque jam palàm felicitatem eorum maledicentiâ admordebant, hostilem animum linguâ professi, eundem mox manu probaturi: Ex quo in Italiam

Polyb. l. 2.
MOTVS ALII E VICINIA.

patria

patriâ extorres transgressi sint, addendo, & bella ex bellis serendo magnos factos, nullâ à quoquam injuriâ irritatos, adversus omnes tamen reperisse causam bellandi; vbicunque vel latiorem, vel pinguiorem agrum vidissent, illuc animum, deinde & manus adjecisse: hodiéque in populorum exitium levi compendio duci, dummodo ex alieno damno quæstum faciant, & soli esse felices possint: Nihil apud ipsos inter jus, & vim interesse; potiores eos haberi, non qui meliores, sed qui fortiores sint. Neque suis se Alpibus satis tutos fore, adversus eos, qui iter ad has tantas opes sibi per Alpes etiam inclementiores straverint, vt probarent, suis cupiditatibus nihil esse inaccessum: solâ ergo virtute esse arcendos, securitatémque sibi illorum excidio quærendam. His calumniis sufflatum exarsit bellum; sed quo id gestum successu, aut exitu finitum sit, ab Auctoribus non traditur: Gallos superiores fuisse, ex eo probabile fit, quod ingenti deinceps apparatu bellum cum Romanis sit renovatum; quos vtique, si res domi imminutæ forent, secum habitare Fortuna domestica

ROMA A CINERE RESVRGIT.

coëgisset. Ex his interim turbis Romani id maximè lucri cepere, quod averso à suis cervicibus hoste, tempus nacti sint, ex suo, & Civitatis funere respirandi; cujus ea facies fuit, vt vix esset, qui illam vt Patriam, & non potiùs tanquam sepulchrum aspiceret. jámque adeò de illâ deserendâ cogitatum; & penè persuaserant Tribuni, Vejos migrandum, & à miserrimo spectaculo etiam oculos esse abducendos; nisi eâ potissimùm ratione Camillus abitionem disturbasset, quòd nimis lęta Gallis victoria futura esset, si Romani facto ipso profiterentur, fortiores hostium vires ad vrbem evertendam fuisse, quàm suæ essent ad eandem restituendam; adeóque à Gallis non patriam, aut Capitolium; sed ęgram animam auro esse redemptam, cum quo illi & Romanam Fortunam, & ipsam adeò spem meliorum abstulerint. Evicit ergo Camillus, vt vrbs è suo busto extraheretur: sed festinatio tumultuario opere ædificantium (non plus enim anno vno impensum est) & confusa, abolitáque vetera in cinere vestigia, vrbis elegantiam obliquis ædium flexibus denormarunt: nullâ enim distin-

ctione,

ctione, neque dimensis vicorum ordinibus, sed vt cuilibet maximè commodum fuit, ædificatum est: Cæterùm illustriorem à Ruina surrexisse Romam Florus gloriatur, & tum demum dignam euasisse, quæ Deorum, atque hominum domicilium esset, vt illi etiam incendium gratuletur; qui si ex animi sui sententiâ loquitur, magnam rem Galli incogitantes, imprudentésque præstiterunt.

VI.

Quibus ne interim sine bello otiosa ætas efflueret, dum Romani respirant, quærendus alius hostis fuit: hoc quoque ex virtutis magisterio, quæ vbi nihil agit, animam agit. Circumspicientibus Dionysius Siciliæ Tyrannus occurrit, qui hac ipsâ tempestate in ea Italiæ parte, quæ magna Græcia dicta est, cum Crotoniatis bellum gerebat. Commoda res Gallis visa est, Italiam pluribus bellis fatigari, & se vbique inter hostes censeri, timeríque. Igitur Legatos ad Dionysium mittunt, qui amicitiam cum illo, societatémque inirent; non indecores se fore Regi; Virtutis & Fortunæ suæ testimonium posse ipsum ex vrbe Româ petere: neque procul abesse se ab eius hostibus, in vtrumque

Iust. l. 20.

GALLI DIONYSIO FOEDERATI.

que paratos, siue à tergo, siue à fronte illos à se cædi jubeat. Dionysius sibi de societate fortium virorum gratulatus, Gallorum copijs auctus, bellum velut ex integro restaurat: sed hujus fœderis successum vetustas suppressit, diligentiâ omni in Româ excolendâ absumptâ; cui quot omnino annos ad quiescendum, virésq; refocillandas, Fortuna, Gallíque indulserint, auctorum pugnæ, & variantes sententiæ prohibent liquidò affirmare; ad quem inevitabilem scopulum antiqua omnis impingit historia, ipsius adeò veritatis naufragio infamē. Polyænus, & Plutarchus quindecim annos intercessisse à captâ Vrbe ad proximam cum Gallis pugnam affirmant; Livius indulgentior decem alios annos adjicit: Polybius post trigesimum demùm annum Gallos domo educit; vnde cum ingenti exercitu profectos, & Albam vsque progressos Romani excipere ausi non sunt; quia, nondum discusso veteri metu, viribus diffidebant: sociorum verò auxiliares excire copias, hostis imparatis repentè superveniens, & jam è viciniâ impunè insultans, passus non est. Mœnibus ergo se tenue-

SECVNDVM CVM ROMANIS BELLVM.
Polyænus.
Plutarch. in Camillo.
Liu. l. 6.
Polyb. l. 2.

tenuere, eadémque patientiâ Gallos in Albano agro omnia miſcentes, & fœdis populationibus vaſtantes tulere, quâ pridem illos in ſuæ viſcera patriæ graſſantes, è Capitolio, priſtinæ virtutis immemores, aſpexere. Cujus rei apud Livium ſepulta omnis eſt memoria, credo quia ad Romani nominis gloriam nihil admodum faciebat; cui bonus ille vir non tantùm eloquentiam, ſed in tempore etiam ſilentium videtur accommodaſſe. Officioſę ejuſdem auctoris linguæ benignum exemplum, quia Gallico ſplendori, veritatíque officit, & ad hęc tempora ſpectat, placet adtexere: M. Manlius, is qui ab anſeribus excitatus Gallum ex arce deturbavit, cùm & glorioſum Capitolini nomen, quo ſe Jovi exæquatum credebat, & illuſtrem victoriam, ex præcipitato vno homine relatam concoquere non poſſet, immodicus animi, illius tumorem nulla neque menſura, neq; modo coërcebat: ignobilem, & inhonoratum ire ſe credens, niſi in vrbe, quam ſolus ſervaſſet, ſolus regnaret. Quod cùm ſtudio, & favore plebis ſe aſſecuturum confideret, illam affectatâ popularitate ſuam facere,

LIVII DE M. MANLIO NARRATIO EXAMINATVR.

& profusis largitionibus sibi reddere obnoxiam, impensè studebat. Et inciderat sanè in ea tempora, quibus nihil erat Româ indigentius; nam ob conflatum ædificando ingens æs alienum, demersa fœnore, & vsuris plebs, divitibus obligata, mœstâ quasi servitute atterebatur; vt proinde opportunæ lenocinio liberalitatis inescata, Manlium non aliter, quàm communem parentem, & benignum aliquod sidus intueretur. Impellebat ille jam sibi morigeros etiam blanditijs eloquentiæ, quâ magis instructus erat, quàm auro: & factum est Livij diligentiâ, ne ignoraremus, cujusmodi illius ad plebem conciones fuerint; imò ipse de suo auctarium adjicit, quod homini quantumvis turbulẽto non potuit venire in mentem: narrat enim jactasse illum ad invidiam, aurum Gallicum, per Camillum, si Superis placet, olim receptum, apud avaros defossum Patres, & prædæ instar, quæ inter latrocinantes dividitur, illorum lucra augere, quibus nihil satis sit, cùm suis civibus vix miseras animas reliquerint; Quam fabulam vti Livius necessitate confinxit, ne sui prorsus oblitus

vide-

videretur, ita malè fultam tandem penitus evertit: Fatetur enim, Dictatorem, cùm is Manlium juberet claro indicio Gallicum illud aurum evolvere, nihil ab eo, præter odioſa dicta potuiſſe exſculpere: adeò Livium in pertexendâ aureâ fabulâ, filum defecit. Cæterùm is Manlij exitus fuit, vt ob affectati crimen regni, eodem ſaxo, vnde Gallum deturbarat, dejiceretur, partámque præcipitio gloriam, ipſe præceps datus ſupplicij famâ obrueret. Sed ad Gallos noſtros revertamur.

ROMANI jam alterâ clade docti advertebant, ſibi cum hoſte rem eſſe, qui probarit ipſos & vinci poſſe, & Romuli oraculum pridem irritum reddiderit, vaticinãtis, nullas opes humanas armis Romanis reſtituras; multò deinceps majori apparatu ſibi opus eſſe, non modò ad famam, ſed & vitam tuendam exiſtimarũt. neque hoc, quantumvis ſeſe amarent, diſſimulare auſi ſunt, Gallis de robore ſe concedere; & linguâ, manúque optimi Romanorum, etiam poſtea profeſſi ſunt, omnia cætera virtuti ſuæ prona eſſe, cum Gallis pro ſalute, non de gloriâ certari; quin-

ROMANORVM CONTRA GALLORVM VIRES APPARATVS.

Saluſt. bell. Iugurth.
Cic: de aruſp. reſp.
Cæſ. l. 5. bell. Gall.

quinimò cùm jam propè terrarum orbem ſubegiſſent, & ex omnibus populis triumphaſſent, omnium robore pertentato, belli virtute ante omnes Gentes Gallos poſuere. Igitur ad leges militiæ, quas habebant optimas, rigidiſſimáſque, non paucula propter illos addidere: nam cùm ætatis, dignitatíſque privilegio, vel quinquagenario majores, vel Deorum miniſterio addictos, militiâ ſolverent, tumultibus tamẽ Gallicis, nullâ vacationis veniâ, & hi ab aris abſtracti, & illi caniciem premere galeâ juſſi: opificum quoque fex, & ſellulariorum bello inepta turba excita, ne vlla præſidia viderentur neglecta, quæ vel numerum facerent; cúmque externorũ hoſtium vim, quantacunque ingrueret, belli nomine appellarent, Gallicos ſolos motus Tumultus dixere, ipſo nomine publicam conſternationem confeſſi. tum denique, vt ſumma omnia experirentur, conſuetis magiſtratibus plerunque diffiſi, ad Dictatorem currebant, ſimul ac Gallus ſeſe moviſſet. Quæ ſingula cùm Gallicæ virtuti tam potenter ſuffragentur, ſubtimidè profectò perpetuos Livij triumphos numero,

mero, quos ille ex Gallis identidem ducit; neque enim credo tantum illis gloriç apud hostem partum, solâ pugnandi pertinaciâ, quòd toties, velut gladiatores in arenam, prosilirent, Romanum ferrum accepturi, semper inulti: & verò scio ab ipso M. Cicerone quindecim pluréſve de Liguribus, & Gallis posteriùs actos triũphos irrisos esse, vt diceret, malle se Lucij Crassi vnam pro M. Curio dictionem, quàm Castellanos ejusdmodi triumphos duos, à minutis Imperatoribus impetratos: quanquam & illos jam fessâ fractâq; Gallicâ virtute, coacervare facilius fuit, Senonibus jam deletis, vel fugatis, BOIIS QVE ex Italia migrantibus; integris autem etiamnum rebus, eosdem, ante bellum, & tubam, Romanis tantæ formidini, in prælio ludibrio fuisse, vereor, vt cuiquam cordato vero possit simile videri; præsertim cùm apud Polybium alia omnia legam; is enim quadragesimo demum secundo post captam vrbem anno, irrumpentes iterum magnâ vi Gallos, non tam Romanis armis, quàm terrore Panico, intestiníſque discordijs retrò actos, domúmq; nocturnâ fugâ dilapsos discer-

TERTIÆ IN ROMANOS EXPEDIDIONIS EVENTVS.

Polyb. l. 2.

disertè scribit: domi denique, cùm adhibita in consilium suâ, Romanáque Fortunâ, neutram vel convellendam, vel irritandam temerario bello censerent, pacem nullo sanguine lacessitam perpetuis tredecim annorum feriis coluere; quibus exactis, cùm illos neque tum otij satias cepisset, cum Romanis etiam fœdus iniêre, vt pacem jam longo charam, probatámque vsu, etiam ex lege tuendam sibi scirent. Et Romanis quidem etiam in parte felicitatis fuit, Gallos habere, & dicere amicos, & illorum dexteras contingere, qui nuper eorum patriam incenderant; imò patriæ causâ hoc faciebant, ne triste in illam exemplum repeteretur. Triginta ipsos annos fœdus religiosè cultum, eâ demum occasione ruptum est, ex qua Gallis plus vtilitatis, quàm honestatis accessit; cujus quanquam melior est causa, facilior tamen æstimatur jactura, hominum vitio, qui malunt vt suæ eos fortunæ pudeat, quàm pigeat. Qui trans Alpes incolebant, nullâ provocati injuriâ, impetu animi, & grandium commodorum spe, armati, transilierant in Italiam, pro hostibus habituri, quoscun-

FOEDVS CVM ROMANIS ICTVM, CVLTVM.

cunque ſors ruentibus obtuliſſet. Primi Galli occurrêre, communione generis, nominis, & patriæ, alio ſine dubio loco, quàm hoſtium habendi: ſed quæ reverentia ſanguinis, apud armatos? aut quid virium haberent jura neceſſitudinis vltra Alpes quęrendæ? cujus vincula facilè diſſilijſſent gladio rupta, niſi Galli concitatam in ſe vim aliò avertiſſent; & quidem, quod adjunctam habet infamiam, in fœderatos, & Romanos. Neque contenti amicum hoſti prodidiſſe, & velut expoſitum prædæ deſtinaſſe ad gladium, & lanienam; in majus inſuper ſcelus animorum levitate inclinati, jam ſpontè furentibus duces ſe offerunt, idoneos vtique, qui Romanum iter jam victorijs emenſi erant. Solicitant etiam Hetruſcos ad arma, quos norant fluxâ fide, temporariam cum Romanis amicitiam colere, quoties rebellare contuſi non poterant, poſt cladem modeſti. Sic in Romanos invecti fines, in peſſima cauſa optimam invenere Fortunam. Prædæ is demum modus fuit, quem exſatiata, & ſudans ſub ſpolijs avaritia ſibi ſtatuit; ſed hæc ipſa, quæ fidei oblitos in arma, ſociáſque terras Gallos tru-

RVPTVM. (margin)

INIQVI BELLI VLTOR DEVS. (margin)

truſerat, domum reverſos digniſſimo ſupplicio affecit. In illo enim ingentis prædæ congeſtu, cùm nulli quidquam ſatis eſſet, nec ex æquo dividi poſſet, quod per ſummam iniquitatem erat partum, jus ſibi gladio dixere, & in vlciſcendo ſcelere, Romanis arma, & manus commodantes, ipſi ſe prædones mutuis vulneribus cõfecere, ne impietas, quantumvis fortunata, longâ impunitate gloriari poſſet. Atque hæc octoginta quinque annis à capta Vrbe Polybius geſta memorat, pleraque omnia ſecunda Gallis, & ad exemplum primę Fortunæ: cujus propè conſtãtiam accuſare libeat, quòd, cùm Galli fœdus fregiſſent, ipſa non mutarit fidem, ſed illos etiam in præda adjuverit. At Livius compenſat, qui interim Romanis triumphos, & victorias agglomerat, & illos etiam annos, quibus Gallos quieviſſe Polybius memorat, Gallicis tumultibus implet, & negotioſos facit. Primùm enim vigeſimo tertio ab Vrbe capta anno (Polyb. trigeſimum nominat) in Albanum agrum irrumpentibus Gallis ipſe Camillum Dictatorem opponit, qui multis millibus cæſis, caſtris inſuper

Liu.lib.6.

LIVII ET POLYBII DISCORDES NARRATIONES

ſuper hoſtem exuerit, & ob rem bene geſtam, hunc jam alterum ex Gallis triumphum reportarit. Poſt ſex deinceps annos (Polybius duodecim interjunxit) ad tertium ab Vrbe lapidem Viâ Salariâ trans pontem Anienis Gallos caſtra locaſſe auctor eſt; adverſus quos T. Quinctius Pennus Dictator creatus armatâ omni juventute Romanâ ingentẽ eduxerit exercitum: quo viſo Gallos metu perculſos, pedem, fugientibus ſimiles, de nocte, retuliſſe, ex Polybio ſuprà retulimus; Livius ſubiti pauoris certam cauſam aſſignat, pluribus decantatam, & dignam hîc inſeri: Anio vtraque caſtra interfluebat, ponte vinctus, qui rixis potiùs, quàm prælijs Romanos, Gallóſque aliquamdiu exercuit, quæ victoriæ nomen vel non merebantur, vel dubiam ſuſpendebant: ſed vti juſtam pugnam non capiebat, ita gladiatoribus poterat in theatrũ ſufficere. Hunc ergò vacuum Gallus occupavit ſtolidè ferox, tantúſque ſui admirator, vt Romæ non crederet virum eſſe, qui ſecum ferro decernere vnus vellet. Si quis tamen eſſet tam prodigus animæ, qui ſuam vitam poſt patriæ famam pone-

Liu. l. 7.
Polyb. l. 2.

DVELLVM GALLI CVM ROMANO AD ANIENEM.

poneret, illum ad singulare certamen magno clamore vocabat, vel moriendo probaturum, quantopere Galli Romanis in pugna præstarent. Et verè non erat in Romano exercitu, qui se ad illam molem, & vasti corporis spacia posset expendere; etiam de animo suo dubitabant, posséntne hujus insaniæ parem opponere. Igitur terror longum silentium fecit, donec T. Manlius factâ à Dictatore potestate prodijt in medium, quem Gallus oculis permensus, & à corpore non magno æstimans, veluti miseratus, buccis fluentibus, & ejectâ linguâ ridebat periturum. Romanus tacitum furorem consilio moderatus, in magno corpore locũm potenti vulneri quærebat; Gallus mole corporis obumbrans imparem hostem, vires omnes, irásque, præceps, cum gladio, quem strinxerat, effudit; quem in se ruentem Manlius oculis, & flexi corporis obsequio exiens, hostem, dum consumptas vano ictu revocat manus, sine tumultu cõfossum, exaniméinque in ponte porrexit. jacenti torquem detraxit, à quo ipsi posthac, & familiæ Torquati nomen adhæsit, jam alterum

Man-

Manliorum ex duobus Gallis decus. Galli cùm fortunam totius belli ex hac prolusione æstimatam, parùm sibi prosperam ominarentur, proximâ, vt dixi, nocte se subduxêre, & teste Polybio, sponte animi, primùm per annos tredecim, deinde ex fœdere, per triginta alios, pacē à belli studijs auersi coluere: Liuius tamen proximo iterum anno, Gallos ad portam vsque Collinam, per quam vrbi olim exitium intulerant, progressos, Romam ad ipsa mœnia vexasse, auctor est, ægréque ingenti editâ strage auersos; quos, cùm Tybur palantes peterent, Petilius Consul exceptos, intra vrbem, cum ipsis Tyburtibus, compulerit, tantámq; sibi rem præstitisse visus sit, vt vno triumpho æquari facta sua posse non crederet; igitur geminum egisse; qui non immeritò Tyburtibus irrisui fuit, dicentibus, se ad spectaculum non pugnæ, sed fugæ Gallorum, per otium, vrbe egressos, indè violentiâ Romanorum, qui omnes homines hostes crederent, velut ex theatro gladijs in vrbem pulsos; hanc scilicet victoriam ex inermibus relatam, materiam fuisse non vnius triumphi, & dulcium Romæ Feria-

Ann. ante C. N. CCCLVI.

Feriarum, cui plausus de nihilo nascerentur. Post duos deinceps annos, Caijs Fabio & Plauto Coss. ingens iterum Livio contra Gallos bellum, per C. Sulp. Peticum Dictatorem gestum, cui Magister Equitum M. Valerius additus. Ex Gallis Boios tantùm nominat Appianus, sive solos id bellum gessisse significat, sive vt Duces præfuisse; magno documẽto, bella pleraque, quæ Livio, aliísq; Gallico nomine, celebrantur, cùm eandem causam habeant, potissimùm ad Boios pertinere. Eâdem tempestate ambo Consules in armis erant, suo vterque hoste districtus, qui tamen præ Gallo contemni posset. Igitur Dictator omne robur militiæ, & fortissimam manum ab vtroque exercitu abducit, suúmque conflat, ex ipso flore juventutis Romanę, gnarus adversus quẽ hostem iret, quem jam audierat circa Pedum consedisse, & pugnam in voto, in spe victoriam, consilia in præcipiti habere: similes ipse prope Gallis milites habebat, qui suis viribus, & honestissimo freti judicio, quó ipsi potissimùm lecti essent, qui Gallis objicerentur, optabant quamprimùm posse ostendere, in delectu suo non

Liv. l. 7. Eutrop. l. 2. Oros. l. 3. c. 6. Frontin. l. 2. c. 4.

In Celtic.

non esse erratum. Dictator neque fortunæ, neque militum ardori credere tutum existimans, ægrè ferebat, suos, & hostes eadem velle, à quibus ille etiam animi proposito censebat esse dissentiendum: vtrisque properationem illam vtilem esse non posse; suos, si prælium vrgeant, pro hoste pugnaturos, cui spes non in suis tantùm, sed alienis etiam armis sit; cætera omnia ipsi adversari; loco, inopiâ commeatus, & maximè tempore deteriorem fieri; neque fortius contra illum telum esse, quàm moram: proinde sedendo posse se vincere, & ad maturitatem victoriæ tacitis consilijs adrepere. Hæc quanquam erant verissima, non placebant militi armato, qui aliter, quàm manu, nesciebat victoriam parari; dicta hæc curiæ, quàm castris aptiora esse, velando timori inventa. Igitur quia ab hoste arcebatur, Dictatorem linguâ, & odijs impugnabat, vtique postquam BOII vallo, & fossâ clausos, semiviros, & fęminas, per contumeliam, appellabant. Cujus nominis infamiam cùm ingrato otio, & alienâ ignaviâ sibi partam vidissent, Dictatorem adeunt, & pugnæ potestatem propè

convicio expoſcunt, certi, ſi negare perſiſteret, ex caſtris diſcedere, Romæ commodiùs ſeſſuri, quando hoc jam agendum militi Romano eſſet; ſic everberata eſt Dictatoris conſtantia, & pugnam, non ex animo ſuo, in ſequentem diem edicit. Timebat tamen etiam, tam fervidis ſuorũ animis poſſe ſe vinci; quidquid igitur arte, & conſilio adjici potuit ad vires, in eventum pugnæ præparavit. Equitatum inprimis callido ludibrio auxit; nam cùm mulis onera detrahi juſſiſſet, ijs agaſonũ imbellem turbam, ſed ad oſtentationem armatam impoſuit; his equites immiſcuit, ad quorum nutum fungi illi flecterentur: ſic beneficio noctis tectos juſſit in montem evadere, & mendacium ſilvis tamdiu occultare, donec ipſe ſignum dediſſet ad eruptionem. Pedites ita inſtruit, vt qui primi pila in hoſtes ſparſiſſent, loco eodem ſubſiderent, donec ſecundi, & poſt hos tertij, quartíque miſiſſent, idem poſt jactum facturi; ſic neque tergum, neque nudum latus hoſti præbituros. Altero die ad radices montis latè aciem explicat, BOIIS non credentibus, in planicie ſui copiam facturos; poſt vbi

id

id quoque factum vident, totis effusi castris in Romanos irruêre, vt suus cuique ardor pro signo pugnæ esset; tantáque vi in dextrum cornu invecti erant, vt hesterna Romanos audacia nihil juvaret. Actum erat, nisi verecundia inclinatam aciem restituisset. Dictator enim cedentes objurgans, quærebat, vbi illa heroica dicta essent, quibus hostem heri jugulassent? pravo more illos, in castris malâ linguâ, in acie timidis pedibus triumphum quærere, manibus interim otiantibus: audaciam illam seditionibus probatam in tempus prœlij differendam fuisse, ad coarguendum Dictatorem, vanum illius heri metum fuisse. irent nunc, & moras illius accusarent, qui primus in prœlio, propior sit hostibus, quàm fugitivis militibus suis. Sic retractus pavidus miles, & victoria cum Dictatoris vocibus in alterum cornu translata. Tum deinde, cùm signo dato, etiam personati illi in mulis Equites de monte deruerent, & rudem dolum ferociâ, & incondito clamore animarent, veriti Boii, ne etiam castris pellerentur, illuc præcipitem fugam intendêre: sed aditus illos Magister Equi-

Infelix Boiorvm cvm Romanis pvgna.

tum occupaverat prior, vt nihil præter silvas & montes pateret: sed & hîc ab imbelli mulionum turba, quam neque victi timere honestè poterant, excepti, turpiùs quàm in acie cecidere; atque hunc in modum totum illum BOIORVM exercitum occidione deletum Appianus auctor est. Præda etiam ingens relata, & magnum auri pōdus quadrato inclusum saxo Dictator in Capitolio dedicavit, quod illius auri jacturam solaretur, quod Roma Brenno ad libram appendit. Post octo ab hac pugnâ annos, Gallos in agro Latino à M. Popilio Lenate concisos, & castris exutos auctor est Livius. Itidémq; anno, qui hunc proximè secutus est, in agro Pomptino à L. Furio Camillo ingenti strage afflictos, apud eundem reperio. Quo bello durante M. Valerius Gallum ex provocatione secum viritim pugnantem occidit; tantáque eius dignatio victoriæ fuit, vt quanquam Corvus eo in duello Romano suppetias tulerat, alis, rostro, & vnguibus Gallū impetens, aureâ nihilominus coronâ, & decem bubus, & sequentis insuper anni Consulatu, cùm viginti trium etiamnum annorum esset, &

Liv. lib. 7.

M. VALERII TORQVATI NOMEN VNDE

& Corvini nomine in familiam inferendo, donatus fit, æquale decus Manlio consecutus, quem ipsum etiam anseres, sacræ Junoni aves, clangore adjuverunt, quominùs autem Corvinus, vti & ante ipsum Torquatus Jovi Feretrio spolia opima ferrent, non æstimatio facti obstitit, sed quia alienis auspicijs rem tantam gesserant. Sedecim proximos annos Gallorum otio concedit Livius, post quos fama reparati ab inquietâ Gēte belli, pro tumultu valuit; & creato eam ob rem M. Papirio Crasso Dictatore, multo majore curâ delectus, quàm adversus finitimos, habiti; cúmq; instructum agmen in procinctu esset, quærendus per exploratores hostis fuit, neque vsquam est repertus. Maluere tamen Romani mentienti famæ ignoscere, quàm dormientem Gallum excitare. Val. Max. l. 3. c. 2. Liv. l. 8.

VII. Boii Alexandro M. Macedoni conciliati.

PORRÒ Boios socióśque populos, ne belli tantùm artibus inclarescerent, per hæc ipsa tempora comperio Regis non eâ solùm tempestate, sed omnibus retrò sæculis maximi amicitiam ambijsse, & impetrasse. Hi enim illi anni sunt, quos Alexander Macedo immortalibus victo-

rijs illustravit: cui vni homini orbis angustus, & major animus rerũ naturâ fuit; cum quo nemo vnquam comparatus est, vt non ad illam laudem erubesceret, cùm maximum propè mortalium votorum esset, vel tantillum illius simile habuisse. Enimvero quanquam hic Sol in Asia potissimùm luxit, pleræque tamen Gentes aliquem illius ad se radium rapere jam olim sunt conatæ. Livius certè, cùm aliud nihil haberet, illud tamen sibi curiosissimè sumpsit disputandum, quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit: & quia haud difficile est, barbam mortuo Leoni vellere, regij nominis, famæque contemptor, multos illi duces opponit, quasi scilicet Roma non vnum tantùm habuisset Alexandrum: copias etiam copijs, facta factis comparat, & vbique vincit, illúmque orbis triumphatorem nullo negotio debellat: cujus ego litis vti judex esse nolo, ita BOIORVM, Sociorúmque factum his plausibilibus dictis haud paulò pulchrius existimo: hos enim necessariò fuisse interpretor Gallos illos, quos Ptolemæus Lagi perpetuus expeditionum Alexandri comes,

Liv.l.9.

Strabo l.7.

comes, ab Adriatico mari, cui adsidebant, venisse narrat, famâ nominis excitos, ad amicitiã cum tanto Rege jungendam, & hospitium faciendum: quos cùm ille comiter accepisset, & in convivio percontaretur, quidnam maximè omniũ metuerent, certus nihil aliud responsuros, quàm præter ipsum Regem, timere se omnino neminem: illi renidẽte vultu, eam vnam rem sibi sollicitudini esse dixere, NE CÆLVM RVAT, quo libero, fortíq; dicto neque Rex indelectatus est, posteritas verò illud etiam adoravit, eiúsque gloriam plures ad se populi ambitiosè traxere; hodiéque fertur in primis, & certè meruit, vt à me suis auctoribus redderetur. Scio Aventinum illud ex suo addidisse, BOIOS Alexandro bellum indixisse; sed vir ille eâ fronte fuit, vt ad nullum dictum erubesceret, sempérque annalium, aut anilium potiùs carminum auxiliares copias in promptu habuit, quas ad testimonium vanitatis opidò obsequentes, vbi libuit, vocaret. Mihi Gentis BOICÆ, sociorúmque populorum gloria neque tali tibicine quidem fulcienda videtur: quando hæc tria

BOII QVID VNVM METVERENT.

Legatorum generosa verba satis magni animi argumentum præbent; cur illũ regem bello lacesserent, nihil erat; ostenderunt tamen, si lacesserentur ipsi, superesse sibi vim, & voluntatem resistendi: dubitamus scilicet viros dicere, qui ante cæli ruentis fragores causam se negant habere timendi.

VIII. DVM hæc foris, per Legatos, amicitia quæritur, conciliatúrque, domi neque illis annis, quibus vel fœdera, vel privata vota Romam à Gallis tutata sunt, idem otium alijs Gentibus concessum. Nam quod de Patavinis Livius memorat, eos propter Gallos accolas arma numquam exuisse, id ad alios quoque transferendum, qui Gallis adsidebant; difficile erat tam irritabili Genti non dare causam bellandi, quæ lites etiam civiles ferè militariter decideret, & Legum foríque compendium ferro faceret. Et quanquam necessariò tot bellis, quæ Livius nec pauca, nec sicca memorat, accisam esse oportet Gallicam sobolem, tantum tamen perpetuâ felicitate in supplementum subnatum est, vt illis solæ ferè essent de finium angustijs querelæ, magna iterum bello-

rum

rum causa, quibus fortes illi viri titulum necessitatis prætexerent; eius rei illustre exemplum annus CDLVI. ab V.C. præbet, quo tandem cum Polybio Livius in concordiam redit. Eo igitur anno, quo Gallos jam veteres Italię incolas, novis ex Transalpina Gallia advenis duces ad Romanos fines invadendos fuisse supra ex Polybio retulimus, Hetruscum agrum ipsos ex itinere invasisse Livius auctor est, quibus in Romanos perpetua vel bella, vel odia; & commodùm contra inducias tum bellum parabant; cujus cursum illa Gallorum inundatio stitit; quos tamen Hetrusci maluerunt auro, quàm ferro expugnare, quo fidem societatis, & communium contra Romanos armorum emere optabant; etsi illud de Romanis, in tabulis conventionis non erat expressum. Cùm aurum numeratum esset, indixere ijs velut obnoxijs, & stipendio conductis profectionem Hetrusci in Romanos; Sed ea Gallis cordi non fuit; auro vim suam duntaxat redemptam esse dictitantibus; hoc pauxillo sibi persuasum, ne ferro vterentur in Hetruscos; id si in Romanos stringẽdum sit, majorem spem

Liu. lib. 10.

HETRVSCI GALLICVM BELLVM AVRO REDIMVNT.

ostendendam esse, quàm stipendij; si se in partem agri admitterent, commilitones se fore, & eosdem hostes, & amicos habituros. Sed Hetrusci Gallum belli socium optabant, non domi vicinum: ita Hetruscis aurum perijt Gallis in stipendium otij persolutum, qui novâ arte, etjam cùm nihil facerent, rem tamen faciebant. Roma interim trepidabat, cùm repens fama tumultum Gallicum cum Hetrusco bello involveret; eóque majoribus Hetruriæ viribus imminebat, vt jam infelicitatem consilij sui Hetrusci palàm accusarent, quòd Gallorum auxilia non etiam parte Patriæ suæ emissent, de qua jam tota periclitentur; ergo cùm illis nec in suis, nec alienis armis spes esset, studiũ belli simulatione pacis texêre, quod commune astutiæ de successu desperantis scutum est, sub quo illi quidem latuere; sed Samnites totâ belli mole pressi, oppressíque sunt, neque castris solùm, sed etiam patriâ pulsi; Ij fugitivas exercitus sui reliquias in Hetruriam traxere, armatis precibus Hetruscos expugnaturi, vt pro communi libertate arma caperent; & honestum periculum tuto servitio

tio potius ducerent; quandoquidem Samnitibus oppressis, non finis belli futurus sit, sed ipsi ad resistendum infirmiores, velut alterâ manu capti. Habere ipsos accolas Gallos, Gentem innatam, innutritámq; armis, & quidem fatalibus Romæ; Hetruscis ipsis hæreditarium in Romanos odium à Porsena relictum, & artem domandæ superbiæ toti Italiæ insultantis; facilè duos populos, si animos, & arma, quibus singuli olim triumpharint, jungerent, probaturos, se à majoribus non degenerasse; se verò non ita victos esse, quin præter arma grandes iræ supersint, quibus calamitas pro cote fuerit; certè spem adhuc animo ali, duorum felicitate populorum, domesticam fortunam suam posse emendari: de quantum demum questuri sint, si ab Hetruscis deserantur: Hetrusci miseram caussam suscipiunt bello tuendam, in cujus societatem non tantùm Gallos, sed & Vmbros illorũ accolas pertraxere: quos vbi Roma audijt sibi hostes parari, primùm omnium, maximum bellum maximo demandatum Duci, quo tum res Romana potissimùm nitebatur; is Q. Fabius fuit,

BELLVM SOCIALE GALLORVM, HETRVSCORVM, ET SAMNITVM CVM ROMANIS.

fuit, magno jam natu, & canâ prudentiâ in ſago & togâ triumphante. Is ſibi P. Decium Murem adſcivit Collegam, ita tamen vt crederet ſe ſolum bello parē fore: eòque in Hetruſcos, Gallos, & Samnites iturus, non niſi quatuor peditum millia, & equites ſexcētos Româ eduxit; triumphos ſuos, & magni nominis famam in ſupplementum trahens, nimis blandè de hoſtibus cogitans, ſi illos veteribus pugnis ſperavit ſe conciſurum. Rebus tamen propiùs inſpectis, paſſus eſt ſibi perſuaderi, vt Publium Decium non jam vt vmbram, ſed verè Collegam belli adminiſtrandi caperet, cum quo dum à caſtris abeſt, ingentem ea cladem accepere à Gallis; nam illorum eam propriam gloriam Livius facit. L. Scipio pro Prætore ijs præerat, in agro Cluſinorum, qui & Camartes olim dicti: qui cùm Gallos adventantes ſenſiſſet, vt loco ſibi & ſuis caveret, aciem in colle erexit, quem jam alio itinere abdito ab aſpectu, Galli ſubierant, prioréſque jugum ceperant; indè pariter ſe à tergo hoſti oſtendêre, & in medium invecti agmen totam Romanorum legionem delevere: cúmque nemo ſuper-

ſupereſſet, qui adventantibus Conſulibus indicium faceret, Galli capita cæſorum lanceis præfixa, & pectoribus equorum ſuſpenſa ferentes, in conſpectum Conſulum ſe dedêre; his mutis nuncijs clades intellecta, in qua deſcribenda Livio tandem cum Polybio convenit; ſed, in proximæ eventu pugnæ ab eodem rurſus diſcedit. Polybij ſententia clara eſt, & Perotto rectè intellecta; illam etiam pugnam fugâ Romanorum finitā; quanquam novus interpres oſcitantiâne, an quo alio ſtudio invitum ſuffragari Livio cogit, qui victoriam Romanis tranſcribit, non quidem lætam illam, & incruentam, ſed alterius Conſulis, & octo millium ducentorum morte funeſtam: Nam cùm Apennino tranſito in Sentinatium agro hoſtem eſſent conſecuti, duóſque dies velitationibus abſumpſiſſent, juſto tandem prælio congreſſi, cùm fatigare ruentem hoſtem Decianus Eques, pedéſque ſummâ vi connixus non poſſet, Gallique ex eſſedis pugnantes, quacunque inveherentur, ſtragem maximam ederēt, P. Decius in caput ſuum averſurus communem calamitatem, & conſularis impendio

P. DECII DEVOTIO.

pendio

pendio animæ empturus Collegæ triumphum, Dijs se Manibus devovit; Galli devotam Orco victimam suis manibus ceciderunt; ibi versa Fortuna belli; Decio scilicet post mortem viribus aucto, & involutam suis execrationibus aciem ad se raptante, vt dira illa verba viribus Romanis potentiora fuisse videantur. Fabium porrò in dextro cornu curantem ingenio vicisse Liv. narrat; nam cùm illi persuasum esset, Gallorũ corpora cognata Alpibus, ingenium à cælo, & nivibus suis trahere, quarum rigor omnis solè mitescat, sperabat feroces illos impetus calore solvendos, virtutémque paulatim exudandam: hinc extracto in serum diei certamine, jam lassitudine victos Gallos integris suorum viribus adortum stravisse. Enimverò perpetuas Livij cum Polybio pugnas Lectori me cum fastidio ingerere pridem intelligo, indignanti, Græcum, & Latinum hominem stilo inter se digladiantes, dubias omnes victorias facere, & jam neque Gallis, neque Romanis satis esse in acie vicisse, cùm hi triumphos pro libidine, velut pueri pilam de manu in manum transferant;

CAVSÆ DISCORDIARVM LIVII ET POLYBII.

Sed

Sed hæc non hujus loci tantùm querela est; bene cum Historia ageretur, si hæ lites hîc finirentur. quanquam de aliis suo loco videbimus, ne veritati, gloriæque Gentis Boicæ plus calami, quàm gladij nocuisse videantur. Polybius, de quo hîc agitur, nec indiligentiæ, nec malæ fidei causam vnquam dixit, vt Livio nihil magis, quàm hujus integritas obesse videatur. Quanquam neque Livium existimo scientem, prudentémque voluisse fallere; sed cùm in turbam Scriptorum incidisset, qui res Romanas ante ipsum celebraverant, illorum fidei incubuisse. Atqui erant inter hos ipsos jam tum pugnæ plures, quàm Pop. Rom. fuere pro Imperio orbis terrarum; quas Livius non dissimulat, & aliàs apertè producit, aliàs ipsâ anxietate confitetur, & credendi verecundiâ, quæ priscis in scribendo defuerit. Quid quòd ex clarissimis familijs historici prodiere, qui deinde plus Genti suæ, quàm patriæ irent consultum; ita certè Marci Licinij narrationes ipse Livius elevat, ob quæsitam alicubi propriæ familiæ laudem. Fabij verò Pictoris magnis in Rep. sua honoribus functi, quíque plera- Livii defensio.

plera-

pleraque visa sibi scripsit, eóque nos oculis suis credere jussit, tanta in scribendo vanitas fuit, vt ipsa se confutet. Erant præterea privati Romæ commentarij illustrium familiarum, non ex vero scripti, quorum tamen auctoritas vetustate, & ævo suo evaluit, & historiam maculavit; audacis sententiæ invidiam Ciceronis auctoritas levabit, cujus verba operæ puto

» adscribere ex Bruto: Ipsæ familiæ, in-
» quit, sua quasi ornamenta, ac monu-
» menta servabant, & ad vsum, si quis ejus-
» dem generis occidisset, & ad memo-
» riam laudum domesticarum, & ad illu-
» strandam nobilitatem suam; quanquam
» his laudationibus historia rerum no-
» strarum facta est mendosior; multa enim
» scripta sunt in eis, quæ facta non sunt,
» falsi triumphi, plures Consulatus, ge-
» nera etiam falsa, & ad plebem transi-
» tiones, cùm homines humiliores in
» alienum eiusdem nominis infunderen-
» tur genus. Neque verò fuit hujus levi-

l.15. Epist. Fam. tatis verecundia, decoras fabulas, sed pro historia valituras, fallacibus chartis illidere; ipse ille Cicero, qui apud Catonem jurare ausus est, neminem vnquam

&

& naturâ, & magis etiam ratione, & doctrina ab inani laude, & ſermonibus vulgi ſe ipſo fuiſſe remotiorem, Lucceium rerum Rom. ſcriptorem, quàm blanda epiſtola demulcet, vt ſui Conſulatus Acta literis mandet, ornétque vehementiùs etiam, quàm ſentiat, & in eo leges hiſtoriæ negligat. Quæ vrtica hunc virum ſi momordit, multò magis communem illorum temporum morbum arguit, & neſcio quomodo infirmam ſubinde hiſtoriam facit: quanquam cùm ſcriberetur, ſua illam Fortuna defendit, vt immodicas illas laudes cum ſuo conjunctas probro Gẽtes humanæ tam æquo animo paterentur, quàm ipſum imperium ferebant. quæ excuſandi Livij causâ attuli, cui vtcumque de ſe merito Boica omnis operæ pretium numquam reddiderit; quãdo, ſine illo foret, tota Boiorvm ſæcula caliginoſa nox premeret; quę ſi illius luce non ſemper, ex merito, perfuſa ſunt; at certè radijs perſtringi Principis Hiſtoricorum invidendæ fortunæ fuit; & in æternæ hęreditatem glorię poſt Pop. Rom. vel in vltima cera admitti, quanto emptum clariſſimæ hodie Gentes vellent! l. 5. Epiſt.

IX. SED à diverticulo repetatur narratio.
Polyb.l.2. Decem elapsis à novissima pugna annis,
Orosius. Galli Aretium Hetruriç validissimam vr-
BELLUM bem obsidione cinxere. Ea ante annos
ARETI- novem, L. Posthumio Megello, & M. At-
NUM. tilio Regulo Coss, missis Romam Oratoribus, inducias in quadraginta annos impetraverat. Romani igitur sociam vrbem non deserendam rati, L. Cæcilio Consule vrbi obsessæ auxilio venerunt, quos sub ipsis mœnibus Galli adorti, ingenti prœlio vicere; ipso adeò Consule occiso; septem insuper Tribunis militaribus, & Nobilibus permultis, & tredecim hominum millibus desideratis; captivis etiam magno numero abductis, ad quos redimendos M. Curius, qui in locum occisi Consulis subrogatus erat, Legatos fide publicâ misit. Sed Galli felicitate suâ ebrij, oblitíque communia jura humanitatis, honestum superante flagitio, Legatos per summum scelus occidunt; cu-

IURIS jus facti infamiâ non modò pulchræ glo-
GENTIUM riam victoriæ obruêre, sed eodem ferro,
VIOLATI quod in Legatorum cervicibus cruenta-
POENA. runt, Gallici roboris nervos, & constantem Fortunæ benignitatem succiderunt, meri-

meritò posthac infelices, cùm impij esse cœpissent. Romani enim proximo anno P. Cornelio Dolabella, & Cn. Domit. Coss. vlturi nefas, fines Gallorum ingressi, Senones, ad quos potissimùm scelus pertinuisse credam, ingenti strage oppresserunt & impetu victoriæ vsi, victos solo patrio ejecere, vt bona causa, & vindicata justitia in illorum fuga amplissimè triumpharent; quin imò vt omnem illis spem reditus præciderent, coloniam in eorum agrum deduxere, quæ de Gallis Senonibus SenaGallica dicta est; in quod nomen omnis illa fortissimi populi gloria resedit, documento futura posteris, frustra armis tegi nudum virtute, cum qua ferè Fortuna exuitur. Centum annos, & ampliùs Romam, vel vi, vel metu Senones versarunt; violatum à Romanis Legatis jus Gentium, in bello Clusino, flammâ, & ferro Gallico, Deo vindicante; & quantillum aberat, vt septem Romani montes nudarentur? cùm sex jam arsissent. Sed cùm ad Gallos transisset impietas, ausa etiam in Legatos sævire, mox Romanus jure potior, etiam fortior evasit, & Senonibus de patria ne-

SENONES ITALIA EIECTI.

 que

que cespitem reliquit. Igitur illis suo scelere proscriptis, experti sunt BOII, Romanorum imperio Apenninum, animis eorundem ingentem fiduciam accrevisse: Gallos fortem socium, Romanos acrem hostem amisisse: si incendium in Senonibus cœptum latiùs serpat, parietem suum proximum esse, nisi illud hostili sanguine, quàm suo malint restinguere: certè tam vicino hoste vel habendum metum, vel faciendum; nam Romanos ipsos felicitati suę frenum non injecturos: raro modestiam victori accidere, nisi nomine perdito: Igitur ne hostis in solo suo vel pedem poneret, vel signa explicaret nuper victricia, ipsi suo potiùs, quàm hostium voto pugnaturi, raptis secum Hetruscis, quibus semper promptæ in Romanos iræ, ad Lacum usque Vadimonis progressi, cum Romanis acie concurrerunt, ingenti animo, nullo successu; Hetrusci maximam partem cæsi, BOIIS paucis fuga saluti fuit. Ea clades eorum vires nonnihil attrivit, ingenium non mutavit: quinimò curam duplicavit, bellum omnibus opibus reparandi, ne semel victi extremam necessitatem,

INFELIX BOIORUM PUGNA AD LACUM VADIMONIS. A. ANTE C. N. CCXX[illegible]I.

tatem,

tatem, aut duras victoris leges viderentur muliebri ignaviâ expectare: ambiguam fieri Romanorum victoriam credebant, si ipsi priores arma sumpsissent, cùm id vix audeant victi. Igitur armatâ omni juvẽtute suâ, proximo anno, C. Fabricio & Q. Æmilio Coss, Hetruscis iterum reliquias virium suarum admiscentibus, cum Romanis congrediuntur, vincuntúrque, iterum ab æterna illius Gẽtis felicitate plexi: illud tamen consecuti sunt, vt Fabricius Consul pacem petentibus non negaret, quod Hetruscis non contigit, de quibus sequente mox anno iterum est triumphatum: Sed BOIORVM ea virtus, etiam infelici bello cognita est, vt neque victos liberet lacessere; ita pacis, bellíq; arbitrium, in vtraque Fortuna, penes BOIOS fuit; quod rarum etjam Victoris est privilegium. Pax igitur cum illis facta, triennio priùs, quàm Pyrrhus in Italiam trajiceret, & quinquennio ante Delphicam cladem, cùm conjurata in perniciem Gallorum fata illorum jugulum etiam in Græcia peterent; vt eadem Gens agendo, patiendóq; fortia, per omnia humanæ vicissitudinis ja-

Polyb. l. 2.

ANTE C. N. CCXXC.

BOII ITERVM VICTI A ROM. PACEM PETVNT.

ctata exempla, vtramque paginam faceret, vtriusque victrix Fortunæ. Quadraginta deinceps, & ampliùs annis, à Gallis Romano otiũ fuit, qui profectò quamdiu inter Vejentes, & Faliscos, cæteróſq; minorum Gentium rorarios bellatores hæsit, tyro fuit, & velut ad palum exercebatur. Gallia illum militem fecit, Polybij vox eſt, Pyrrho, & Annibale meliorem, induratúmque cladibus, ad patientiam vulnerum, & ſanguinis contemptũ perduxit: vt quidquid ex Epiro, & Africa convectum eſt malorum, tolerabile eſſet graviora paſſo; certè Capitolium deinceps obſeſſum non eſt, & Italia Annibalem luſcum, non canum fecit. Gallici verò belli non tantùm centum annos jam numeravimus, & tamen ſumma victoriæ eſt, Senones expulſi, Boii quieti, ſed iterum pugnaturi. Ab his proinde nunc otioſis ad negotioſos aliò divertamus.

Polyb. l. 2.

X. SVPRA à nobis commemoratum eſt, alteram Gallicæ Gentis coloniam, Sigoveſo duce, in Hercinios ſaltus ductam, BOIISQVE illic latam, & æternâ arborum coronâ incinctam planiciem pro patria

tria fuisse: sed illa ingentium sine dubio conscia factorum, præter superbum BOIOHÆMI nomen, quo hodiéque triumphat, nullum BOICÆ virtutis monimentum ad nos misit, jam tum prospiciente Deo, Maximum olim BOIORUM Principem vetera Gentis suæ decora, & fortem juxtà, ac felicem manum Boiohæmo repræsentaturum; cujus triumphos cùm vno ore, magnus præco, cantaturus esset orbis terrarum, veniam hanc verecundæ antiquitati dandam esse, si primorum facta Principum, hujus Sæculi, Virique obruenda victorijs, Bojohæmo sepeliret, vt illis quidem nomen, appellationémque, huic autem gloriæ, famæque æternitatem debere sese, fateretur. Verùm qui BOIORUM Italiam incolentium Genius fuit, vt virtutem suam neque Pado, neque Apennino claudi paterentur, idem etiam his, quos nunc loquimur, Herciniæ silvæ orbem aperuit. Tempus prodere vetustati curæ non fuit, melioribus occupatæ: Sigovesi nulla deinceps extat memoria, sive ille fatis jam concesserat, sive, constabilitis in Boiohæmo rebus, exundantem multitudinem emisit, do-

BOII EX HERCINIA SYLVA ET BOIOHÆMO COPIAS EDUCUNT.

 mesti-

mesticâ ipse gloriâ contentus. E Bojohæmo tamen in Illyricum, Pannoniam, Thraciámque emigratum esse, atque hinc aliò, atque aliò diversum, rebus necessarijs omnibus ostendemus. Nam qui ex Justini arctâ epitome, gesta, annorum, locorúmque intervallis divisa in vnam lineam compingentis, evincere laborãt, ex Italia portionem Gallorum in Illyricum, atque indè aliò concessisse, vt alia omnia deessent, solis populorum nominibus, à quibus ea expeditio suscepta est, poterant ab errore deduci; nam cùm Tectosages in ijs disertè nominentur, eos profectò ex Italia educere non possunt, cùm eò numquam commigrarint; quos tamen ad Herciniam silvam, fertilissima Germaniæ loca insedisse, jam suprà ex Cæsare demonstratum est: quanquam, quia salvo eo Cæsaris loco, languere audaciam censuræ suę videbant, Tectosages indè, insigni, vt diximus, temeritate, eraserunt. Præterea, cùm Livius Galliæ populos tam solicitè memoret, qui Bellovesum, aut privata auspicia secuti in Italiam sunt, si qua ab illis avulsa portio in Illyricum abijt, mirum est, nullius

lius illic nomen vnquam auditum. Atqui præter Tectosages BOIIS Hercinianis finitimos, Trocmi, & Tolistobogij nominantur, quos Strabo cùm Gallos esse non dubitet, negat tamen, vllos, eo nomine, totâ Galliâ, populos reperiri; rectè omnino; quia ad Herciniam demum silvam nata hæc nomina sunt; Et quidem vt pro Trocmis non laborem; Tolistobogios tamen fidenter, Genti BOICÆ assero; Caroli Sigonij viri doctissimi, & sine dubio non emancipati BOIIS, fidei innixus, affirmantis, se in veteribus M.S. Cod. TOLISTOBOIORVM nomen exertè scriptum reperisse; quamquam necesse non est, alienis tantùm oculis credere; ipsi nos in Livij exemplaribus doctâ manu in membrana exaratis, & Bibliothecâ Palatinâ abditis, quæ captâ nuper Heidelbergâ, spolium facta est, TOLISTOBOIORVM nomen constanter scriptum inspeximus, jam alterum nostræ sententiæ fulcrum. Ipse tandem Strabo Tolistobogios (vtì ille eos appellat) à Duce nomen sortitos auctor est, vt verosimillimum sit, illos BOIOS eo significari, qui Tolisti cujuspiam signa sequerentur; quanquam nec

Strab. l. 12.

TOLISTOBOIORVM NOMEN VNDE NATVM.

nec vernacula vocabuli origo infeliciter inventa est, vt quando omnium BOIORVM spectatissimi, totiúsque populi delibatus flos expeditioni huic nomina dêre, inter inconditos militariter joculantium plausus TOLISTE BOIOS voce patriâ, quæ omnes illas laudes significat, dictos esse, pronum sit creditu; quomodo deinde, qui ex certis causis Ostrogothi & Wisogothi dicti sunt, ijdem nihilominus Gothi fuere. Porrò Hercyniæ silvæ, ante hanc profectionem à Gallis habitatæ, apud Justinum memoriam non extare, is sanè miretur, qui nescit illum Epitomen fecisse, non tam scribendo, quàm silendo; quo vtroque nobis Trogum perdidit, numquam elugendâ jacturâ, vt vel eo nomine adoranda Livij diligentia sit, qui vtriusq;, & Italicæ, & Hercinianæ expeditionis explicato consilio, nominatísque Ducibus, Justini omnia consarcinantis non Historiæ, sed Satyræ, auctoritatem, & fidem detraxit; vt illius, hac quidem in re ratio habenda nulla sit, nisi obscurâ jejunæ narrationis breviloquentiâ ex Liviana copia locupletatâ: Quod ipsu nobis in reliqua illius narratione omni,

quâ

quâ Gallicas res perstringit, necessariò est faciendum; quam in morē labyrinthi implicatam ad Pausaniæ filum, facémq; extricabimus. Ex quo palàm fit, haudquaquā Gallos ex Illyrico in Pannoniam abijsse, atque indè divisis agminibus, alios Græciam, alios Macedoniam petijsse, quod præposterè Iustinus, & oscitanter scripsit. Primam enim Gallorum expeditionem Duce Cambaule susceptam, in ipsam usque Thraciam commemorat, quam Justinus ne attigit quidem. Ad alteram demum evigilavit, multò majore apparatu repetitam; sed & illam tenebris implicat. Illa, referente Pausaniâ, ejusmodi fuit: Ij, qui Cambaulem olim secuti fuerant, cùm ebrij fortunâ suâ, quæ se illorum animis superfuderat, ad domesticam paupertatem redijssent, odisse cœperunt inopem patriam, tenerrimos naturæ affectus avaritiâ mergente: durum erat, agris ingemere, aut cibum exsculpere è patrio solo, in alieno dulciorē, cúmque hilari labore, id est, prædando parabilem. Dum ergo prioris bona militiæ, alterúmque Cambaulem suspirant, & civibus suis velut faces admovent, quampluri-

Pauf. l. 10.

PRIMA ET SECUNDA GALLORUM EXPEDITIO.

plurimi horum dictis, vel egestate, vel denique cupiditate accensi, tam blandas secururi spes conveniunt; peditum, equitúmque tantus numerus, qui tripartito agmini sufficeret. In Thracas & Triballos moturis Cerethrius dux datus: in Pãnoniam contendẽtibus Brennus, & Acichorius cum summo imperio præfecti; in Illyricos tandem, & Macedones agmen traxit Bolgius, seu Belgius. Videbatur hic ante se pauorem, & formidinem agere, quibus Regum, Populorúmque animi externati ab honestis consilijs ad tuta præcipitabantur; nulli in viribus spes: pacem auro, non ferro pacti, sub nomine amicitiæ turpem servitutem emebãt. Vnus omnino Ptolomæus Ceraunus Furijs scelerum suorũ rapiebatur in arma, & necem suam; divina, & humana jura tandem invidiæ erepturus, quę ad ipsius scelera nimis diu videbantur dormitasse: Erexerat stolido Regi animos, quod Macedonibus imperabat, quorum parentes nuper triumphum ex orbe terrarum egissent, & vltra quorum victorias neque Sol viam nosse credebatur: adcóque existimabat ipse, Alexandri fortunam, ad se cum

SECVNDA TRIPARTITA.

Pauf. l. 10. Iuft. l. 24. ANNO V. C. 471. ANTE Chr. N. CCXXC.

RES CVM PTOLOMÆO CERAVNO GESTÆ.

cum reliqua hæreditate, & regno devolutam. Cùm igitur Galli Legatos misissent, qui Regi pacem venalem, suo more, offerrent, vanus ille timeri se ratus, Gallos vim deprecari vulgò jactitans, nihil mediocre cogitabat, loquebatúrque: Legatos deniq; Gallorum cum his responsis dimisit; precariam pacem se his conditionibus concessurum, si Duces obsides, & arma traderent. Id enimvero Gallis luculentum visum est delirium; proinde mox furioso illi sanguinem à cerebro missuri, pugnam ineunt, & Macedonibus fusis, fugatísque, Ptolomæo stolidum caput amputant, præfixúmque hastæ, totâ acie circumferunt, vt quem vivus Gallis incutere metum non poterat, suis mortuus immitteret. Attoniti tristi spectaculo Macedones, in Vrbes suas dilapsi, desperationem salutis ijsdem intulêre. Omnes igitur ad lamenta, & obtestationes versi, vagíque per delubra, Deos, Deásq; supplicijs, & votis fatigabant; & cùm neque in ijs satis spei esset, invocati etiam Philippus, & Alexander, vt prę́sentia Numina, vt qui illis ducibus orbi jugum imposuerant, nunc in patria possent vel victi

PTOLOMÆO CÆSO MACEDONVM CONSTERNATIO.

ĉti vivere; nec Macedonia eſſet Gallorum, cùm nuper Mundus fuerit Macedonum. Vni ex purpuratis Soſtheni in communi deſperatione aliquid animi ſupererat, qui, caſtigatâ popularium inertiâ, non id tempus eſſe imbellium lacrymarum aiebat; movendam potiùs cum Deo manum, & Alexandri fortunam Alexandri virtute quærendam; non agniturum illum Macedones, qui ad vnius Gentis, indignæ, quæ à ſe olim vinceretur, ejectitiam turmulam trepidarent, cùm ipſe plures populos domuerit, quàm nunc propè in exercitu hoſtili homines ſint. Ita recreatos ex metu contra Gallos ipsâ victoriâ incautiores eduxit, eo operę pretio, vt Galli progredi non auſi, ſeſe intra ſuos fines receperint. Brennus Belgium viciſſe lætus, ringebatur tamen, eundem victoriâ vti neſcijſſe, cúmque provinciam onuſtam ſpolijs orbis terrarum, & Alexandri rapinis ditatam, dextro pede acceſſiſſet, ab aurea meſſe modico ſpicilegio contentum abijſſe: Parcentes ipſe dexteras peroſus, ad tertiam expeditionem ſuos armat. eóſque non meditatâ oratione animat, cùm neque eloquentiæ

SOSTHENES MACEDONES CONFIRMAT.

TERTIA EXPEDITIO BRENNO DVCE, ANNO ANTE C.N. CCXXIX.

tanta

tanta apud armatam Gentem esset existimatio, neque verbis compositis ignavo virtutem addi posse, Brennus crederet; vafro potiùs spectaculo illos irritare aggressus est. Ex Græcis captivis ignobilissimum quemque, luridissimúmque seligit, omnes vel invidiâ naturæ, vel fortunæ iniquitate deformes; enormiter breves, calvos, aut de industria rasos, ne quẽ fortis viri pilum ostendere possent, siccos, exangues, & jam pridem morti debitos, vmbras denique, & simulachra veriùs, quàm homines: Hoc capulare agmen cùm produxisset, componit cum singulis ex juventutis Gallicæ robore, vt quisque vel corporis mole, aureâ cæsarie, gloriâ armorum, viriúmque præstabat; verbo, Gigantes cõtra pumilos educit, atque hoc ludo occupatis suorum animis, ad talem ipsos hostem ituros affirmabat: hos Græciæ esse defensores, hos nuper cum Alexandro orbem subjugasse, eidémque nomen Magni peperisse; proinde nihil magis se timere, quàm ne derideri se fortissimi Galli putent, qui contra hos nanos ducantur, quos, quantumvis terrarum orbis victores, vicisse, ignominiæ,

Polyæn. l. 7.

BRENNI STRATEGEMA.

Pausl.1.

miniæ, quàm gloriæ propius esse videatur. Hac arte Brennus peditum centum quinquaginta duo millia, Equites vicies mille, & quadringentos contraxit, siquidem merum Equitatus florem numeres: nam reuera si omnes ad calculos revoces, supra sexaginta millia Equitum trahebat. Nam vt primarium illud agmen velut immortale redderet, ita instituerat, vt singulos Equites Accensi duo, itidem in equis, sequerentur, ad omnem Fortunæ euentum parati; vt si primario illi equus perijsset, prior ex comitibus suum subjiceret; si Eques ipse, in acie cecidisset, vel quo alio fato abriperetur, tum viro vir succenturiaretur; quem ipsum si eadem fortuna abstulisset, tertius ad vicariam operam vocaretur: Atque hunc equestris disciplinæ tergeminum ordinem ipsi Trimarcisiam appellabant, ab equorum triga, quomodo hodiéq; Germani Equum Marcam, Marrámque vocamus. Cum hoc ille formidando exercitu Macedoniam primùm invasit, Sosthenémque prioris fortunæ spe contrà egredi ausum nullo negotio profligavit, totámque regionem latè populatus, cùm

EQVITATVS GALLICI SIVE TRIMARCISIÆ QVÆ FORMA ET RATIO.

præ-

prędam tot populorum veheret, & splendidas illas gloriæ, opúmque Alexandri M. reliquias convasâsset, visus est illarum contactu etiam Regis illius avaritiam induere, vt quò plura haberet, acriùs, quæ non habebat, concupisceret; quódque fœdius est, jam humanarum opum fastidiens, spoliare Deos, & sacrilegijs ditescere properabat, quæ scurrilibus jocis protegere illi voluptati erat; (nulli enim sceleri, à mala lingua potest patrocinium deesse) aiebat non debere quemquam à Deorum oculis tristem inopémve discedere, qui benefaciendo orbi innotuissent: manum ijs ad dandum porrectam convenire, contractam etiam in hominibus odio esse. Ad templum Delphicum maximè animum adjecerat, quo, propter Oraculorum fidem, nullum erat, eâ tempestate, opulentius: eò igitur contendenti Brenno Græci in Thermopylarum angustijs sese opposuere, loco à natura ita facto, vt trecenti quondam Lacones Xerxi illic negotium facessiverint, cùm totum ille Orientem armâsset; sed Brenno, vt quem præ Xerxe metuerent, peditum viginti tria millia, centum &

Brenni avaritia et impietas.

Res ad Thermopylas gestæ.

G nona

nonaginta; equitum tria millia objecere. Ex his ad Sperchium amnem, Equitum, Peditúmque expedita manus præmissa, qui Gallos transitu prohiberent; iique pontibus solutis in adversa ripa consistebant. Brennus impetum animi ingenio moderatus, ne suis cum amne rapido, & hoste duplex bellum esset, dena millia ex toto agmine subducit, robore omnes, & natandi peritiâ, atque ipso habitu corporis insignes; ijs negotium dat, vti secundo littore fluminis cursum secuti, quà spatiosior alveus segnes aquas volvit, placidiùs stagnantem Sperchium nando, vel sicubi vadum reperissent, pede superarent. cum reliquo exercitu ipse subsistens à sensu consilij sui hostem avertebat. Galli de nocte pars vado, pars scutis incumbentes, quæ ipsi vernaculâ voce Thyr, à quadrata vti existimo forma, & valvarum januarúmque similitudine appellabant, transmisso flumine, hostibus cùm se ostendissent, ij spe suâ delusi, neque ausi sui periculum facere, nuncium vicini hostis non ferocis tantùm, sed etjam callidi in sociorũ castra tulere. Brennus refectis pontibus reliquum exerci-

tum

tum transportavit, & Thermopylis admovit. Et hactenus quidem felix fuit: reliqua deinceps omnia illi adversa, & digna scelere concepto. Primùm omnium bona illum mens, & consilium destituit; ex quo factum, vt hostem numeraret, non æstimaret; & ex suis copijs illius paucitatem contemneret. neque veniebat in mentem, locum illum non magnos exercitus, sed magnam virtutem capere: & Græcis vtique satis esse militum, qui pro Thermopylis aliàs sufficere trecentos crediderint; quoties ergo hic numerus ex præsente Græcorum exercitu restaurari possit, toties novum prælium incepturum; & ægrè Gallos in omnibus superiores fore, cùm supra fortunæ patientiam sit, tamdiu servare fidem. Denique non videbat, equitatus vsũ omnino nullum esse, in saxo, & lubrico; adeóque optimam sui exercitus partem, jam ante pugnam, iniquitate loci victam. Porrò in pugna ipsa accidere multa posse non prævisa; Græcos verò jam vsu didicisse, in illis angustijs, magnos exercitus cædere, & semper eam victoriæ occasionem fuisse, quia ab hoste contemnebantur: & certè

BRENNI IMPRVDENTIA ET INFELICITAS.

cùm ad manus ventum eſt, vera eſſe hæc omnia Brennus expertus eſt. Hoſtē Galli nullâ re, niſi furore vincebant, qui raro confert ad victoriam, conſilio, etiam inter arma, quærendam: videres illos bipennibus diviſos, dimidio tamen corpore pugnare, & præſentem mortem, & ſuam vlciſci; ſi ad manum aliud non eſſet telum, ex ſuo evulſum corpore, cum ipſa anima, remittebant hoſti, irrito plerumque conatu, quòd Græcis par ſui tegendi, & hoſtis feriendi cura fuerat, cùm impetus Gallis neutrum permitteret. Tandem cùm Athenienſes etiam, per cœnum claſſe eluctati, ſuperveniſſent, Brennus ſuos vndique premi videns, receptui cecinit: Sed neque tunc quidquā ex lege, vel more factum: non receptus fuit, ſed fuga: ad quam locus iniquior erat, quàm ad pugnam. Igitur dum ſibi quiſque viam vi, etiam per amicos facit, etſi non tam hoſtis, quàm ſuus cuique metus inſtaret, mutuò ſeſe vel in præcipitia impellebant, vel demergebant in paludes, vel in curſu obterebant; vt multis neque honeſtæ quidem mortis copia fuerit, ſine hoſte occiſis, & in cœno, non

GALLORVM CÆDES ET FVGA.

ſan-

ſanguine exſpirantibus. Septem proximi dies inter conſiliorum pugnas abſumpti, quæ tandem in novi molitionem ſceleris eruperunt. In Oeta monte Minervę templum erat compertæ opulētiæ; hoc quia faciliùs credebatur expugnari poſſe, quàm infames nuperâ clade Thermopylas, montem invadunt abſciſſum vndique, neque niſi abruptâ ſemitâ, eâque peranguſtâ adeundum; vt ſi religio templum non defenderet, tutum præſtaret ipſa natura, certè, ſiquid apud avaritiam hæc duo nomina poſſent; ſcelus tamen reperit vltorem. Nam ſubeuntes Gallos Teleſarchus, cui tutela montis demandata erat, excepit, & impiam cupiditatem ferro compeſcuit, ſuæ tamen victoriæ ipſe immortuus. Fregerat hæc jam altera clades Gallorum animos, & Brennus, ſi humanis remediis ſanari poſſet, debebat ſapere, bis ictus. Sed templi Delphici ſpolia jam impiâ ſpe devorata, non patiebantur ipſum quieſcere; ergo pertinaciâ ſuâ fatigare Fortunam perrexit, & vtique ſe per Thermopylarum fauces, aut aliam rimam, etiam indignante naturâ, ad divitem Apollinem, & ſacrum

Nova clades.

aurum perreptaturum confidebat; præsertim si Ætolos, robur sine dubio Græci exercitus, à reliquo agmine abstraxisset; ad quam rem ingeniosa cupiditas hoc consilium reperit. Quadraginta peditum millia, equites octingētos in Thessaliam primùm, deinde in Ætoliam irrumpere jubet; iisque Orestorium & Combutim præficit, non tam fortitudine, quàm immanitate, magnum potiùs, quàm clarum nomen adeptos; & quales omnino Brennus voluit eius expeditionis Duces, in qua abundare tristia exempla, nulliq; rei minùs parci, quàm sanguini optabat; vt Ætoliæ flammâ, & ferro, non tantùm suspiria, & gemitus exprimerentur, sed vt vltimis fessam malis, & extrema auxilia inclamantem, Ætoli, qui ad Thermopylas pugnabant, exaudire possent, vt ad funus patriæ, & commune incendium cogerētur etiam nolentes discedere. Ita, vti Brennus cogitârat, evenit. Nam ingressi duo Duces Provinciam, probarunt sanè, se exercendæ crudelitatis præcepta accepisse; nulli ætati, aut sexui parsum; vsurpata etiā in mortuos carnificina, illos maximè, qui vt mollissimè moreren-

ÆTOLIA VASTATA ET ITERVM VINDICATA.

tur, suâ se manu interfecerant; in quos ideo sævitum, ne dici posset, quemquam Gallorum ferrum evasisse: Callium maximè Ætoliæ vrbem ea clades pervasit, quæ ne suorum funeribus civium superesset, exusta, & suo cinere sepulta est. Hæc demum flamma Ætolos à Thermopylis abduxit, & superstitum animos ita accendit, vt invalidi etiam senes, reliquias sanguinis in pugnam colligerent, & fæminarum greges viribus non suis, & virtute planè masculâ, facto in hostem funestum impetu, ægros animos insigni vindictâ sint solati; vt Galli dimidiâ exercitus sui parte multati, plus vulnerum quàm prædæ ad Thermopylas referrent. Interea Brennus impatiens moræ, ex Heracleotis, & Ænianibus, quos metus impulerat, vt patriam post sua commoda ponerent, intelligit, superesse alium in Græciam aditum, neque tam asperum, vt Thermopylarum, & etiam exercitus patientem, eum ipsum scilicet, qui olim Medo Hydarni proditione simili apertus est, in perniciem trecētorum Laconum. Hunc igitur cum delecta quadraginta millium manu invadit, relicto in castris

BRENNVS SIBI ADITVM DELPHOS APERIT.

Acichorio, cum mandatis, vt ſimul ac ipſe circumventos Græcos à tergo adortus eſſet, ipſe à fronte premeret; & fortè ita evenerat, vt ſordida nebula, quæ ſolem abſconderat, etiam Brenni conſiliũ, & iter occultârit; vt Phocenſes, qui aditum præſidio occupaverant, vix antè, quàm opprimerentur, hoſtem ſenſerint. quos cùm locus non ampliùs tueretur, invalida etiam illorum virtus fuit, ex æquo collata cum Gallis; deſertâ igitur ſtatione, notis callibus, ad Thermopylas evaſere nuncij novæ calamitatis. Græcis non placuit hoſtem illic opperiri, quantumvis ſemel victum: ſatis ſibi gloriæ partum priore victoriâ rati; conſtantiæ, & pulchræ mortis laudem trecentis Laconibus remiſere: ipſi rebus ſecundis ſemet ſervaturi, in claſſem Athenienſium recepti, ſuam quiſq; domum diffugêre. Brennus vbi nudatas intellexit Thermopylas, neque tantiſper quidem moratus, donec Acichorius ſibi jungeretur, rectà ad templum Delphicum homo ſacer contendit; nam cùm non ad prælium, ſed ad prædam iret, ſolus quantæcunque capacem animum afferebat, futurus ex aſſe Apollinis ſpo-

ſpoliati hæres. Vbi in conſpectum templi venit, inauratos currus, & colloſſeas ſtatuas itidem inductas auro, procul à muris eminentes ſtrenuè commonſtrabat ſuis, earúmque precium mendacio excandefaciens, aurea omnia jurabat, útque major eſſet mendacio fides, captivis, quos interceperat, mortem minatus eſt, ſi verbulum vllum de admixto ſtatuis ære facerent: quin imò eoſdem ſubornavit, vt in Ducum concilio, in quo ipſos ſuper eadem re rogaturus eſſet, nihil niſi purũ putum aurum loquerentur. Itaq; ad animandos milites aliâ oratione opus non fuit, cùm ſatis eloquens digitus eſſet, qui aurea ſpolia oſtendebat. Sed victoriam ipſe morâ corrupit. Nam cùm Theſſalonus, & Emanus (Juſtinus Euridanum nominat) è veſtigio, metu conſternatæ vrbi admovendum exercitum cenſuiſſent, noctem illam quieti, & temulentiæ conceſſit; cujus irritamẽta per agros, & compita Delphi ſtudioſè ſtraverant, á Deo, vt creditum eſt, moniti, militi corrumpendo. ita dum Galli græcantur, laboranti Apollini auxiliares copiæ è Græcia affluxêre, quæ templum ipsâ loci naturâ munitiſ-

Polyb. l. 7.

ACCEPTA AD TEMPLVM DELPHICVM CLADES.

nitissimum, à rapaci Brenni manu tutatæ sunt. Addunt Græci manifestas Apollinis, & Sororum iras, & arcus stridentes, pugnantes Semideos, Panicos terrores, nives, saxeos imbres, grandinem, & quæ alia Poëticæ tempestates mala habent, omnia in noxium Brenni, comitúmque caput effusa; quæ vt in benigna materia, & vicina Parnasso, vbi fabularum patria fuit, sine dubio auxit in majus blandita Dijs suis vetustas; si quæ tamen manus fortior humanâ Brennum plexit, passus est id fieri justus Deus, non in suffragium erroris, & impietatis, quæ Numen inesse aliquod Apollini credebat, sed furibus tristi exemplo coërcendis, & ijs maximè, qui ex omni Historia Heröem nullum Brenno libentiùs imitantur, & illam ejusdem militarem tesseram frequenter in ore habent:

Dicite Pontifices, in Sancto quid facit aurum?

Certè totus ille tanto paratu instructus exercitus, postquam sacro admoliri manus ausus est, odijs immortalium, mortaliúmque exagitatus, & cum flammâ, ferro, fame conflictatus, & per omnia humanæ calamitatis tormēta tractus interijt.

Iust. l. 25. & Valer. Max. l. 1. c. 1.

terijt. Brennus, miseriarum compendiũ suâ sibi manu fecit; Sed ne sobrius moreretur, hausto temeti poculo, simul vivere & bibere desijt. Nimis minutæ diligentiæ, & de Lectoris judicio diffidentis videri possit, si monere velim, Brennum hunc diversum ab illo fuisse, qui Romam cepit, cùm centum non minùs annis hic à primo abfuerit: tamen quia hic error etiam in libros irrepsit, placuit hanc tantam inscitiam vnâ liturâ coërcere: Nominis iste, & Virtutis etiam hæres fuit, si non ingentis bona animi turpi avaritiæ vitio deformasset. Siqua etiam Clitophonti, Gallicarum rerum Scriptori Græco, fides est, tertium ab vtroque hoc Brennum fuisse necesse est; quem ille in Asiam transgressum, cùm Ephesum obsideret, in Plebeiæ Virginis amorem incidisse narrat, quæ & vsuram sui corporis, & ipsius adeò Vrbis proditionem Brenno promiserit, si aureis armillis donaretur; cujus ille avaritiam detestatus, vt cui tantillo aurò & patria, & pudicitia venalis esset, vivam ingesto aurọ jussit obrui: ad exemplum Tarpeiæ Virginis, in Capitolina arce idem ausæ, idémque

Plut. in Parallelis.

paſ-

passæ: nobili prorsus exemplo, ne quis vnquam proditor aurum sperare, nisi mortuus, possit.

XI. A morte Brenni, Acichorij etiam exercitus dira fata sortitus est, vt neq; hinc quisquam vel ad memoriam cladis evasisse feratur. Comontorium tamen Gallorum Ducem Polybius memorat, Delphicis calamitatibus superstitem, ad Hellespontum, cum manu non contemnenda, delatum, eò potentiæ, subitis incrementis, accessisse, vt subactis Thracibus, totâ illâ regione potiretur, Regni sede Tulæ constitutâ. Propontidis ora omnis vectigalis facta, stipēdium Gallis pendebat, vt Byzantini soli tandem annua talenta auri LXXX. tributi nomine conferre cogerentur, nisi funditus perire mallēt. Eadem fortuna TOLISTO-BOIOS, Tectosages, & Trocmos communi cladi eripuit, cùm etiam à Brenni scelere abfuissent. Eorum viginti millia numerabantur, qui militari dissidio jam in Dardanis exorto, à Brenno avulsi, Lomnorij, qui Straboni Leonorius dicitur, & Lutarij Regulorum auspicia sequebātur. Justinus insuper aliud militum præsidium

lib. 4.

Polyb. l. 38.

TOLISTO-BOII A SCELERE ET CLADE BRENNI IMMVNES.

Strab. l. 12.

recen-

recenset, à Brenno ad terminos Gentis tuendos relictum; sed Gentem, cujus tutelam egerint, indictam reliquit nostræ indagini: Equidem præter opinionem, quæ sua cuique conjectanti esse potest, afferre certi nihil possum; si tamen diversi ab ijs fuere, quos in Dardanis consedisse dixi, eò impellor, vti credam, Bojohæmi potissimùm limitibus tutandis præfectos; neque enim viciniores alij Gentis Gallicæ fines, quorum cura ad Brennum posset pertinere; quos ipsos Pausanias designasse videtur, cùm tripartitum illud agmen, quod in Illyrios, Pannonios, & Thracas excurrerat, re bene gestâ, intra suos fines redijsse commemorat. Nam ipsam Galliam intelligi quis credat? cui præsidiaria Brenni cohorte nihil opus fuit suo robore tutæ. & illius vtique hostis incursiones avertendæ erãt, quem priori expeditione fatigârat, ne ille par pari relaturus nudam Brenni auxilio Provinciam invaderet. Atque hi ipsi erant Illyrij, & Pannones, & hi quidem Bojohæmo prorsus imminentes. Jam cùm constet à Boiis, extra Herciniam silvã, ad Oeni, & Danubij confluentes, moni-

men-

BOIODVRVM CIRCA HÆC TEMPORA EXTRVCTVM.

mentum illustre positum; quod de suo nomine Bojodurum dixere, nihil sanè dubitem eius molitionem ad hæc ipsa tempora referre; quando certum est, ijs frequenter locis, quæ castris metandis lecta, diutiúsque aliquanto insessa sunt, militari opere firmiora excitata præsidia, fossâ, vallo, turribus munita, quæ indè etiam nomen castrorum, castellorúmq; accepere: cuiusmodi multa hodiéque visuntur, nondum suo ævo victa, claréque testantia, industriam antiquitatem laborasse æternitati. Verùm vtcunque se hæc habeant, illi ipsi defendendis limitibus præfecti, cùm ab hostibus vndiq; otium esset, tempore & animis vsi, Virtuti gloriam, cupiditati prædã quæsivere. Quindecim peditum, equitum tria millia de præsidio deducunt, & latè omnia, ad Getas, & Triballos vsque populantur, & hos obsistere ausos in fugam conjiciunt. Ipsam deinde Macedoniam carpũt, quod nôrant Sosthenem à Brenno contusum; Antigonum autem in Regnum nuper reversum, inter infirma luctantem primordia, modicum animi, & virium esse suspicabantur, eúmque ipsum jam Brenni bel-

Iustin. ibid.

GÆTÆ, TRIBALLI, MACEDONES VEXATI.

lo implicatum; ne tamen solam spem, eámque inexploratam sequerentur, Legatos destinant ad Regem, qui pacem illi, vti nuper Ptolomæo, venditarent, quasi ea è sinu, manibúsque Gallorum emenda, vel emendicanda etiam Regibus esset. Durum id Antigono, novum mercimonij genus non probanti: neque merx, neque institores placebant, qui novâ auctione pacem hastæ, & gladio subjecissent. Sed enim cùm secum reputaret, pecuniam in loco perdere maximum interdum esse lucrum, cœpit liceri, & ne illos sibi hostes faceret, accipit vt hospites, convivium luxu regio instruit, mensas auro extruit, cuius famem Gallis nullus ciborum apparatus potuit eximere: ipso contactu efferati, & prorsus avidi, à dubia cœna surrexere. Admissi deinde ad longum regię opulentię spectaculum, avidiores vndique oculos, & animos referebant. Castrorum etiam lustrandorum copia facta: plus illic propè auri argentíque, quàm ferri viderunt, non belli, sed luxuriæ apparatum; milites ipsos cælatas Deorum statuas, non homines diceres: Abducti ad naves, novam illic pom-

ANTIGONI OPES NOVA BELLI ILLECEBRA.

pompam priori certantem inveniunt; prorſus illuc terræ, huc maris ſpolia videbantur congeſta. Elephantos etiam produci Rex juſſerat, novâ beſtiæ formâ Gallos territurus; ſed quando illi beſtias timerent, poſtquam homines contempſiſſent? Igitur ſuſpenſis rebus, animíſque redeunt ad ſuos, & facilè ſuadent aureâ eloquẽtiâ inſtructi, pacem huic Regi neque vendendam quidem; hîc demum militiam omni nundinatione eſſe quæſtuoſiorem. Narrant cum ijs ſibi fore negotium, per quorum ſcuta, galeas, thoracéſque nunquam ſanguis fluxerit; cùm illis diligentiùs, quàm vitæ parcatur, nequa guttula obfuſcet nitorem: credi non poſſe, latere vllum virilem animum, ſub illo verè muliebri mundo; poſſe ſe ſingulis ſpolijs diteſcere; ſi Gallus quiſque ſemivirum Macedonem exarmâſſet; nam illum haſtâ aureâ neque didiciſſe quidem facere vulnus; proinde Regem beſtijs quibuſdam confidere, quæ aureum agmen, vt ſatellites, cuſtodiant; ſed vtique in tam vaſto corpore reperturos ſe locũ vulneri, eóque fortaſſe non magno magnam illam molem caſuram: certè bipedum

dum incertissimos, propter feras quadrupedes, non esse timendos. His accensi Galli, optabant quamprimùm suum hostem videre; nam miles nulli avidiùs congreditur, quàm qui aureo gladio pugnat, & in quo aliquid pulchrius ferro videt. Ergo, communi consensu noctem, invadendis tam felicibus castris, destinant. Sed Antigonus qui ex vultu, & durioribus Legatorum responsis conjecerat, se hospitalitate suâ amicum non conciliasse, sed fovisse hostem, dolo correxit primam imprudentiam: jubet eximia quæque castris efferri, frivola duntaxat illic relinqui; elata in proximam silvam abdi; eâdem se miles silentio teneret, in omnem occasionē intentus. Novum genus defensionis, castra deserendo tutari; sed nihil poterat ad rem pręsentem salubrius reperiri. Galli vbi vacua castra vident, nemine etiam pro portis excubante, dolum suspicati sunt, quo in insidias præcipitarentur; sed vbi nihil vspiam se movet, custodijs dispositis irrumpunt, & transportatæ reliquias opulentiæ, non sine horrore, subtimidi auferunt. Iter deinde ad naves intendunt, eásque despo-

ANTIGONI ASTVS.

liare aggrediuntur: factum id turbatissime; nam quis, dum prædam venatur, ordinem servat? aut quidquam aliud timet quàm ne quis alius in melius spolium incidat? Igitur dum Fortunam ipsam se trahere captivam putant, & corporis etiam munimenta jactant, vt deonerati spolijs sufficiant; fessos, sudantésque sub furto, remigum turba, & militum promptissimus quisque, qui in imas naves se cõjecerant, aggressi; Gallos, velut è mari repentinus sibi hostis emersisset, trepidantes, opportunissimo loco & tempore nacti, miserè concidunt; tantáque eius victoriæ arte quæsitæ gloria fuit, vt Antigono posthac ad pacem à Gallis emendam nummo opus non fuerit. Qui cladi superfuerunt, an ad Vetera castra redierint, incertum est; similius vero videtur, vel Commontorij, vel Lutarij, Lomnoriíque copijs conjunctos in Thraciam abijsse: imò propè id necessariò dicendum videtur, nisi Justinum oscitantiæ & oblivionis arguere volumus; nam cùm is Delphicæ cladis neque nuncium relictum rigidiùs antea dixisset, exercitúque reliquo concíso, præter hoc præsidium, & quos non

Galli inter prædandum cæsi.

Iustin. l. 32.

suo

ſuo loco nominat, Tectoſages, nihil haberet reliquum, paulò pòſt benignior, partem Gallorum à Brenno, & Delphis, in Aſiam; partem in Thraciam abire patitur, tantis quidem copijs, vt Aſiam velut examine quodam ab ijs impletam eſſe fateatur; quæ quia ab illo properãte confuſa, obſcuratáque ſunt, ea ad illuſtrium Auctorum facem, planiùs explicabimus. Quæ etſi ad TOLISTO-BOIOS privatim omnia non pertinent, quia tamen illorum rebus innexa ſunt, neque narratione ſejungenda fuerunt: quando excuſare diligentiam, quàm negligentiæ accuſari multò malumus. Præter Comontorium igitur, quem ſupra in Thracia ſedêm poſuiſſe commemoravi, viginti hominum millia, Lutario & Lomnorio ducibus, eôdem ex Dardanis, vbi à Brenno ſeceſſionem fecerant, conceſſere; Exercitus omnis ex tribus conflatus Gentibus, TOLISTO-BOIIS, Tectoſagis, & Trocmis fuit, quibus Principes ſeptendecim imperabant; ſed duûm tãtùm nomina inclaruere. Toliſtum, àn Toliſtonem inter Regulos cenſum fuiſſe, id documento eſt, quòd TOLISTO-BOIOS Strabo à Duce *Memnon apud Phot biblioth. ccxxiv. c.20.f.*

H 2 nomen

nomen trahere auctor est. Hi terrore nominis & armorum, cùm Thraciam, Propontidis oram, ipsúmque adeò Byzantium perdomuissent, frenandæ, & in imperio continendæ vrbi, regionísque, Comontorium præposuere; & sanè satis id erat ad gloriam Gallorum, si felicitas suo arbitrio consistere, aut quiescere humanus animus, quamdiu crescendi spes est, posset. Stabat ad Europæ fines nondum fessa Gallorum virtus, neque oculos ad patriam retorquebat occupatos in aspectu, & desiderio Asiæ, quam tantillo aquarum à se abjunctam divortio, vt littora etiam vocis commercium permittant, cum populis jam alterius orbis, implendam qualicunque fortunâ suâ suspirabant: interjacēti freto à Boum transitu Bosphoro nomen factum, incusante hominum ignaviam naturâ, si sequi ad gloriam, neque Boves ausit. Iam non asperos, & insuperabiles montes oppositos contendentibus in delicatissimam orbis partem, sed æquoris planiciē, quod emetiri sedentes momento vnius horæ possint; tristissima omnia in egressu patriæ occurisse; per ferocissimas Gentes mol-

Polyb.l.4.

TOLISTOBOII CVM SOCIIS IN ASIAM TRANSMIGRANT.

Liv.l.38.

molliendum sanguine iter fuisse, & fortunæ ipsi tot capitibus parentandum; se melioribus servatos, felici dissidio, à Brenno abstractos, dum Delphis parcũt, pro spolijs vnius templi, Thraciam, sine Deorum invidia accepisse; & jam Asiam promitti, si ipsi vltra breve maris spatium manus vellent porrigere. Jámque nihil illorum desideria, præter navium inopiã morabatur, cùm Antipater eius oræ Præfectus in promisso nimis lentus esset; prætereą inter animos irritabileș orta seditio, Lutarium, Lomnoriúmque in partes distraxerat; hic cum majore hominũ parte Byzantium, vnde venerat, regressus est; Lutarius inceptum constanciã prosequens, Macedonibus duas tectas naves, & tres lembos adimit; his Antipater exploratores imposuerat, sub falso Legatorum nomine latentes: sed dolus indoctior fallere Gallos non potuit, qui eo in suam rem abusi sunt; sic Antipater, dum fidem maximè vult fallere, promissum etiam invitus solvit. Lutarius lætus successu maximam rem ausus, manipulatim exercitum suum Macedonicis navibus imponit, & per vices in littus Asiæ

Liv. Dec. 4. lib. 8.

PLENA AVDACIÆ TRANSPORTATIO.

nullâ fide cognitum transportat. Plenum temeritatis factum, non lubet in judicium jam mittere, felicitate suâ defensum. Quis nesciebat, quid Galli in Asia quærerent, qui in Thracia Regnum constituerant? neque poterant sub mercaturæ titulo latere armati, & quos constabat nihil nisi pacem vendere, quæ certior sit inempta. Certè periculosius hospes Asiæ illis navibus vehebatur, non nisi suo arbitrio tam amabile solũ relicturus. Poterãt ergo etiam à timidis particulatim opprimi, si quis vincere voluisset: quantillæ operæ erat, singulas, vt transvectæ erant, cohortes conficere, & dum altera sequitur, acuere ferrum in novã lanienam? sed Fortuna pro consilio valuit, & audax factum, quia ex voto successit, nomẽ fortitudinis reperit. Mirissimũ est, quod Pausanias exactę diligentię Scriptor, annotavit; vnâ ętate priùs, quàm Galli trajicerẽt, Phaënnidẽ Chaonij Regis filiam, quæ Sibyllarum more vaticinabatur, Gallorum in Asiam adventũ disertissimè prędixisse; versus oraculi hanc sententiam ferebant:

Pauſ. Phoc. l. 10.

ORACVLVM DE GALLORVM IN ASIAM TRANSMIGRATIONE.

Thracius angustas quà stringit Bosphorus oras,
Tempestas Asiæ gravis infundenda vehetur,

Gal-

Gallus fulmineo miles quam proruet ense;
Hos tamen vrgebit magis illætabile fatum,
Qui ponto affines posuere in littore sedes.
Sed Tauri sobolem submittet mitior olim
Iupiter, huic meritas solvet Gens Gallica pœnas.

Tauri sobolem Attalum Regem Pergami dixit, cui quas Galli pœnas dederint, suo loco narrabitur. Commodùm hæc Gallorum manus in Asiam transgressa erat, cùm Fortuna Lomnorio eòdem viam aperuit. Imperabat eâ tempestate Bithyniæ Nicomedes, cui cum Zypæte Bithyno (Livius Zybæam nominat) graves simultates intercedebant, eò quòd hic, occupatâ Thynniacâ Thraciâ, Nicomedi, & fœderatis civitatibus molestus erat, & bello etiam superior evaserat. Huic ergo vt novum hostem Nicomedes objiceret, reliquam etiam Gallorum partem Byzantio evocavit. Tunc iterum cognatæ acies confluxere: nam cùm viderent Gallicam gloriam, in Asiæ solo, inter odia, & arma, recenter satam, sitámque, non nisi concordiâ posse crescere; radices altas numquam acturam, si ipsi sese mutuò carperent, convellerént que; & hostium totâ Asiâ satis esse, in quos iræ verti possent; vltro abstersis pri- FOEDVS CVM NICOMEDE REGE BITHYNO ICTVM.

ſtinis offenſionibus, amicitiam redintegrant. Vbi in gratiam revẽtum eſt, Nicomedi contra Zypætem auxilia dant, eorúmq; maximè operâ ille devictus eſt. Cũ Nicomede ipſo fœdus his conditionibus ictum eſt: Galli cum Nicomede, eiúſque poſteris ſocietatem conſtanter colunto; Abſq; Nicomedis ſentẽtiâ operam ſuam nulli addicũto. Eoſdem amicos, & inimicos habento. Byzantinis, vbi vſus erit, adſunto. Tianos, Heraclienſes, Chalcedonios, Cieranos ſocios appellanto. Aſię civitatibus parùm grata initio Gallorum acceſſio fuit; ſed cùm vſu ipſo didiciſſent liberam eam Gentem eſſe, & populo, quàm Regibus addictiorem; pro tyrannis habere, & odiſſe eos, qui Rebuſpub. libertatem ereptum irent, & magnam potentiam alieno ſervitio quærerent, molliores deinceps in Gallos animos ferebant. Ij cùm Bithyniam à Zypæte liberatam Nicomedi tradidiſſent, & ingens ſibi eo bello nomen comparaſſent, nullâ mediâ gloriâ contenti, de totius Imperio Aſiæ cogitabant. Viginti non amplius hominum millia ſub ſignis habebant; eorum dimidium, præter inſignem auda-

Memnon ibid. c. 20.

audaciam, nulla arma ferebat; hunc tamen illi exercitum parem rati tertiæ orbis terrarum parti subjiciendæ, ostentabant Asiæ vires suas, nemine vel paucitatem contemnere, vel virium periculum facere auso. Ita verissimum est, bella famâ constare, & primos omnium oculos decipi. Gentes omnes, quas adiissent, quásque non adissent, solâ æstimatione virtutis, non experimento victæ, imperata faciebant. Galli publicâ populorum cõfessione invicti, velificati fortunæ suæ, Asiam omnem in tres diviserunt partes. Trocmis Hellesponti ora data: TOLISTO-BOII Æoliam, & Ioniam sortiti sunt. Tectosagis mediterranea cessere. Ex his ipsi vectigal, & gratuita stipendia accipiebant, vt publicis Asiæ sumptibus recentes advenæ alerentur. Equidem existimo, Fortunam Gentis humanæ ad rationem vocanti, semper ad tristem partem plures superfore calculos; & nomen Felicis nulli ex vero datum, non modò Populo, sed ne homini quidem; nisi quẽ hoc dignum titulo putamus, qui rariores habuit causas plorãdi, vel non omnes vidit. Si tamen abuti tam ambitiosâ voce

TOLISTO-BOII CVM SOCIIS ASIAM SIBI VECTIGALEM FACIVNT.

H 5 licet,

licet, veniam mihi ex Populis Romani, ex hominibus singulis Alexander dabunt, qui Fortunam videri volunt in potestate, & numerato habuisse, si inter, aut fortasse ante illos, TOLISTO-BOIOS, Trocmos, & Tectosages, barbara, vt ipsi existimant, nomina colloco. Certè Alexāder ad Columnas, metásque orbis fessus venit, & decem annorum felicitatem, non tantùm sudore emit; subinde & sanguis illi, inter animæ deliquia, effluxit: Roma etjam rarò sedendo vicit, & triumphos sæpe nefasti dies interpolarunt, qui illam cogerent vestem mutare, & atram fortunam colore togæ fateri; & vt facta factis opponantur, tres orbis terrarum partes in censum veniunt, quas vt omnes Romanis concedam, tam facilis certè de nullâ earum fuit victoria, quæ Asiaticum Gallorum triumphum exæquet; nam illa felicissimi Rom. Imperatoris vox, qui se Venisse, Vidisse, Vicisse, exclamavit, in hac ipsa quidem, de qua loquimur, Asiâ, nata, & audita fuit; sed vnum duntaxat Asię Regem perculit; at enim TOLISTOBOIIS, sociísque populis, dena hominum millia, propè otiosè, vt in Deorum pom-

FELICITAS TOLISTOBOIORVM.

EXISTIMATIO ET FAMA.

pompâ, circumducta, totam vectigalem Asiam fecêre. Jam ipsi Reges, sine mercenario Gallorum exercitu, nulla bella vel intulerunt, vel propulsarunt: quin imò, si regno excidissent, ad hos velut patronos superbi clientes confugiebant. Tantus terror Gallici nominis, eáque armorum felicitas fuit, vt suum illis Diadema acceptum referrent, neque his nolentibus quisquam felicem, neque volentibus miserum esse se posse putaret. Superest eius rei illustre exemplum, oblivioni ereptum diligentiâ Memnonis, & id quidem TOLISTO-BOIORVM totum est. Zeilas, hujus quem commemoravimus, Nicomedis filius, crescebat in certam spem paterni Regni adipiscendi, donec illam Etazeta noverca dubiam fecit, triste privignis nomen, & rarò successurum in affectus maternos: oderat illa Zeilam etiam cùm nondum mater esset, neq; haberet quem in vicem illius amaret. Aucta verò liberis, non contenta simplici odio, conabatur etiam ex patre Zeilę, vitricum facere, tantúmque effecit novercali ingenio, vt filius aulâ ejiceretur, in qua illi naturæ lege regnandum erat. Zeilas ad

Iustin. l. 25.

C 23. apud Photium.

Ar-

Armeniorum Regem profugit, vt longissimè abesset à noverca. Virum illa interim nimis vxorium, & ægrum amore eò blanditijs impulit, vt Zeilâ præterito, natos ex ipsa liberos scriberet hæredes; ijs curatores dat Ptolomæum, & Antigonum Reges; Populum insuper Byzantinum, Heracliensem, & Cianum; quo cõstituto, illum mors occupat. Nihil minùs erat è re Bithyniæ, quàm hoc testamentum, cum pietatis, jurísque damno, dictante Novercâ, conceptum; regnum certè ad injustos dominos transferebatur; eósque ipsos adhuc inter cunas vagientes, neque aptos solio; cùm interim Zeilas viveret, pro cuius jure natura pugnaret, justior vtique quàm noverca. Ea ratio apud TOLISTO-BOIOS tantum valuit, vt Zeilæ ipsorum opem imploranti, contra tres Reges, totidémque populos faverent, illúmque armis, & opibus conarentur in Regnum introducere: sed Bithyni victi curatorum consensu, primùm illam ipsam Zeilæ novercam Nicomedis fratri in matrimonium collocant; ipsi autem TOLISTO-BOIIS cum exercitu obviam eunt. Multis prælijs dubio

TOLISTO-BOII ZEILAM IN REGNVM BITHYNIÆ RESTITVERE CONANTVR.

Mar-

Marte gestis, tandem ab armis, ad conditiones æquas pacis discessum est, ipsi Zeilæ ferendas. TOLISTO-BOII autem, quia Heraclienses maximè hoc bello acres senserant, studiisque suis adversos, illorum agrum latè populati, abductâ illos prædâ mulctarunt. Non erat in Heracliensibus tantum animi, vt vim apertâ vi retunderent; igitur vanam sine viribus iram in opportuna dolis tempora taciti premebant. Fortè evenerat, vt Ariobarzanes Ponti Rex decederet, Mithridate filio impubere relicto; cum hoc Galatis lites primùm, deinde bella intercessêre, haud ægrè suscepta, quòd viderent viris pugnam cum puero fore, quem proinde non tam ferro, quàm fame censuerunt vexandum: jámque omni commeatu interclusum ad summam inopiam redegerant, cùm Heraclienses, vt Galatis ægrè facerent, Regi, ad trahendum bellũ, frumentum submittunt, quod illis mox magno stetit; irritati enim importunâ benevolentiâ Galatæ, omisso Rege, ad Heraclienses bellum transferunt, in quo illis nec frumẽtum, nec ferrum præsidio fuere: nam TOLISTO-BOII tamdiu omnia mi-

CVM HERACLIENSIBVS, ET MITHRIDATE PVGNANT.

Ibid. c. 25.

miſcuêre, donec ſubmiſsâ Heracliensium legatione ſunt mitigati: cui quanquam eloquentiſſimus vir Nymphis, nobilis eâ tempeſtate Hiſtoricus præfectus eſt, nihil ille doctis dictis profeciſſet apud iratos, niſi meditatæ orationi magnum auri pondus adjeciſſet, quinque aureorum millibus in exercitum diviſis, ducentis inſuper in Duces profuſis; tum demum impetrabilis Orator viſus, aureâ oratione Galatas exarmavit, & à patriæ excidio abegit. Porrò Galli Aſiatici eam Bithyniæ partem potiſſimùm incolebāt, quæ de ipſorum nomine Galatia, aut etjam Gallogræcia nuncupata eſt: vnde & ipſi aliàs Galatæ, aliàs Gallogræci dicti, quibus nominibus etiam nos promiſcuè vtemur. Et quamvis neque linguâ, neque moribus, inſtitutíſque differrent, tamen pro Gentium numero Regionem omnem in tres diviſere partes: in earum ſingulis, quatuor tetrarchias inſtituêre; in quavis harum Tetrarcham, ſive Regulum vnum, Judicem itidem vnum, vnum prętereà ſupremum rerum militarium Præfectum, ducémque conſtituêre, eum ipſum tamen Tetrarchæ parere juſſum: Ducibus

GALATIÆ A GALLIS, SIVE GALATIS NOMEN INDITVM.

Strab. l. 12.

cibus militaribus vicarios, vel legatos duos adjunxere; commune Tetrarcharum duodecim consiliũ Drynæmeti cogebatur; id trecentis viris constabat, ex totâ Gente lectis; ad hos causæ capitales referebantur; reliqua Tetrarchæ, & Judices, ex æquo, & bono decidebant. TOLISTO-BOIORVM civitates Ptolomæus numerat Pessinuntẽ, quam Matris Deorum sedem, & domicilium antiquitas venerata est; Germam, Vindiam, Andrum, Megistum, Tolastam, haud dubiè à Ducis, aut ipsius populi nomine dictam. Strabo Blucium addit (quod fortasse Ciceroni Luceium dicitur) & Peium. Memnon etiam Tabiam adjicit, quanquam eam Strabo & Plinius Trocmis assignãt.

GALATARVM RESPVBLICA.

TOLISTOBOIORVM VRBES.

Cic. pro Deiot. Strab. l. 12. Plinius l. 2. cap. 32.

XII.

GALATIS interim partæ opes, & potentia propè votis major ipsam etiam Asiam angustam reddebant; Regum inprimis obsequia, quos sibi invictis armis obnoxios reddiderant, ingentes ijs animos faciebant; & est sine dubio res omnibus triumphis illustrior, coronatos vertices, & Magni successores Alexandri, non tam inter socios, quàm clientes numerare. Pyrrhus certè Epiri Rex, quidquid post suum

Plutarch. in Pyrrho.

suum ex Italia discessum magnæ rei egit, & eo judicio dignum, quo Alexandro M. belli gloriâ, & felicitate propè exæquatus est, non tam suâ, quàm Galatarum fecit manu. Octo peditum non amplius millia & quingentos Equites ex Epiro in Macedoniam traxerat; cùm Antigonus illi totius Regni opes, & mercenarium Gallorum agmen opponeret; vt nihil certius fuerit, quàm eum illic graviora, quàm in Italia passurum, nisi in illo articulo deprehensum Fortuna respexisset, eiq; Gallorum opportunum subsidium adjunxisset, quo fretus æqualia Antigono sperare posset. Fama ne viri illos traxerit, an Romanorum in eo odium, speciosum vtiq; apud Gallos titulum, amaverint, an repositæ etiamnum altâ mēte Antigoni fraudes, quas suprà memoravi, Gallis exitio fuisse, ad hoc factum illos impulerint, non audeo asseverare. Pyrrho quidem eâ ratione victoria, sed Gallis infamia parabatur; cùm vincere ijs, & vinci, ex æquo turpe fuerit; Nimis illi jam fortes, quibus verecundia non suppeteret, vires in popularium suorum sanguine probandi; & stolida ambitio erat, duobus Regibus sibi mutuò

GALLI PYRRHO ET ANTIGONO HOSTIBUS INTER AVXILIA.

mutuò inimicis velle animos augere, vt invictum vterque se crederet, quòd Gallos sub suis signis haberet. quod vt cousque verum fuerit, cogitandum ijs erat, existimationem, famámque illam, quam oportet æternam esse, suis ipsos viribus convulsuros; nam quoquoversum res casura esset, Gallos non ampliùs insuperabiles fore, â seipsis victos. Vbi ad pugnam ventum est, Pyrrhus, qui belli peritiâ Antigonum longè superabat, Regem, & Macedones facilè compescuit; duæ tantùm res formidandæ erant, Elephantorum feritas, & illis ipsis terribiliores Galli; vbi verò & hi cecidêre, nec in Macedonica phalange, quâ Alexander orbem subjugarat, præsidij quidquam fuit; nullus pudor erat, post Gallos vinci: neque dissimulavit Pyrrhus, illud palmarium facinus suum fuisse; proinde totâ acie, perquisita Gallorum, qui sub Antigono meruerant, scuta legi jussit, & æternum gloriæ suæ trophęum in templo Minervæ Itonidis sacravit, addito hoc Epigrammate: GALLORVM SCVTA DEDICATA.

Hæc Pyrrhus Gallis detracta ferocibus arma
Victricis spolium Palladis esse jubet.

Scilicet Antigono penitus pereunte, probatum est,
Nunc etiam Aeacidas esse, quod antè, Viros.

Perpetrato prælio, cùm vrbes reciperet Pyrrhus, illis in fide servandis Gallorum præsidium imposuit; sed profana sacris apud ipsos tutiora fuere: nam antiquorum Regum tumulos perfodere aggressi; thesauros illic conditos exhumarunt, diripuerúntque, cùm censerent inculti homines, modestis illis mortuis auro nihil opus esse, quo nec pulchriores, nec lætiores fierent, molliúsque in pulvere, quàm metallo cubarent. Id quanquam pro eo ac debuit, Macedonibus gravissimum fuit; Pyrrhus tamẽ, cui fortis miles, quàm religiosus charior fuit, factum elevabat, ne, dum mortuos Reges servaret, vindicarétve, Regnum perderet. Lacedæmonem deinceps venit Pyrrhus, quam suã id est, Spartanã virtute defẽsam, etsi non cepit, Galli tamen in extremum adduxere discrimen. Fossam Spartani fecerant sex cubitos latam, quatuor altam; pro vallo currus objecerant, eósq; non tantùm inter se implexos, sed ad axes vsq; rotarum in tenaci luto defossos. Ptolomęus Pyrrhi filius, impigerrimus juvenis duo Gal-

GALLI SEPVLCHRORVM VIOLATORES.

SPARTA A GALLIS OPPVGNATA.

Gallorum millia fortitudinis æmulatione sibi devincta, cuius mutua ipsis documenta dederat, acceperátque, rapuit secum in audacissimum facinus: Fossâ superatâ ipsum conabantur vallum transmittere; sed cùm operam perderent, Galli connixi rescindunt, disjiciúntq; plaustrorum retinacula, & illa ipsa ex cœno protracta provolvunt in flumen, & viâ vi factâ vrbi imminebant; quos tamen Acrotatus Lacon, cum globo generosissimorum juvenum, tandem submovit. Pyrrhus vbi virtutem omnem vrbis fato succumbere vidit, exercitum indè abduxit, Gallis vltimum agmen claudere jussis; vt si Spartani abeuntium tergo hærerent, impetum omnem robur exercitus exciperet: & sanè cùm Rex Lacedæmonis Areus ex insidijs vltimos identidem lacesseret, perpetua pugna fuit, in qua Ptolomæus ipse, commilitonibus suis commixtus, tandem occisus est. Postea cùm Rex Pyrrhus exercitum Argis admovisset, Galli primi omnium in vrbem irrupêre, ibíque cum civibus & subsidiario Cretensium, Lacedæmoniorum, & Antigoni exercitu, quæque omnia terribi- ITEM ARGOS.

 liora

liora reddebat, nocte, congressi, soli pugnam tantisper sustinuere, donec illi tristem Pyrrhi occisi mors finem imposuit, & cruetam Antigono victoriam reliquit. Victori Regi, virtutis, in Gallis nuper amicis, nunc etiam hostibus, par admiratio, faciles in victos iras, imò eosdem iterum beneficio cognoscendi, adjungendique consilium suggerebat; præsertim cùm sciret debellatū non esse; quòd Pyrrhus etiam post mortem fautores haberet, desiderio eius nondum extincto. Jam Lacedæmonij, jam Ptolomæus Rex movebant; & timēdi nihilominus etiam illi erant, qui inter ambigua fluctuantes consilia, fortunæ comites, felicioribus erant accessuri. Igitur cum Gallis fœdus renovat, & mercenaria eorum auxilia pactus, in Spartanos, & Ptolomæum movet. Galli supplemento domestico aucti, dum maximè ad Regem properant, mutatâ repente voluntate, Antigono ex socijs hostes fiunt, sive prioris cladis dolor, & verecundia fide datâ potior fuit, sive majoris commodi spes, pessimo mortalium more, falsos illos fieri subegit; quod quanquam Justinus non expressit, tamen

ANTIGONUS CUM GALLIS PAULO ANTE HOSTIBUS FOEDUS RENOVAT.

ID ILLI RUMPUNT.

ex argumento, quod Trogi libris olim præfixum adhuc extat, clarè colligitur, vbi Galli desertores vocantur. Antigonus re animadversâ, etsi Gallorum arma, fortunámque metueret, consilium tamen à præsenti necessitate capit, Gallósque aggreditur prior; ratus sibi non cum Gallica virtute, sed perfidiâ pugnanti, vires in bona causa sitas; illis verò post violatam fidem, nullum Numen favere posse: rarò impium quemquam diu invictũ fuisse. Igitur de exercitu suo, quidquid floris & roboris fuit, quàm occultissimè potest, detrahit, castra sua non tam milite, quàm errore, & frustratione tuta deserit, & rectà in Gallos adventantes movet, quibus in scelere deprehensis, ipsa perfidiæ conscientia triste belli eventum præsagiebat. Igitur ad sacrificia conversi, flagitium suum hostiarum sanguine eluere properabant; sed cùm nusquam litarent, & omnia exta portenderent, ipsosmet ad victimam deposci (vt in præcipiti omne scelus stat) ad inauditæ crudelitatis facinus devolvuntur: Conjuges, & liberos in bellum secutos, impiâ manu jugulant, ne quis superesset, cui vel hostis

Iustin.l.26.

EORVM BARBARA CRVDELITAS.

parceret: sic jure divino, humanóque omni, per summam immanitatē, & perfidiam, proculcato, non tam ad prælium, quàm supplicium ruunt, non simplici morte digni: qui quanquam ad vnum omnes cæsi sunt, nimis tamen molliter perierunt, cùm hostilis gladius castigandæ fortasse perfidiæ, sed non item parricidio sufficeret.

CÆDES.

GALLORVM IN ASIA RES GESTÆ.

Atque hæc extra Asiam, quam in tantum probrum nihil necesse erat relinqui. Sed neque domi multò meliora; cùm eadem vtrobique causa esset, nimis bona scilicet Fortuna, quæ rarò meliores facit; imò bonos ægrè patitur; hinc quoties illam mortales non accusant, cogimur nos de malis moribus queri. Exarserant illic inter Seleucum Antiochi filium, Syriæ Regem, & Ptolomæum Ægypti, capitales inimicitiæ; Nam Seleucus Beronicen novercam suam, candémq; Ptolomæi sororem cum parvulo fratre, ex ea genito, de medio sustulerat; turpissimum factum! nam cùm Reges vilissimi etiam sanguinis parsimonia deceat; iste regium, & sibi cognatum fudit, quasi à parricidio Regna securitatem acciperent. Ptolomæus

Iustin.l.27.

meus ergo sorori parentaturus ingentem exercitum parat, tantò studiosiùs, quòd præter pietatis laudem, spes etiam Asiâ potiundi erat; sed pulchrior ille, & à sorore vindicanda petitus titulus cupiditati obtentus est; vt bellum pium, & sacrum crederetur. Fefellit ea dissimulatio totam ferè Asiam, vt Ptolomæi studia, quibus ipsa petebatur, vltrò adjuvaret, rata parricidij, vltionē ad totum orbem terrarum pertinere, cùm in fraudem generis humani perpetretur: sed Ptolomæum magna molientem, domestica seditiò in Ægyptum retraxit. Seleucus isto metu liber, comparatâ classe, civitatibus imminebat, quæ cum Ptolomæo sensissent. Sed impio nec hostis deesse, nec vindices possũt; classis illa tota fœdissimo disjecta naufragio, calamitatem suam non ventis, sed Deo vltori imputavit. Seleucum, cui præter animam à naufragio nihil superfuit, ne fũditus periret, idipsum tutabatur, quia perierat; nam ipsis hostibus miserabilis evaserat; cùm mare omnia illius scelera videretur abluisse. Illorum igitur opibus restitutus, & jam damnis suis ditior factus, vltro ipse Ptolo-

mæo bellum infert; ſed infelicior in pugna, quàm priùs in naufragio fuit; cùm jam per ſuorum ipſi ſanguinem propè enatandum eſſet. Debile tantùm fratris Antiochi auxilium ſupererat, decimum quartum etiamnum agētis annum; hunc in ſubſidium per literas evocat, Aſiam omnem, quæ cis Taurum eſt, pollicitus, ſi illius auxilio reſtitueretur. Antiochus conſilium init, quod nec puerum, nec fratrem deceret; cur Aſiam potiùs fratri, quàm ſibi recuperaret? an ideo ſibi dimidiam offerri, ne frater totam iterum poſſit amittere? an quòd credat, toti regendæ ſe per ætatem parem non eſſe? quaſi verò quam turbulentam à puero armis domari poſſe ſperet, pacatam puer non poſſit regere? Armat igitur ſe, & Gallicis auxilijs conductis, puer ſibi viros adjungit. Ptolomæus non ducem, ſed exercitum metuens, cum Seleuco decennale fœdus icit; ſed Seleucus, conciliato hoſte, fœdus adverſus fratrem non reperit, cùm is etiam fœdera naturę rupiſſet. Puer ergo Antiochus plùs quàm virili ſcelere, & Gallo milite fortis, fratrem bello petit, & inclinatas illius opes funditus præcipi-

ANTIOCHO SELEVCI FR. GALLI AVXILIANTVR.

cipitat. Galli cùm crederent Seleucum eo prælio cecidiſſe, quaſi à Rege puero ſapere didiciſſent, exiſtimabant ſe compendium reperiſſe, quo totâ Aſiâ potirentur, ſi Antiochum è medio ſuſtuliſſent; eodem enim jure, quo ipſe Seleuco ſucceſſerit, poſſe ſe Antiochi hæredes eſſe; neminem enim è toto illo exercitu non eſſe puero illo fortiorem. Sed Antiochus vbi ſibi ſenſit inſidias fieri, ingenti auri ſummâ vitam & Regnum redimit, eóſque, qui antehac mercede conducti ſub illo militaverant, coactus eſt deinceps ſocios appellare. Ibi Eumenes, qui Bithyniæ præerat, cùm attritos mutuis cædibus fratres vidiſſet, ipſe, quaſi ad legenda ſpolia accurreret, dum ij reſpirant, totâ impunè Aſiâ graſſatus eſt: nam fratres effuſis, non ſuo loco, viribus, in ſemet fortes, adverſus hoſtem invalidi erant. Galli iterum illuſtre imitati exemplum, cum Eumene certare videbantur, ne ille credi poſſet Aſiam fortiùs depopulatus: ea enim in medio quaſi prædæ relicta erat, & quod Reges deliraverant, ſola plectebatur: quò ferè omnia bella tandem recidunt; carò omnibus provin-

EIDEM INSIDIANTVR.

ASIAM POPVLANTVR.

ciis, regnísque constat, humanum alicubi sanguinem bibisse, quocunque enim Fortunæ belli inclinet, Regna ipsa etiam inter victorias sunt miserrima. Quæ hoc loco Eumeni à Justino tribuuntur, propè credam ad Attalum pertinere. Argumentum enim libro vigesimo septimo Trogi præfixum, ex quo Justinus hæc sublegit, Attalum expressè nominat, non Eumenem. Atque hic ille Attalus est, quem in Phaënnidis Oraculo Tauri filium dictum esse, ex Pausania suprà retuli. Hic, autore Livio, primus omnium Asiam incolentium stipendium dare Gallis abnuit, eósque bello aggressus, aspirante Fortunâ devicit. Bellum id circa Pergamum gestum, ingenti famâ, mirante Asiâ, Gallos tandem potuisse vinci. Attalus successu elatus, Diadema ex illo tempore, & Regium nomen sumpsit, idémque ad posteros transmisit. Pergamenis ipsis satis non fuit, Gallorum spolia, honestissimo Vrbis loco, suspendere, sed vt vivam, spirantémque belli imaginem oculis etiam posteritatis subjicerent, prælium illud pictoris arte, & penicillo animatum publi-

Dec. 4. l. 38.

ATTALVS PRIMVS GALLIS TRIBVTVM NEGAT.

Pausan. l. 1.

publicè propoſuere; nam cùm tria omnino facta numerarent, quibus æternitatem nominis ſibi meruiſſe videbantur, potiſſimùm hoc jactabant, quòd virtute ſuâ ille cōmunis Aſiæ terror nonnihil mitigatus, & à Gallicorum trium populorum effuſis populationibus maritimæ vrbes defenſæ, ipſíque tandem in eam Bithyniæ partem, quam à Nicomede acceperant, redire compulſi eſſent. Plinius etiam quatuor ſtatuarios, Iſigonum, Pyromachum, Stratonicum, & Antigonum nominat, qui Attali & Eumenis adverſus Galatas prælia, arte & ingenio æterna fecere; humaniſſimâ ambitione, quâ etiam victis gloria adhæſit. Non auſim pro certo ponere, an ad hunc Attalum (plures enim eo nomine fuere) pertineat nobile ſtrategema, quod Polyænus Attalo attribuit, etſi à Frontino Eumeni adſcribitur. Senſerat Attalus conſternatas copias ſuas, viſâ Gallorum multitudine; quibus etſi maximè numero exæquarentur, ſciebant ſe robore impares eſſe, qui fortunam inſuper adeò ſemper obſequentem habuerint, vt illorum non tantùm virtuti, ſed etiam

l. 34. hiſt. nat. c. 8.

Polyæn. l. 4. Front. l. 1.

ATTALI IN BELLO GALLICO STRATEGEMA.

etiam temeritati suffecerit. Attalus igitur vt animos militum pavore liberaret, eosdem religione occupandos sibi censuit, quæ ad impellendam quoquoversum multitudinem, omni ævo, plurimum posse, credita est; commodùm Sudinus Chaldæus vates apparato sacro, victimâque cæsâ, exta prosecabat; ea Rex manu suâ excepit, quam grandibus literis impleverat, quæ hoc epigramma conficiebant, REGIS VICTORIA; id à fumantibus imbibitum extis, claréque expressum cùm sacrificulus reperisset, primùm ipse exilire gaudio, tum Regem, quíque illum circumstabant, invitare ad inauditum oraculum, móxque, quod fidelissima loquebantur exta, totis vulgatum est castris; ita miles paulò antè ignavus, timidúsque, jam vltro pugnam poscere ausus est, & vincere; tantum duo verba Regis potuerunt; qui ipsam etiam victoriam non tam armatæ, quàm literatæ dexteræ debuit acceptam referre. Atque hæc ferè à TOLISTO-BOIIS vel solis, vel communiter cum alijs Gallorum populis in Illyrico, Pannonia, Græcia, Thracia, & Asia, per annos propè

pè quadraginta, majore Fortunæ, quàm Virtutis constantiâ gesta, erepta oblivioni sunt, hostium diligentiâ; quibus etsi facile fuit gladium Gallicum calamo vindicare, illud tamen potiùs credamus, TOLISTO-BOIIS, sociisq; populis curæ non fuisse, ea solùm agere, quæ ij etiam laudarent, à quibus metui, & odio haberi gloriosum ducebant: vtcunque se res habeat, id literarum imperium est, vt semper vincant, subinde etiam in mala causa. Antequam tamen ex Asia in Europam iterum ad viros transeo, virtutis, etiam hoc sæculo, raræ, laudem alteri sexui non invideamus. Annus proditús non est, sed nobilitas exempli omnia tempora decet; & vtinam quotidianum fiat! neque elapsis demum aliquot seculis, vt Phœnix videatur. Jam suprà diximus, Galatiam omnem sub Tetrarchis fuisse, quos inter potentissimi censebantur Sinatus, & Sinorix, sanguine, eóque nobilissimo juncti. Sinato vxor Camma fuit, in qua miraculum formæ minima erat laudum, cùm omnia fœminarum decora illi Deus contulisset: virilem animum diceres in non suo corpore

Plutarch. de Virt. Mulier. & in Erotico.

TRIVMPHVS CASTITATIS A CAMMA GALLO-GRÆCA RELATVS.

pore habitasse; quando ita vulgò creditur, sexum illum magnæ Virtutis capacem non esse. Dianæ addicta sacris (ita tempora ferebant) majestatem Numinis, quoties pompam duceret, ipsa repræsentabat; os, humerósque Deæ similis, neque tantùm illius sacerdos, sed vivum simulachrum. Magnam omnibus virtutibus apud reliquos venerationem collegerat; apud Sinorigem verò amorem etiam; sed qualem ipsa odisset, & detestaretur; Sinorix verò tegeret, premerétque, non suâ, sed Cammæ verecundiâ, quam etiam impudicus horruit; cùm nosset intractabilem illius animum nullis ingeniosæ nequitiæ artibus vincendum, & Cammam præter Sinatum nihil amaturam. Ingens profectò pudicitiæ testimonium, desperatio tam potentis amatoris. Sed cùm hactenus insanum animum imperio, si non vicisset, rexisset certè, tandem tamen à recto præceps, septã pudore Cammæ domum ferro sibi aperire decrevit, & occiso Sinato eam suis nuptijs vacuam facere. Patrato scelere, adhuc madidam lachrymis Cammam procus latro, cruore vixdum ab-

absterso, adit, & (tanta est non amoris, sed amentiæ vis) videbatur sibi modestissimè ambire, cùm diceret, Vide mea Camma, quàm te amem; occidi maritum tuum, vt vxor esses fortioris; amor tui in hanc me crudelitatis speciem trusit, & honestissima causa propè me impium fecit. Vter tuo conjugio dignior esset, Dij decidêre; stant pro victore. non patieris tu me faciliùs Sinati vitam, quàm tuum animum expugnasse. Etiam te ferro vici, & jure belli mea es. Neque dubitabat, se tam fortem, & eloquentem Cammę cordi esse, vtique postquam ea allevari se passa est, & rariores per genas lachrymæ visæ, neque vox tam frequenti interrupta singultu, mitigatum pectus probabat minore pertinacia pugnaturum amori. Itaque tunc quidem cum spe abijt, & gaudebat jam Cammæ sponsus salutari: neque destitit ab ambitione, conciliatoribus, & communibus amicis interpretibus vsus, donec expugnata Camma visa est annuere, dictâ etiam die, & loco, quo cum illo in manum conveniret, quâ Sinatum jugulaverat. Templum ipsum Deæ destinavit, vt illâ

au-

auſpice, & arbitrâ quàm ſanctiſſimè nuberet latroni. Sinorix ſibi in cælo eſſe viſus eſt, cùm Cammæ manu ad aram deduceretur. Illic arreptâ paterâ, Deæ primùm libavit, precata, ne quis præter mortem divideret mutuò tam amantes. tum ipſa partem hauſit; ad reliquias Sinorigem invitavit; quas ille continuo duxit hauſtu, nectar ratus ſe bibere, & meros amores; ſed revera peſtis fuit; nam mulſum Camma præſentiſſimo veneno temperaverat: quæ vt vidit Sinorigem jam mortem intra viſcera recepiſſe, manibus ad Deam protenſis, Feliciter! inquit, jam & Fidei, & Sinato meo ſatis; mihi enim nimis quàm diu vixi; cùm marito meo vel momentum ſuperfui. Hanc ego, Diva, victimam vltimam aræ tuæ applico; pulchriùs nunquam litavi, quàm cùm tibi hoc monſtrum immolo. Age latro Diris devote, Hymenæo Leſſum junge; hodie Nuptiales faces in tuo tumulo extinguentur. Genialem tibi torum vel Furiæ, vel Veſpæ in ſandapila ſternent; meum adhuc Sinatus habet; quem ne extinctum putes, ego illius animâ vivo; ſatis fortem me

jam

jam moriturus dices, Manes etiam tuos, scelerate, persequar, & Sinato meo te sistam, apud quem latrocinij tui causam dices. Non erant hæc Bona Verba, quæ nuptias commendarent, & tum demum miser Sinorix advertebat, se non cum sponsa, sed cum vindice sceleris sui consistere: proinde illius fatali fulminatus sententiâ, & intestinæ mortis sentiens morsum, ex templo se corripit; & conscenso essedo raptatur velocibus equis, si fortè liberior aër, & illa jactatio discuteret imbibitam pestem. Sed venenum prævaluit; & execratio à castissima fœmina, in noxium caput detorta, indignantem animam, ante Solis occasum, Sinorigi intertraxit. Camma vbi impurum hominem fato suo functum intellexit, quasi pulcherrimè finitâ vitæ fabulâ, amicos valere jussit, & plaudere: illam noctem, inter lentitudinem grassantis mortis, sine suspirio exegit, non aliter, quàm nuptialem, & quæ iterùm se cum Sinato conjungeret. Fœmina sine dubio nostro ævo digna, cui ipsa pudicitiæ normam daret, vt tamen vicissim accipe-

ret legem meliùs moriendi. Sed hæc infelicitas illius temporis fuit, maximas virtutes aliquo ſcelere commaculantis. Cammam igitur Magiſtram Caſtitatis ſtatuo, quamdiu veneno non eſt vſa.

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER SECVNDVS.

Breviarium.

DVo BOIORVM *Italicorum Reges, Ates, & Galatus, totam Gentem, ad novum contra Romanos bellum, post quadraginta quatuor annorum pacem, concitant, excitis etiam Transalpinis auxilijs; à quibus cùm* BOII *haud minora damna, quàm ab hoste paterentur, Reges suos, populari seditione coortâ, occidunt.* I.

II. *Ob legem à Flaminio latam, de* BOIORVM *agro dividendo, ingens bellum nascitur, inusitato utrinque apparatu, susceptum. Gæsatorum ad id auxilia*

 stipen-

ſtipendio conducta. Britomarus BOIORVM *Regulus voto ſe ſuóſque obligat, Baltheum non, niſi in Capitolio, poſituros. Pugnatum primò feliciter, ſed tribus Romanorum exercitibus, miro Fortunæ ludo, conjunctis,* BOII *cum ſocijs fuſi, fugatique ſunt, & cum Rege ſuo in Capitolio diſcincti, pacem deinceps aliquamdiu coluere.*

III. TOLISTO-BOII *interim, ſociique Galli in Aſia, & Europa, domi, militiæq; bellando, pacificandóq; famam nominis ſui latè propagant. Nihil neque à Regibus, neque à Populis, abſque illorum opera, magnæ rei geſtum.*

IV. BOII *Italici novis in agrum ſuum deductis Colonijs exaſperati, iterum arma corripiunt; Romanis etiam in Gallia Tranſalpina odia conflant. Placentiam, & Mutinam infeſtant; neque à Legatis quidem abſtinent; Rom. copias iteratò concîdunt.*

Mata-

Matalus, seu Magilus BOIORVM *Regulus ad Annibalem adhuc in Gallia hærentem profectus, Pœnis Alpium superandarum desperationem adimit, ducémque se professus, eos in Italiam ducit.* V.

Annibal primo ad Ticinum prælio Romanos superat, BOIORVM *maximè virtute nixus, quos Chrixus Gentis Regulus adduxerat, qui tamen eo bello occubuit.* VI.

Flaminius Cos. capitalis BOIORVM *hostis in prælio ad Thrasymenum lacum gesto, manu Ducarij* BOII *occiditur: Posthumius etiam Prætor Rom. cum toto exercitu, à* BOIIS, *in insidias præcipitatus, incisarum arborum ruinâ opprimitur.* VII.

Asdrubali & Magoni Annibalis fratribus BOII *auxiliantur, ipsíque adeò Annibali ex Italia retracto non desunt.* VIII.

Appium Præfectum cum frumentatoribus in suo agro opprimunt. Amilcare IX.

Pæno duce, Placētiâ potiuntur. Cremonam obsident: magno etiam prælio à Lucio Furio Pr. victi, tamen de capienda Roma deliberant, neque spes illas antè deserunt, quàm à socijs fœdè proditi essent.

X. *A Corolamo, Dorulaco, & Boiorige Regulis suis excitati, Fortunam, resumptis armis, iterum tentant, parùm plerumque propitiam experti.*

XI. *A Consule Corn. Merula insigni clade affecti deditionem faciunt, & in fidem Pop. Romani concedunt, constanter illam culturi, nisi Flaminij Consulis crudelißimo facto, qui nobilem* BOIVM *transfugam super mensam occiderat, irritati, vltimas vires in novum bellum coëgissent; in quo tamen optima causa Fortunæ Romanæ succubuit.*

XII. *Sed cùm insuper parte agri multati, eam opum libertatisq; suæ imminutionem ferre non possent, desperatis meliori-*

bus,

bus, ex Italia ad Tauriſcos commigrant; cùm ducentis ampliùs annis, diuturnioribus odijs, quàm vllus alius hoſtis, Romanam potentiam fatigaſſent.

GESTA SVNT HÆC ab anno ante CHRISTVM NATVM Ducenteſimo trigeſimo ſexto, vſque ad centeſimum octoageſimum ſextum.

In

I. IN Italia interim pax cum Populo Romano anno V. C. quadringentesimo septuagesimo secundo inita, quemadmodum suprà commemoratum est, quatuor annos supra quadraginta, BOIOS quietos habuit. Videri poterat, à tota BOIORVM Gente res ex compacto geri, BOIOSQVE Italicos ingenti gloriæ spatio decurso, lampadem popularibus suis ex Herciniæ silvæ tenebris egressis tradidisse, vt etiam altera pars orbis terrarum BOIOS agnosceret; & sanè latere illorum virtus in obscuro non potuit, cùm tota bello arderet Asia; & Pannoniam insuper, Illyricum, Macedoniam, Dardaniam, Ætoliam, Græciam, Thraciámque fax illa militaris omnia pervagata inflammasset. Mox tamen, vbi Asiaticus ille ardor refrixit, Virtus in vetus revocata theatrũ, illic gladiatoria munera edidit. Anno igitur Vrbis DXVI. rursus in Italia ad arma decursum est. Causam Polybius in stultitiam ingenij humani conjicit, quæ neminem patitur suâ sorte contentum vivere, & orbem terrarum puerilibus votis

AN. ANTE C.N. CCXXXVI.
Polyb. l. 2.

tis

tis implet, dum quisque suum ævum accusat, & quia centum annis seriùs natus est, putat se aureum sæculum neglexisse. Hic morbus tum Boios ceterósque Gallos invaserat, felices cæteroqui, si sua bona nossent; sed quis ea ęstimat, nisi malis comparata? quando etiam sanitatem soli ferè ægri laudant, quos morbus, & medici torquēt. Igitur hi longam pacem idem jam censebant, quod longam crucem: vtique postquam ij ferè obierant, qui cicatrices ostendere possent, & belli incommoda laceris corporibus circumferrent. Nam fervidi juvenes, qui nihil adhuc de sanguine amiserant, non credebant, in tota parentum hæreditate, aliquid sibi armis melius relictum; ea verò rubigine consumi, vti & gloriam, quæ ijs parta esset, id scilicet maximum esse probrum. Hæc inter nobiles potissimùm agitata, quos ab agri cultu semotos, inquietum otium, & strenua inertia exercebat, & semper præsentibus inimica levitas ad incognitę experientiam Fortunę trahebat. Idem erat Regum ingenium, qui apud Boios duo tum simul imperitabant, Ates, & Galatus dicti. Nolebant

CAVSSÆ NOVORVM APVD BOIOS MOTVVM.

DVO BOIORVM REGES, ATES ET GALATVS.

ij Regnum ſibi, vitámque nihil agentìbus elabi; cupiebant aliquid grande in faſtos, & poſteritatis memoriam mittere; cúmq; ſcirent famam nuſquam certiùs, quàm bello quæri, quod etiam victos celebres facit; honeſtam illius cauſam circumſpiciebant, quam nemo diu quæſivit, quem pacis cœpit pœnitere. Rem ergo ante annos triginta, à Romanis, nemine reclamante, geſtam, conantur in vulgus odioſam reddere; Ariminum ij, devictis Picentibus, coloniam deduxerant; id BOII finitimi tunc fieri paſſi ſunt; in quorum oculis colonia illa crevit: poſt tot demum annos, feri litigatores circũſcriptos ſe ab avaritiâ Romanorum queſti, fraudem, dolum, injuriam, & cætera mala nomina, quæ Romanorum facto impingerentur, vbique vſurpabant, vt colorem Juſtitiæ ſuis armis inducerent; atque inter hæc erupit bellum. Et initio quidem viſa eſt malæ cauſæ Fortuna patrocinari; nam P. Valerius Falto Conſul primo congreſſu improſperè pugnavit, tribus millibus amiſſis, & quingentis; quod vbi fama Romam tulit, illico deſperatum eſt de reliquo Conſulis exercitu:

Zonar. t. 2. Ann.

tu: itaque novi confestim delectus habiti: de quibus vbi Consul certior factus est, mori malle se dicebat, quàm alienâ manu vincere, sanè vel propter dicti stultitiam secundo infortunio plectendus: perniciosissima enim superbia est, aliquid in bello, quâm certam victoriam malle. Vicit tamen felix temeritas; BOIORVM, sociorúmque quatuordecim millia cęsa, duo millia capta. Nihil movit ea clades Boios, quin mox sequenti iterum anno exercitum educerent, cui Romani prioris anni periculo moniti, vtrumq; Consulem opposuere; ij L. Cornelius & Q. Fulvius fuere: qui quamdiu concordibus animis, armísque rem gessere, impetum hostis feliciter fortitérque sustinuerunt. Sed enim cùm duo exercitus Consulares eodem loco tenderent, communísque ager pabulationi tantùm sufficeret, sed non item prædæ; perinde, quasi Ducum diligentiæ incumberet, etiam avaritiæ locum circumspicere; gratam rem militi suo, sed hosti vtiliorem faciunt; diducũt copias, & castris separantur. Non fugit id Boios, Flaccúmque coronâ cinctum in suis castris obsedêre; eluctatus tamen est Con-

Oros. l. 4. c. 12.

VICTORES BOII VINCVNTVR.

Zon. t. 2.

A. V. C. 517.

Consul,pulsique Galli ad maiora domo accersenda auxilia, abiere. Interea enim ingentes ex Transalpinâ Galliâ copiæ advenerant, quas Ates & Galatus Reges clam plebe, exciverant; eæ jam Ariminum vsque progressæ, BOIORVM agro consedêre. Ibi demum patuit, Reges bellum potiùs, quàm illius exitum quærere; privatámque cupidinem Repub. potiorem ducere: populo pulchris dictis os sublitum esse, quem jam antehac à belli consilijs abhorrentem, damna, duobus annis, ab hoste capta, jámq; nihilo propè minora ab auxiliario importata milite, graviter commovebant; cùm horum populationes tantò molestiores essent, quò minùs eas vlcisci licebat; cùm prædo ipse amicus vocaretur: Atq; hinc factum est, vt multò jam etiam magis ad pacis studia inclinarentur; id tandem effectum est, vt Legati ad novos Coss. C. Licinium Varum, & P. Cornelium Lentulum irent, qui agrum Ariminensem repeterent: credebant enim sine bello eam rem confici posse, & jus suum facilè Romanis se probaturos, in quorum oculis ea vis militum staret, quæ ingratam, siqua ferretur, sen-

REGVM INGRATA BOIIS STVDIA.

ANTE Ch. N. CCXXXIV. A. V.C. 518. Polyb. l. 2.

BOII ARIMINENSEM AGRVM A ROMANIS REPETVNT.

ſententiam, ferro eſſet correctura. Conſules cùm & rem tantam, inconſulto Senatu, cōcedere nollent, & confligere tamen, ob paucitatem militum ſuorum, dubitarent, medium conſilium ſecuti, inducias cum hoſte paciſcuntur, & Legatis Gallorum poteſtatem faciunt Romam eundi, re integrâ ad Senatum rejectâ. Hi dum eunt, & infecto negotio, redeunt, res ſuas domi afflictiſſimas reperêre. Nam Tranſalpini, cùm ad bellum gerendum, non ſancienda fœdera veniſſe ſe jactarent, eóque ferociùs agerent; inſana plebs, cùm omnium turbarum auctores Reges deteſtaretur, impetu facto vtrumque obtruncat; in moleſtos deinde converſa hoſpites, cum ijſdem collatis ſignis congreditur, eo exitu, vt ingenti vtrinque clade acceptâ, Tranſalpini reliqui miſerabile ſtipendiũ in patriam reportarint; BOII verò non tantùm à ſpe Arimini, agríque augendi depulſi, ſed illius etiam, quem otioſè, ſine lite, & invidia diu coluerant, magnâ parte multati, bellum ſi non gerere, certè agnoſcere didicerint. REPELLVNTVR. REGES SVOS ET AVXILIARES COPIAS OCCIDVNT.

SED incidit mox quinto poſt hanc cladem

demanno res eiusmodi, quæ BOIORVM quietem rursum turbavit, tantúmque Romanis bellum conflavit, vt si apparatus magnitudinem spectes, neges Populo illi, qui cum toto orbe terrarum pu-

ANTE Ch. N. CCXXX. A.V.C.522.

gnavit, maius vnquam fuisse. Concitator illius C. Flaminius Trib. Pleb. fuit, is qui postea Consul, ad Thrasymenum, ab Annibale cæsus, propè Romanum Imperiũ, quod per omnem vitam furiosis consultis, factísque diu laceraverat, sepelivit:

Polyb. Cicero.

hic M. Æmilio Lepido, & M. Poblicio Malleolo Coss. legem ad Populum tulit, de agro Gallico (illũ intelligo, qui BOIIS nuper ademptus fuerat) viritim dividen-

Valer. Max. l.5.c.4.ex5.

LEX DE AGRO BOIORVM DIVIDENDO ROMÆ LATA NOVA BELLI FAX.

do. Hanc ille gratam plebi conciliandæ offulam objiciebat, cuius se favore adversus nobilitatis potentiam muniebat. Senatus, cùm prospiceret, quantum ea lex offensura BOIOS esset, totis viribus obnitebatur: sed ille neq; exercitu contra se conscripto movebatur; donec pater illius, manu injectâ, de Rostris cõcionantem detraxit: lex tamen nihilominus perlata est, quæ Boios, & Gallicos populos omnes non aliter cõmovit, quàm si ipsa eorum vita peteretur. Quid enim

aliud

aliud restare, etiam terra, solóque sub pedibus subtracto? & hoc quidem lege? æquissimâ sine dubio, vtpote, quam Pop. Romanus jusserit, qui artem invenerit, quâ latrocinia, & furta speret se Dijs, & hominibus probaturum: brevi ergo BOIORVM, in Italia, præter nomen nihil reliquum fore; eam enim Romanorum esse modestiam, vt illud in titulum relinquant sui triumphi, vt nomen sepultarum Gentium, velut in tumulo, legatur: sic nuper Senam coloniam dictam, ductámque esse, ne obliviscerentur, olim ibi Senones consedisse. Si majores sui his moribus vsi essent, Romanos jam nec patriam habituros; Romam certè ab ijs redditam esse, gloriâ, & pauxillo auri contentis: Romanos, quo loco pedem posuerint, gladiúmque strinxerint, mox Agrariam legem reperire, quâ in illius possessionem immittantur. Factum quidem id ad BOIOS, sed exemplum ad socios omnes pertinere; simul atque novæ iterum tabulæ confectæ sint, etiam reliquos Gallos novis Dominis cessuros, qui sibi totius terræ, velut matris, hæreditarium jus vendicent. Intercedendum esse

istis

istis rogationibus, & tales leges ferro confodiendas: ne stilus gladio potentior fuisse videatur. His stimulis BOII Insubres maximè viribus, & potētiâ sibi proximos impulerunt, ad belli secum societatem ineundam: reliquos enim populos, vel suum, vel illorum nutum noverant esse secuturos: de ipsa belli gerendi ratione consultantibus placuit, iterum externa auxilia advocare. Celebre erat eâ tempestate Gæsatorum nomen, quibus ætatem bello conterere, & fortem animam, non nisi per vulnera, emittere, inter prima decora habebatur; turpissimum, aliter quàm pugnando mori: eum ducem sequebantur, qui æs dedisset; vnde etiam ijs Polyb. & Plutarchus nomen esse existimant. quibus vt non valde pugnem, ita illud alterum verius videtur, à Gęsis, quod hastę vel pili Gallici genus est, hoc nomen accepisse, ad eum ferè modum, quo hodiéque stipendiarium militem, à suis quemque armis denominamus: quò etiam illud Servij facit, qui eodem nomine telum, & fortem virum Gallis Gęsum dici alicubi adnotavit. Porrò Gæsatis cùm à bellis respirarent, sedes inter

GÆSATI IN ITALIAM A BOIIS ACCITI.

Polyb. l. 2. Plutarch. in Marcell.

Servius in 8. Aeneid.

Inter Rhodanum, & Alpes fuere: duobus tum Regibus parebant, Aneroësti, & Concolitano. Ad hos communi fœderatorum nomine Legati ire juſſi, qui eos ad belli ſocietatem invitarent. Legatis, ne ſola verba afferrent, magnum auri pondus Regibus ferendum datum, potens militaribus animis irritandis illecebra. Aurei inſuper promiſſi montes ſua nomina daturis in id bellum, quo Roma peteretur, non ſuis tantùm, ſed Italiæ, Siciliæque opibus potens, & commune plurium jam populorum ſpoliarium; nec dubitari de ſucceſſu poſſe; fatale illi vrbi eſſe, à Gallis vinci; communes olim vtrorumque majores, ſex illius montes in poteſtatem jam redegiſſe; ſeptimum ipſum etiam auro redemptum: promittunt ſe duces fore, & veteri notóque itinere ad Collinam portam præituros, quæ olim ad ſigna Gallica ſpontè patuerit. Reges tam benignâ ſpe excitati condicunt; ſed vel apparatus cura, vel aliqua ex tranſverſo incurrens infelicitas expeditionem in plures annos morata eſt. Porrò non erat tanta vel occultandi conſilij ars, vel ſilentij fides, vt fama Gallos Romæ non

proderet. Igitur illic primùm omnium ad Sibyllinos libros, vnicum laborantiũ consiliorum asylum, decursum, & sceleratum indè arcanum evolutum, sine dubio pessimo ore dictatum: promittebatur rebus Romanis melius fore, si Dijs humanâ hostiâ fecissent; illi obsequentes, in foro Boario, quatuor homines, Græcum, & Græcam, Gallum, & Gallam, vivos defodêre, insigni impietate, qui Deum crederent homini lupum factum talem sanguinem sitire, cùm verius sit, optare illum etiam hominem homini esse Deum: quòd si illa Romanos ad hoc immane factum causa movit, quam Zonaras attulit, tum impietati etiam stultitiæ infamia aspergitur. Is enim Oraculum datum Romanis memorat, Vrbem olim à Gallis, & Græcis capiendam esse, cujus tam tristis vaticinij sortem, vt vel eluderent, vel quoquo modo implerent, vivos homines earum Gentium terram subire coëgisse, vt in illius velut captæ sinu, dicerentur exspirasse, ipsique grandi periculo, cum risu, perfungerentur. Illud deinde ab ijsdem haud sanè stolidè cautum, ne quis omnino homini Gallo, aurum

ROMÆ GALLVS ET GALLA VIVI DEFOSSI.

Zonaras t. 2.

aurum argentúmve datum vellet; quòd M. Æmilio Barbula, & M. Junio Pera Coss. cognitum erat, Boios, vndecunq; possent, pecuniam facere, ex venditione maximè corporum captivorum; vnde non vanè suspicati sunt, illos bello, quod contra se pararēt, nervum quærere: quia deniqueab ingenio suo desciviſſe Gallos videbant, neque jam impetu, & ferociâ, malis consultoribus vti, sed bellum morâ coquere, multò indè magis formidabant, quòd illa ingentia corpora, & vires propè humanis majores, jam demum animâ, & ratione regi viderentur. Itaque tristiora veteribus malis animo occurrebant, quæ ab his passi essent, nondum consilio, sed tantùm manu temerè vsis. Ergo & ipsi se ad ingens bellum parant, delectúsq; haberi cœpti, non Romæ solùm, sed etiam per Italiam, apud socios populos; quin imò ex ipsis etiam Gallis quidam legationibus solicitati sunt. Cenomanni ij fuere, qui cum vicinis Venetis à Gallorum consilijs erant alieni: supra fidem propè est, quantum hominum censum sit, qui arma ferre possent; nam si Fabio veteri Historico credas, qui rebus

Ante Ch. N. CCXXVIII *A. V. C. 524.*

ROMANORUM OB FAMAM NOVI BELLI METUS ET APPARATUS.

Fabius apud Oros. l. 4. c. 13

præſens interfuit, octingenta armatorum millia numerabantur. Polybius, qui numerum particulatim init, peditum ſeptingenta & ampliùs, equitum ſeptuaginta millia recenſet. Plinius verò excluſis etiam Tranſ-Padanis auxilijs, quæ Polybius adnumerat, tamen peditum tantundem, equitum verò octoginta millia conficit; atque hanc ipſam delectuum curam non vanè trepidationis maximæ argumentum eſſe auguratur; quamquam neque tum quidem timere Roma deſijt, cum his tantis copijs circumvallaretur; cúmque omnis propè, pro Vrbe vnâ, ſtaret Italia, vt illa quemcunque hoſtem, non ex vna tantùm Gente delectum, ſibi vltrò deberet depoſcere; ſed tantum abfuit ab hac audacia, vt ſubinde, cùm Boii, ſociíque nondum domo exiſſent, Romani famæ ludibrio exciti, ad fines vſque procurrerent, iras nequidquam in aërem effuſuri. Anno tandem Vrbis DXXIX. C. Atilio Regulo, & L. Aemilio Pappo Coſſ. poſt ſeptennij molitionem, maturuit bellum: Gæſatorum Reges ambo, tranſcenſis Alpibus, Boios, & Inſubres cum exercitu, ad Padum, ex condicto,

Plin. l. 3. c. 20.

ANTE Ch. N. CCXXIII.

ERVMPIT BELLVM.

cto, paratos offendêre: &, nisi in numeros vitium irrepsit, conjunctis copijs, non supra quinquaginta peditum millia, Equitum, Essedariorum viginti censa sunt; qui minor sine dubio Romanorum expectatione numerus est; minorem effecit Cenomannorum defectio, qui cum socijs, quadraginta hominum millia sub signis habebant, & vastando BOICO agro relicti erant; quibus proinde pars copiarum opponenda fuit. Romanorum, præter hæc auxilia, triplex exercitus fuit: vnus Atilio Consuli, in Sardiniam, ad provinciales motus componēdos profecto, additus: secundus cum Æmilio altero Consulum Arimini consederat: tertius cum Prætore in Hetruriam missus, qua parte potissimùm hostes irrupturi credebantur: eáque opinio vera fuit; nam Galli per Apenninum in Hetruriam ingressi fœdis omnia populationibus obterebant: illic cùm se hostis in conspectum non daret, ferociores facti, Romam conclamant, veterémque fortunam ducem, comitémque itineris invocant. Britomarus etiam BOIORVM Dux se suúmque populum jurejurādo obligat, thoracem,

Flor. l. 2. c. 4.
Zonar. t. 2.

BRITOMARI BOIORVM DVCIS VOTVM.

& balthcum neminem ipsorum, nisi in Capitolio, positurum; tam largè illis plana omnia gestiens animus promittebat. Jam Clusium venerant auspicatissimam Genti suæ vrbem; indè enim quondam à majoribus ipsorum Romæ captivitas erat importata. Approbantibus omen nuncius affertur, hostem tergo imminere; illi pugnæ avidi, repentè conversâ acie, confidentissima hosti pectora objiciunt; sed quia Sol in occasum pronus magnæ rei fieri nihil sinebat, junctis Romano castris adsedêre. Nocte concubiâ, equitatu illic relicto, & ad Solis ortum se subsequi jusso, crebris accensis ignibus, cum reliquo agmine, Fesulas iter intenderunt; Romanos & tenebræ & faces fefellêre, vt abeuntes non senserint. Vbi coorta lux solos equites ostendit, discessionem Gallorum, fugam interpretati, vndique coorti illos insequuntur: donec imprudentes in pedestre agmen inciderunt. ibi atrox oborta pugna est, magnis vtrinque animis gesta, donec Romani, sex millibus amissis, effusi in fugam, vicino tumulo successêre: quem quò minùs Galli oppugnarēt, pervigilata prior nox, &

SIMVLATA FVGA.

PVGNA GALLIS FELIX.

& itinere, pugnâque collecta laſſitudo prohibuere. Spes etiam erat, ſpontè deditionem facturos, ad quam extorquendam equitatus ad collem relictus; ipſi ad curanda corpora conceſſere. Interea Æmilius Conſul, qui hoc tantùm cognoverat, hoſtem pervaſtatâ Hetruriâ, concitato agmine, Romam properare; ne patriæ deeſſet, quantis potuit itineribus, Arimino profectus, illâ ipsâ nocte, non procul tumulo, quem Romanorum reliquiæ occupaverant, conſedit. Eius adventus Gallis juxtà, Romaníſque ignium indicio, proditus, vtrorumque animos variè affecit. His velut ad lapſum cælo in tempore auxilium reſpirare nonnihil ex deſperatione licuit; illis ſplendidæ victoriæ parùm commoda nubes videbatur inducta, vnde etiam ſibi impluere malum poſſet: & Romani quidem, quà laxior cuſtodia, & denſius nemus fuit, emittunt, qui Conſuli totam illius diei fabulam explicet; qui ex re ipſa capto cõſilio, rectà cum equitibus ad tumulum contendit: Tribunis imperat, ſimul cum die, peditem in aciem educant, certus prioris diei fortunam altero prælio corrigere.

 rigere.

ANEROESTIS REGIS PRVDENS CONSILIVM.

corrigere. Implicatior apud Gallos consultatio fuit, quæ Ancroëstis tandē Regis sententiâ est expedita. Summa fuit, bello in præsens abstinendum. Quid enim illo quæri? gloriam? opes? spolia? at enim, earum rerum tantum partum esse, quantum vix avidus animus, & avara manus capiant. Facturos se injuriam Fortunæ, si de ipsius liberalitate videantur dubitasse: eius pœnitentiam potiùs timendam esse, nunquam satis constantis, præsertim cùm in dando excessit modum: & fortasse hunc exercitum, alienissimo tempore, ab illa conductum, per quem munera sua repetat. Commendandam illius benignitatem modestiâ esse, & tantas opes in tuto collocandas; excusso auro, si videatur, cum ferro redituros ad novam messem: militem illum confidentissimè pugnare, qui præter animam nihil possit amittere; neque enim gratis spolia impedimenta dici, quæ qui plurima habeat, vt plurimùm cogitare de fuga. Approbatâ ab omnibus sententiâ; neque Romanorum motu, neque luce exspectatâ, de loco proficiscuntur. Æmilius vltimum subsecutus agmen ad

justum

justum prælium descendere non ausus, id tantum agebat, vt Fortunæ,& tempori in loco non videretur defuisse. Interea Atilius alter Consul,pacatâ Sardiniâ,rerum omnium ignarus, exercitum reportabat; is exceptis, ad Telamonem Hetruriæ promontorium, Gallorum pabulatoribus, per illos omnem rei gestæ seriem intelligit; & cætera quidem parum læta; illud subcommodum, Consulem alterum Gallis à tergo pedetentim incũbere. Adoravit Atilius Fortunam Patriç, quæ hostem duobus consularibus ęxercitibus integris objectasset; eam ipsam jam aciem instruxisse, Romana agmina à tergo, & fronte collocasse, compactum in medio hostem stare,quid nisi ad lanienam? si secus accidat,neminem nisi ignaviam suam accusaturum. Ipse cùm collem sibi notasset viæ imminentem, quà hostis iter facturus erat, cum equitatu illum occupat;Tribunis mandat,aciem in frontem,quantùm per viam liceret, explicent, & gradu militari subsequantur. Galli, Atilio viso, existimabant, Æmilium, noctu circumductis equitibus, loca opportuna præoccupasse; de Atilio

CONSVLIS ALIENISSIMO TEMPORE, ADVENTVS.

ipso nihil, ne per somnium quidem. Igitur & ipsi suum equitatum præmittunt, qui collem nudet, & Romanos dejiciat: verùm vbi ex captivis intellectum est, alterum Consulem adesse, capto in arena consilio, aciem bifrontem instruunt; & Gæsatos quidem cum Insubribus Æmilio subsequenti obvertunt; BOIOS & Tauriscos Attilio objiciunt; plaustra, & esseda ex acie submovent; prædam in proximo tumulo cum præsidio relinquunt. Neque dum Æmilius sciebat alterum Consulem adesse; id vnum nôrat, eum Pisas cursum tenere: vbi verò pugnam ad eum, quem diximus, collem vidit, ratus id, quod erat, equitem Collegæ auxilio misit, ipse quadrato agmine in hostem processit. Equestris pugna Gallis ab initio felicior fuit, in qua Attilius ipse temerè in hostem invectus cecidit: cujus caput à trũco avulsum, Regibúsq; allatum, gratum spectaculum præbuit, animósque adeò auxit, vt Gæsati, veste omni abjectâ, ante prima signa, scuta quatientes, plausu pedum, & incondito vlulatu non speciem pugnæ, sed Bacchi triumphum repræsentarent; aurei in illorum

BOIORVM, SOCIORVMQVE CVM TRIPLICI ROM. EXERCITV PVGNA.

GÆSATI NVDI PRÆLIVM INEVNT.

lorum collo torques, aureæ in manibus armillæ Romanorum oculos perstringebant; vt illos minùs mors Consulis terreret, quàm stolidus hostis animabat, in quo quamvis nudo tantum esset prædæ. Gæsatos in hunc furorem levissima ratio pręcipitaverat. Impeditus senticeto campus erat, in quo pugna conserenda fuit; censebant ij induta vepribus sagula suæ virtuti moram factura: intectum expeditissimè pugnare; torosos lacertos, & spatiosos armos, arma esse naturæ: ignavum, neque si totus in ferro stet, esse invulnerabilem: ostensuros se Romanis, quid nuda Gallorum virtus possit. Sed brevi temeritatem illam sparsus à Romanis telorum imber confixit. ibi demum Gæsati se non tantùm nudos, sed etiam miserrimos esse senserunt; nam simul atque gęsa sua, manu emiserant, in scuto, quod non erat pro mole corporis, præsidij parùm, in gladio vsum nullum omnino reperiebant; cùm Romanus pedem non conferret, quòd eminus pugnando videret se tutiùs, certiúsque posse vincere. Igitur inter illa confossi corporis tormenta, furens animus nihil Gæsatis, præ- FVGANTVR.

ter

ter turpem fugam, aut insanam in hostes irruptionem suggerebat: & pars quidem posterius consilium, vt honestius secuta est, nullo tamen ferè successu; nam neque ordine id faciebant; & misera ipsa pugna est, in qua desperans miles suam potiùs, quàm hostis mortem quærit. Sic Gæsati pugnando hosti parum, fugiendo socijs plurimùm nocuêre, seróque experti sunt, se solâ feritate neque armatos satis, neque tutos fuisse. Porrò vbi tandem ad statariam pugnam, & gladium ventum est; Insubres, BOII, & Taurisci fortiter quidem fecerunt, virtute Romanis pares, sed armorum genere inferiores: nam scuta Gallis nec firmata ferro, neque nervo commissa, sed viminum textus, aut debilis cortex, gladium vsque ad corpus facilè transmissurus. Gladius etjam vnam tantùm vehementem plagam habet, post quam non modò obtunditur facilè, sed etiam curvatus hærebit in manu inutilis, nisi pede connixus miles illum corrigat; neque in mucronem desinit, vt non nisi cæsim eo ferire liceat. Romani contra acutâ cuspide facilè vulnus, mortémque inferebant; cùm, vt militaris

ARMA BOIORVM, SOCIORVMQVE.

litaris

ſitaris Scriptor loquitur, puncta duas vncias adacta mortalis ſit. Neque tamen ea armorum iniquitas pertinaciã pugnandi, moriendíque in Gallis fregit, quamdiu cum pedite ſolo res fuit. Sed cùm eques inſuper de colle defluxit, Gallicus equitatus terga vertit; ſed conſtantior etiam tunc pedes loco ſuo non ceſſit, eundémque etiam amiſsâ animâ, corpore texit. Aneroëſtes Regum alter paucis comitantibus prælio elapſus eſt; ſed dedecoris impatiens, & ne hoſtis augeret triumphum, ſe, ſuóſque ferro peremit. In pugna quadraginta Gallorum millia cæſa feruntur, decem millia capta, intérque hos Rex alter Concolitanus. Præda, quæ internoſci poterat, ſuis dominis reddita eſt; ſpolia reliqua Romam miſſa. Victor Conſul ſecundùm Ligurum fines profectus, in BOIORVM agrum exercitum immiſit, cúmque depopulandum militi dedit, tandémque ſatiatum prædà Romam duxit. Armillas & torques aureos Capitolio intulit, captivos & ſpolia in triumpho præ ſe egit; cúmque ſuperbum illud Britomari, BOIORVMQVE votum emanaſſet, balthéum & thoracem

Veget. l. 1. cap. 12.

GALLI VICTI, CÆSI, CAPTI.

BOII IN CAPITOLIO DISCINCTI.
Flor. l. 2. c. 4.
ANTE CH. N. CCXXII.
A.V.C. 530.

eos non nisi in Capitolio posituros, Cōsul religione illos solvit, & miseros ipse discinxit. Hunc nobilis in paucis expeditio exitum habuit, Gæsatorum maximè stultitiâ eversâ, quorum auxilia tantâ ambitione empta fuerant: magno documento, vim consilij expertem mole suâ ruere, temperatam provehi. Sequens annus nonnihil lætior fuit, quo Boii paratum sibi à Romanis malum, prudenti constantiâ depulerunt. Persuasum Romanis erat, contra Boios jam non arma, sed leges se laturos, ad quarum patientiam prioris anni clade commitigati videbantur. Igitur ambo Consules trans Apenninum ire jussi, ad totum circumPadanum agrum populo Romano asserendum: sed res dictu, quàm factu facilior fuit: mox apparuit, Boios non ita victos esse, vt, si de aris & focis suis ageretur, arma & animi ijs deessent. Igitur in præsens nullâ immitiore sententiâ exulcerandos rati, illud, à non invitis impetrarunt, vt in fide Senatus, Populique Rom. esse vellent. Reliquum anni pestilentiâ infame, & gravi imbribus continuis cœlo, mœsto silentio, inter funera dome-

BOII IN FIDEM P. ROM. CONCEDVNT.
Polyb. l. 2.

domeſtica abſumptum eſt: quanquam *Zon. & Oroſ.*
alij pugnas cædéſque narrant, ne mitiùs
arma, quàm peſtilitas in homines graſſa- ANTE Ch.
rentur. Proximo anno (Flaminio & Pub. N. CCXXI.
Furio Coſſ. cùm vtriq; eorum Gallia pro- *A.V.C. 531.*
vincia decreta eſſet) belli omnẽ molem
Inſubres Arioviſto duce excepêre; qui *Polyb. l. 2.*
bis victores, ad neceſſitatem ineundi fœ- *Florus l. 2. c. 4.*
deris Romanos compulere: ſed id ſerva- *a. Aſtrionico.*
tum eſt, quamdiu ex vſu Romanorum
fuit; nam mox, capto commodiore lo-
co, vbi rem gladio geri poſſe credidere,
contemptâ fœderis religione, etiam in-
vitos ad arma Inſubres traxere; præſertim
cùm Flaminius ille, Deorum, hominúm-
que contemptor, in caſtris cum imperio
eſſet, qui atroces iras, quibus in Gallos
omnes, BOIOSQVE maximè ferebatur,
quos nuper, vti diximus, Agrariâ lege
perditum iverat, non niſi totius Gentis
excidio placaturus videretur: vnde neq;
prodigijs vllis territus, quorum religio-
ſiſſima apud Romanos obſervatio fuit,
cùm fluvius Picenum agrum interlabens
ſanguineus flueret, & Arimini tres Lunæ
viſæ eſſent, & augures palàm pronuntia-
rent, Conſules vitio creatos videri, Fla-
minius

minius tamen Senatus literas, quibus cum Collega in vrbem revocabatur, non antè aperuit, quàm cum hoste conflixisset, & quidem, quod mireris, feliciter; alente insaniam illius Fortunâ, & ad diriores casus reservante, cum suâ propè Repub. periturum. Ante prælium Galli de spolijs Rom. militum Marti suo torquem voverant; sed id votum aliorsum cecidit; nam Flaminius ex Gallorum torquibus Jovi trophæum ornavit. In hac ipsa pugna Gargenum vel Garganum BOIORVM Regem huius ipsius Flaminij dextrâ occubuisse Silius auctor est, imò belli totius maximam partem BOIOS fuisse, superbâ apud eundem oratione Flaminius commemorat; horum à se impetus iterum Capitolio pavendos repressos, & ingentia corpora vix profundis vulneribus animam amittentia à se fusa, jactabundus illic deprædicat: verùm quia huius rei testimonium solus Poëta dicit, historiæ verecundia illo subtimidè nititur; etsi jam aliàs monui, Silium, etiam cùm id arrogantissimè cuperet, vix potuisse Poëticè loqui. Insubres tandem, damnatâ armorum infelicitate, pacem per Legatos

Flor. l.2. c.4.

GARGENVS BOIORVM REX, *Sil. l.5.*

gatos petunt, ijs legibus, quas dare victor populus vellet; sed ea neque æquis, neque iniquis conditionibus impetrari potuit; quòd novi Consules M. Claud. Marcellus, & Cn. Cornelius Scipio, otioso anno, triumphum sibi periturum vererentur: igitur privatæ illorum ambitioni publico iterum discrimine fuit parentandum. Insubres suis viribus diffisi rursus Gæsatorum auxilia evocarunt; quorũ triginta millia, cum Rege Virdomaro in Italiam transcenderunt. Regem ipsum genus à Rheno jactantem Propertius describit: vel, vt, ex vetere libro, Passeratius emendat, à Brenno; certè eodem vestis genere vsus est, quo suprà Chrixum BOIORVM Regem, itidem atavo Brenno gloriantem, indutum vidimus; nimirum virgatis brachis. Sed etiam horum virtutem Fortuna Romana triumphavit. Rex ipse Virdomarus, cùm admisso equo infestam in Marcellum hastam direxisset, gloriam, & arma, quæ ex Consule sperare ausus est, ipse dedit. transfixum Consul despoliavit, & tertia illa opima spolia Jovi Feretrio suspendit: interceptum iterum aliud militum votum est, qui Ro-

ANTE CH. N. CCXX. A.V.C. 532.

Propert. l. 4.

EX VIRDOMARO OPIMA SPOLIA RELATA.

mana arma Vulcano promiserant; nam & castris, armísque exuti sunt. Mediolanum etiam totius Gentis caput in potestatem redactum; quo facto, se suáque omnia Insubres Romanis dedidêre: quibus tamen pax non iniqua cōcessa est. ad eúmq; modum BOIIS, & Insubribus domitis, omnis togata Gallia quievit. Nos proinde in aliam orbis partem BOIORVM virtutem spectatum camus; nam revera ad BOIOS omnis illa Gallorum in Asia, Græciáque historia pertinet; quando, vt suprà ostensum est, ex ipso BOIORVM Regno, ea in illas terras educta expeditio est; quod quidem etiam à Sabellico, non indiligenti Scriptore, tanquam indubitatum video affirmari.

Ennead. 4. lib. 8.

III. RES GALLORVM IN GRÆCIA.

EODEM igitur anno, quo hæc in Italia gesta sunt, in Græcia bellum Cleomenicum finitum est, non sine operâ Gallorum; Antigonus enim, qui solis promissis dives, omnium hominum debitor erat, ideóque Doson vocatus fuit (nobis, Daturus, diceretur) cum Cleomene Spartano Rege, in sextum jam annum, vario eventu, bellum gesserat; atque hoc illum demū anno ad Selasiam debellavit. Antigo

Polyb. l. 2.

tigonus, instructâ acie, Gallos ipse ducebat, vt quibus plurimùm confideret; iiq; in amborum Regum conspectu memorandum edidêre prelium; cùm pulchrum crederent, talibus oculis, etiam moriendo, spectaculum dedisse. Victoria penes Antigonum fuit; quâ cùm multis Græciæ civitatibus libertas parta sit, certum est, eius partem gloriæ ad Gallos pertinere. Post duos ab hoc prælio annos, inter Byzantinos, & Rhodios bellum, ingenti apparatu, exarsit; cuius causas operæprecium est explicare. Galli, vti suprà à me demonstratum est, post expeditionem Delphicam, Comontorio duce, in Thraciam appulsi, bonitate agri illecti, illic consederant; subactisque Thracibus, latè imperabant; ipsis Byzantinis adeo timendi, vt octoginta talenta annua, stipendij nomine, Gallis numerare cogerentur, nisi eorum arma experiri mallent. id Byzantini, quibus poterant animis, ferebant: sed, ærarium sub illo exactionum onere, tandem succubuit; cui levando instituerunt vectigal è navibus exigere, quæ in Hellespontum inveherentur: eius rei novitas cum civitati-

bus, quæ mercaturam faciebant, gravis accideret, Rhodios, penes quos eà tempestate maris imperium fuit, impulêre, vt missâ Legatione, Byzantios à sententiâ deducerent. illi quanquam pro libertate mercium fortiter agerent, ærarij tamen exspirantis causa non minùs facundè est disputata: infectâ proinde re discessum, & à lite ad bellum ventum est; in cuius societatem Rhodij Bithyniæ Regem Prusiam haud difficulter pertraxere. Byzantini, vt & ipsi partes suas Regũ auxilio potentiores redderēt, Achæum, qui omni ferè cis Taurum Asiâ potiebatur, & Attalum Pergami Regem sibi conciliare nitebantur. Et Achæus quidem auxilia promisit; sed Attalum accisæ res privatæ ipsummet alienæ opis indigum fecerant, vti pòst narrabitur. Igitur in illius locum Tibiten è Macedonia evocāt, cuius copijs adversum Prusiam se munirent. Sed omnia consilia Byzantinorum irrita fuere; nam Achæi auxilia, intra spem, & magnidicas promissiones steterunt, Rhodiorum astu; qui cùm animadverterent, Byzantios Achæi maximè societate niti, eam illi omni ope dissuere

labo-

laborarunt; in eámque rem Achæum officiosis obsequijs delinire aggressi sunt; quæ ferè ad Reges expugnandos fortissima tela esse solent; cùm magnus animus ægriùs se beneficijs, quàm armis vinci patiatur. Erat apud Ptolomæum Regem Achæi pater Andromachus captivus, quem si Rhodij liberassent, filióque reddidissent, sciebant facti sui maximam gloriam, gratiámque futuram: & quanquam Andromachum in vltimos casus Ptolomæus studiosè servabat, sperabant tamen Rhodij illum amicitiæ suę dandum, si id ex animi sui sententiâ impetratum vellent: nam olim quidem, cùm filij minor vsus esset, patris liberatores videri, nunc esse volebant; more Gentis humanæ, quæ pridem ex amicitia mercaturam fecit suarum vtilitatum. Igitur abductum à Ptolomæo Andromachum Achæo restituunt, quâ benevolentiâ, & honoribus alijs, non tam ab affectu, quàm ingenio petitis, quasi lenibus admotis tormentis, facilè Achæum exarmant, & à Byzantijs abducunt. Per eadem tempora Tibites, quem è Macedonia Byzantini exciverāt, fato functus est, vt in illos cojnurasse for-

CAVARVS GALLORVM REX PACEM INTER DISSIDENTES CONCILIAT.

tuna videretur, cùm omnia ijs auxilia invideret, & nudos tot potentissimis hostibus objiceret. cùm repentè, vnde minimè sperari poterat, salus desperantibus affulsit. Cavarus Gallorum Rex, per eadem tempora Byzantium venerat, & jam Prusiam, jam Byzantios aggressus, consulendo, hortandóque tantum effecit, vt pax vtrisque volentibus esset; quod vbi Rhodij intellexere, ne soli sub cultro, quod dicitur, relinquerentur, Legatis missis significaverunt, neque à pace, neque ab arbitro se abhorrere. Id Cavaro, & Gallicæ Genti gloriosum, Reges, Populósque potentissimos ad suum nutum arma ponere, pacémque velut è manu, & sinu suo accipere: leges ipse dixit, secundùm quas pax conveniret, Byzantij ne portoriũ aut vectigal à nautis exactum vellent; à Prusia vim dolúmque abstinerent; Prusias bello capta, bonâ fide, dominis, sine precio redderet. Illúdque disertè additum, vt marmora, tegulas, lateres è locis sacris ablatos reveheret. Eo pacto justitiæ & pietati consultum; Cavarus pacis auctor, discusso periculosissimo bello, solus, sine armis triũphavit

Polyb. l. 4. & 5.

phavit. In eadem tempora bella quæ inter Achæum & Attalum gesta sunt, incidêre. Attalus, vt superiùs docui, Asiæ, Syriæ, Macedoniæque Regibus inter se digladiantibus, fatigatam Regum suorum armis Asiam integer ipse invasit; &, velut imparem nactus luctatorem, facilè in potestatem redegit. Pergami anteà Dominus, aut si multum, Regulus, mox Rex, & diadematis capax, jura toti ferè cis Taurum Asiæ dabat, &, quod ante illum nemo ausus erat, fortunæ suæ confidentiâ, TOLISTOBOIOS, sociósque, longâ felicitate insolentes ad modestiam deduxerat: sed, quæ rerum humanarum conditio est, vt freqenter dominos mutent, pluribus illusuræ, sors Attali, cùm invideri posset, mox reperit non modò æmulum, sed & hostem. Seleucus enim Ceraunus Attalum in alieno regno se jactantem oppressurus, in Asiam properè abijt, comitem trahens Achæum, regiæ stirpi cognationis vinculo innexum. Sed Seleuco nova somnianti imperia, & armanti exercitus, mors etiam vitam abstulit, duósque illi fatales gladios objecit; nam Gallus quidam Apaturius & Nica-

nor dolis appetitum interemêre; causæ non produntur: proclive creditu est, ab Attalo esse ad hoc scelus armatos: quod ne diu impunitum maneret, comprehẽsi ab Achæo, quæ fecere, passi sunt. Neque Attalus ipse tutior fuit, vno hoste sublato; cùm nulla magna felicitas vnum tantùm inimicum habeat; nam quod Seleucus minabatur, Achæus fecit; qui recuperatâ, mirâ celeritate, Asiâ, Attalũ Pergami conclusum, intra pristinæ conditionis limites compegit, ægrè jam regiũ nomen defendentem, quod sibi interim Achæus sumpsit; pueritiæ ludum, & vices crederes, in Basilinda, pro tralatitio Regno, ridiculè dimicantis. Sed Attalo respirandi facultatem recens Achæo hostis subnatus dedit: Selgenses illum bello appetebant; quod dum trahitur, Attalus noua auxilia circumspicere, copias contrahere, suis quàm minimùm, plurimùm alienis niti; in Gallos etiam meliore animo esse, veteris odij superbiam miseriâ corrigente; cùm præsens necessitas optima amicitiarum conciliatrix opportunas illi fortissimæ Gentis vires suggereret, & laudaret. Ex Galatiâ tamen, vbi

TOLISTO-BOIOS habitasse diximus, auxilia non poposcit; quòd, vti ego interpretor, repulsam vereretur, risu, quàm auxilijs eorum dignior, quorum operâ nihil se indigere, primus omnium Asiæ Regum, jactaverat. Igitur trans Hellespontum, ex Thracia, vti opinor, Gallos evocat iique magno numero venêre; quos vxores liberíque plaustris vecti sequebantur, sive vt in Asia sedem fixuri, sive id Gallorum consuetudo ferebat; nam cùm illis omnis in armis vita ageretur, & domum ferè cum castris eandem haberent, facilè per varios belli casus absumpta Gens fuisset, nisi intra vallum supplementum nasceretur. Neque id fœminis durum, viros etiam bellò sequi; vt quæ scirent, in omnem vtriusque fortunæ societatem se nubere; & magnarum virtutum cogitationes, periculorúmque patientiam, pro dote afferrent: viris porrò ipsis maximum incitamentum virtutis, & omni classico fortius, vicinos vxorum, infantiúmque vlulatus audire, quibus monerentur, nunquam pro vna tantùm anima se pugnare: filijs ipsis denique, qui patrem non nisi armatum aspi-

NOVA GALLORVM MANVS IN ASIAM TRANSMIGRAT.

ciebant, quíque non solùm tyrocinia, sed & incunabula in castris ponebant, & infantię somnos ad cantus tubarum, non nutricum nænias carpebant, virtus ipsa innascebatur; Cadmæam sobolem posses dicere, natam cum armis, vel certè ad arma. His ergo Attalus adjutus magnam partem Æolidis, & vi, dolóve perditarum, proditarúmque vrbium recepit, & longo triumphos suos cursu propagavit; sed miles etiam inter victorias fatigabatur; sive quia & illæ sanguine constabant, sive, quæ propria Gallorum querela fuit, tam longæ eos jam viæ pigebat, qui totas secum domos traherent. Montes difficili ascensu, & tot objecta flumina, soli jucunda Attalo, cæteris odio erant; & satiati prædâ pro Regis ambitione minùs acriter pugnabant: nam rarò justa prodigendi sanguinis causa militi est, sola ducis gloria. Interim cùm supra Megistum amnem castra posuissent, hebescens Luna fœdato lumine, & in tenebras mersa omnium in se ora convertit; vti ferè cælum spectatores plures non habet, quàm vbi Sol, vel Luna vultum mutant. Et talia oculis tantùm, & non ratione comprehen

ATTALVS GALLIS SOCIIS FELIX.

prehendentibus, vt rudi illo ævo, longè terribiliora accidebant; colorem hunc laborantis sideris interpretabantur, & velut impendente cæli ruinâ, trepidabãt. Galli certè palàm militiam detestabantur, à qua etiam cælum videatur oculos avertere, & communem lucem subducere, non nisi pessimis consilijs negatam; se quidem cælo invito non pugnaturos, nec Elementorum ordinem turbaturos. Attalo jam aliàs Galli graves erant; conscientiâ virium insolentes, militarem disciplinam, quæ ferè obedientiâ constat, pervicaciâ corrũpebant; separatis castris tendere soliti, eóque socijs etiam timendi, velut in manifesta secessione; jámque sæpiùs Regi in mentem venerat, vt coronâ cinctos militum lanienæ objiceret; nisi metus infamiæ obstitisset, sine dubio crudelitatem perfidiámque detestaturæ, quòd sua signa ex ipsa vsque Europa secutos tali stipendio remunerasset. Igitur præsenti terrore, quem ijs superstitio, & cælum incusserant, vsus, quod casus obtulerat, in sapientiam vertit; promittit Gallis, ad Hellespontum se eos remissurum, & si Europæ pœniteat, in Asia agros assi-

aſſignaturum; gratiam ijs apud ſe integram ſẽper fore; curaturúmque, ne quid fruſtra vnquam velint. Galli cùm ad Helleſpontum remigraſſent, oram illam omnem infeſtam reddebant, & prædas ex agris oppidíſque agebant: Ilium tandem etiam obſidere aggreſſi, ab Alexandrenſibus non illâ ſolùm vrbe, ſed totâ Troade ſunt expulſi: qui captâ in Abydena regione Ariſbâ vrbe, in ſpem venerunt omnibus eius tractus vrbibus potiundi. Sed Pruſias internecino bello omnes oppreſſit, neq; à liberis quidem, conjugibúſque manum abſtinens: vt infelix illud agmen, iniquis fatis, in Aſiam attractum videri poſſit, vt illic tumulum reperiret. Proximo anno, bellum inter Antiochum & Ptolomæũ, de Cæleſyria, ortum, ſequenti finitum eſt, Ptolomæo victore; & ſub hoc quidem Gallos militaſſe; inter Antiochi autem Duces etiam Lyſimachum Gallum fuiſſe comperio; at enim belli illius progreſſũ pluribus perſequi, conſilij noſtri non eſt: ſatis fuit tot documentis eviciſſe, nihil magnæ rei ſine Gallis in Aſia patratum; quanquam cum permixta TOLISTO-BOIORVM, cætera

Polyb. l. 5.

Polyb. l. 4.

NIL MAGNÆ REI SINE GALLIS IN ASIA GESTVM.

terarúmq; Gentium Gallicarum arma eſſent, neque triumphi hodie ſecerni poſſunt; mihi tamen religio fuit, etiam ea, quæ illis cum alijs communia fuere, indicta præterire. Nunc in Italiam, quò nos ingens bellum vocat, revertamur. Mediolano, quemadmodum ſuprà diximus, in poteſtatem Romanorũ redacto, Boii, Inſubréſque ingens vulnus acceperant; videbantúrque à belli conſilijs depulſi, ingenium ad otij patientiam inflexuri. In quartum jam annum quieverant, quo Boii iterum vniverſam Galliam excitarunt. Duæ eo anno coloniæ à Romanis decretæ erant, Placentiam altera cis Padum, in ipſum BOIORVM agrum; Cremonam altera, vltra flumen deducenda; duodecim hominum millibus, è Latio in vtramque deſcriptis: id ſcilicet Boiis intolerabile viſum, Romanorum ſuperbiam ex eo facto æſtimantibus; ab ijs ſe nuper in fidem acceptos, ſub pulchro nomine, in ſervitutem detrudi, & turpiſſimam quidem illam; nam neque hoc ſaltem honori ſuo, nomini̇́que datum eſſe, vt Romani in agrum ſuum Coloni immitterentur, quorum Fortunæ Gallica

Polyb. l. 3. Liv. l. 21. Aſcon. in Orat. Cic. contra Piſon.

A. V. C. 536.

COLONIÆ DEDVCTÆ IN AGRVM GALLICVM NOVOS MOTVS CREANT.

Virtus minùs verecundaretur. subjici; nunc Latinos cervicibus suis impositos esse, quales Dominos! quos neque amicorum, sed neque hostium quidem nomine vnquam dignati fuissent. Hæc ad conciliandam novis Colonijs invidiam tumidè jactata; facilem porrò vindictæ spem ingens per ea tempora rès ostendebat; Annibal fatalis patriæ suæ Dux, & Romæ hostis, commodùm excisâ Sagunto in Italiam properabat, odia in illam sua exoneraturus, quæ puer admodum, tactis aris, sibi cum Romanis immortalia fore juraverat; Boii novi belli famâ pascebantur, & periclitantibus Romanis tacitè insultabant; quorum felicitatem tandem aliquando exspiraturam ominabantur; quò ne ipsi nihil contulisse viderentur, in illorum perniciem in Italia bella, extra illam odia conflabant; certè coloniarum indignitatem, & reliqua, quę patienda victis erant, in majus extollentes, in ipsam vsq; Transalpinam Galliam, veterem patriam suam, nuncios dimisere, qui Romam invisam redderent; quod facile fuit apud liberam Gentem, quæ promptas haberet irarum causas, & acer-

ANNIBALIS FAVTORES BOII.

acerrimas in eos, qui alienæ libertati insidiarentur. Quo factum est, vt cùm, eadem tempestate, Legati Romani, peragratâ Hispaniâ, in Galliam divertissent, & civitates, populósque adirent, vt eos à Pænorum amicitia averterent, persuaderéntque, ne Annibali per suas vrbes, regionésque transitum darent; ea oratio velut delirantium, totâ Galliâ exploderetur; quærentibus subinde Gallis, quænam ea Romanorum verecundia esset, petentium, vt Galli viles animas impendant, & pectora sua pro scuto objiciant, ne Punicus gladius Romanos possit attingere? ecquodnam illorum tantum in se beneficium sit, quòd veluti à clientibus exigant, vt ferrum ipsi stringant, aut alienum excipiant, ne malè sit patronis? nimirum caput orbis terrarum Romam esse, pro cuius incolumitate manibus, pedibúsque sit laborandum; malum potiùs ijs deberi, qui Gentis suæ homines, iniquis armis, & iniquioribus legibus, possessionibus suis dejicere ferantur: stultè illos facere, qui Gallos extra Italiam amicos suos velint, quos intra eandem, hostium numero habeant. Ita tota legatio

Liv.l.21.

LEGATORVM ROM. IN GALLIA EXPLOSA ORATIO.

tio irrita, irrisáque fuit. BOII interim, Insubribus in societatem defectionis attractis, arma corripiunt, & in ipsum novæ coloniæ Placentinæ agrum infesti irrumpunt; quorum impetu non modò rustica plebs perculsa est, sed & ipsi adeò Triumviri Romani, C. Luctatius, C. Servilius, T. Annius, quòd mœnibus Placentiæ diffiderent, Mutinam trepidi confugêre. Apparebat, BOIIS, dum iræ suæ obsequerentur, cetera omnia neglectui esse; hinc neque obsidum quidem respectu commovebantur, quos nuper Romani ab ijs exegerant; etsi illorum salus his molitionibus in extremum discrimen adduceretur. Nihilominus ipsam etiam Mutinam obsidere aggressi, civitatem in eas angustias redegere, vt, cùm aliunde spes non affulgeret, Triumviri colloquendi sibi cum Gallis copiam fieri petierint; quâ non difficulter impetratâ, vrbe egressi à Gallis comprehenduntur, frustra divina, & humana jura inclamantes; id enim modò à Gallis respondebatur, simul atque sui sibi obsides redderentur, eosdem liberos fore. Indignitas facti L. Manlium Prætorem impulit, vt

BOII PLACENTINAM COL. VEXANT.

Polyb. l. 3.

LEGATI A BOIIS COMPREHENSI.

violatam in Legatis fidem publicam vltum iret; ſed eventus felicitatem, quam bona cauſa merebatur, ira corrupit, quæ Prætorem incautum, cui proxima omnia tutiſſima videbantur, bis in inſidias præcipitavit. Circa viam ſilvę erant, quas BOII, cùm de adventu Manlij cognoviſſent, taciti inſedêre; in eaſdem Manlius fraudis ſecurus, incompoſito agmine, ingreſſus, hoſtem tum demum ſenſit, cùm jam ſupra caput eſſet. BOII enim, vbi opportunum fuit, vndique, magno numero, coorti, non antè cædendorum finem Romanorum fecere, quàm ij ex ſilvis in planiciem emerſiſſent. Illic trepidi caſtris locum cepere, eodémque communito, operæprecium ſe feciſſe exiſtimarunt, quòd BOIOS ab oppugnatione abſtinere animadverterent; ſed illi prioris conſilij felicitatem amplexi, iterùm ſilvis ſe condiderant, rati, Romanos ſimplici malo nondum ſapere didiciſſe: neque fefellit conjectura; per patentia primùm loca ingreſſus Prætor, mox quaſi ſecuritatis pigeret, iterum fatales ſilvas ſubijt: BOII occaſione vſi, in extremum agmen repentè irrumpunt, octingentos

ROMANI A BOIIS BIS CÆSI.

occidunt, sex signa adimunt; reliquis saluti planicies fuit, & Cannetum vicus Pado vicinus, quò se pavidi recepere; qui tumultuario opere munitus, cùm eódem etiam Gallorum Brixianorum auxilia confluerent, facilémque commeatum flumen præberet, Romanis pro munimento adversus Gallorum quotidie crescentes copias fuit. Cladis acceptæ, & præsentis periculi fama, Romanos ad ferenda in tempore auxilia impulit; missus eò C. Atilius Prętor, cum legione Romana vna, & quinque millibus sociorum, novo delectu, conscriptis, hostem non reperit; nam BOII, sive obsidionis tædio, sive periculi metu, Canneto, ante Prætoris adventum, discesserant.

V.

Liv. Polyb.

MATALVS BOIORVM REX AVCTOR ANNIBALI IN ITALIAM TRANSCENDENDI.

AD Annibalem interea, cùm superato Rhodano, incertus consilij hæreret, rectáne Italiam peteret, an potiùs Scipioni, vel cuicunque alteri Romano Duci, vbiubi sors sibi hostilem exercitum objecisset, copiam pugnæ faceret, BOIORVM Legati, intérque ipsos Matalus Regulus, quem Polybius Magilum vocat, accessere; à quo primùm illi omnis exempta de ratione itineris dubitatio est; dum

dum multis ostendit, consultissimum esse, integris viribus Italiam, & ipsam adeò belli arcem Romam petere; Jugulum hostis, non nisi in patria peti, quæ quamdiu salva sit, numquam rectè ipsum dici victum; commeatum ex hostili solo posse gratis peti, eóque sapidiorem esse; & magnam partem victoriæ videri, ali ab hoste, eidémque de possessione illud saltem decerpere, quod metandis castris occupatur; id denique primum esse bellantium consilium debere, hosti vbique ægrè facere; atqui Romanos clarè demonstrasse, vbivis gentium pugnare se, quàm in Italia malle; Scipionem certè alterum Consulem exercitum in Galliam deportasse, eâ spe, vt illic cum Annibale congrederetur; cuius si ipsum voti Annibal compotem faciat, amicè, non hostiliter facturum. Hæc Matali oratio vbi placita, comprobatáque Annibali est, eundem etiam in concionem producit, militi confirmando, qui olim ad Alpium famam, tunc multò magis ad earundem aspectum trepidabat, horrebátque Italiam, quam natura, eductis ad cælum vsque munimentis, sepsisset. Facile fuit

MATALVS POENIS HORROREM ALPIVM ADIMIT.

Matalo hunc metum eripere Pœnis, vtique postquam se alas habere negavit, & illud ipsum iter pedibus mensum, quod olim Majores sui virtute sibi aperuissent, ingenti exercitu traducto: & nunc se insuper ducem fore; quanquam virtuti etjam incomitatæ nihil esse possit inaccessum: illa ipsa condita nubibus juga acuere potiùs animos illorum debere, quàm minuere, cogitantium nobilis soli indicium esse, tam diligenter custodiri; pretiosissima quæq; ab oculis esse submota. Ingressus deinde delicias Italiæ narrare, facilè pervicit, vt timiditas avaritiæ cederet. Sic per interpretem locutus Matalus, cùm concione excessisset, & subsecutus Annibal opportunâ etiam ipse oratione apud præparatos jam animos vteretur, summâ militum alacritate auditus est, jubentium, fortunâ suâ vteretur, pro illius se gloria contra hominum, locorúmque iniquitatem pugnaturos. Igitur duce Matalo, cæterísque legatis, Alpes quintodecimo die superavit; in quibus etsi dira multa passus est, tanta tamen illius audaciæ fama fuit, vt historiarum Scriptores quidam narrando deficerent, &

MATALVS POENOS IN ITALIAM DVCIT.

& cùm majus humano ingenio viribúsq; id opus crederent, etiam Semideos cælo devocarent Annibali Duces; quod sine dubio vanissimum est, cùm præter Matalum BOIORVM Regulum, sociósque, Heroum nemo Annibali Alpes aperuerit.

PRIMVM illius in Italia facinus fuit, Taurinorum expugnatio, qui ad radices Alpium siti bellum Insubribus moverãt; illos cùm ad ineũndam secum amicitiam pellicere non posset, tridui oppugnatione in potestatem redegit. Id multum valuit ad Gallorum animos occupandos; pleriq; omnes admiratione virtutis Pœno conciliati, illius partes secuti sunt; quosdam, ne idem auderent, præsentia Romani Consulis P. Scipionis cohibuit; qui de adventu Annibalis in Italiam certior factus, quantis maximis itineribus potuit, ad Padum contendit, vt primo quoque tempore cum hoste confligeret; cuius ferociam, quantacunque esset, jam ab ipsis Alpibus domitam, intérque nives, & frigora ambustam, & fractã fame, sibi persuaserat; adeóque non tam cum hominibus, quàm cum larvis credebat VI.

 esse

esse luctandum; debuit nimirum etiam hic augere militaris stultitiæ exempla, quę hostem nunquam sine pernicie contempsit. Robur exercitus sui Cneo fratri dederat in Hispaniam deportandum; in vicem tyrones succenturiaverat, quibus Manlius, & Atilius contra Boios nuper infeliciter vsi fuerant; cum hoc exercitu non tam ad pugnam, quàm certam victoriam properavit: Et erat sanè Punicus miles numero, & viribus minutus; nam cùm à Rhodano, octo, & triginta peditum millia, equitum octo & ampliùs secum Annibal ad Alpes duxisset; inter illas, dimidiâ propè parte multatus, in Italiam descenderat, vt prorsus historicâ fide à Silio narratum credi fas sit, in primo illo, ad Ticinum, prelio, BOIORVM maximè virtutę, qui primam sibi aciem depoposcerant, ab Annibale victoriam stetisse. Chrixus agmen ducebat, ab atavo Brenno, qui Romam olim ceperat, genus jactans, cujus etiam victoriam depictam scuto ferebat, acrem ad pares ausus stimulum: hic, cum BOIIS suis, vndarum more, vndique sese infundens, nec locum, nec spatium pugnādi Punico agmini da-

BOIORVM VIRTVTE ANNIBAL ROM. PRIMO PRÆLIO SVPERAT.

ni dabat, quasi suæ tantùm virtuti campus ille pateret, novósque socios spectatores, quàm commilitones mallet: atque hic sive ambitiosus ardor Annibali se probantium, sive vetus in Romanos furor non antè refrixit, quàm Chrixus viritim cum Scipione Consule dimicans, hastâ ab illo confixus, occubuit; juvat vltima Chrixi, militaris plena tumoris, verba audire, quæ vnà cum trabali hastâ effudit, CHRIXI BOIORUM REGULI VIRTUS ET MORS.

Nomine incensæ captæq; superfuit vrbi? Sil. l. 4.
Vt tibi, quas Brenni populus ferremus in arma,
Narraret dextras; disce en nunc.

Cui Scipio, fatale telum etiam ipse feroci dicto animans, hæc in vicem regessit morituro,

Ferre hoc vmbris, proavôque memento,
Quam procul occumbas Tarpeiâ à sede; tibique
Haud licitum sacri Capitolia cernere montis.

Chrixo ergo cadente, etiam Boiis animi residere, & in pugnæ, victoriæque partem tãdem Pœnus est admissus. Cùm ad Padum hæreret Annibal, vndique ad eum, è circumjacẽtibus regionibus, Galli confluebant, sed & illi, qui inviti Romanis immixti copijs, jam dudum animo apud Annibalem erant, eruptione ten- Liv. & Polyb. ibidem.

tatâ, vigilibus ad portam castrorum trucidatis, eorundémque capitibus præcisis, ad Pœnos transfugiunt, capita ipsa velut obsides fidei suæ, gratum Duci sanguinario spectaculum apportant; à quibus ne Boii munere vincerētur, Triumviros colonijs deducēdis præfectos, Mutinæ, quemadmodum suprà diximus, interceptos, in illius manus vivos tradunt; sed Annibal, laudatâ illorum voluntate, negabat novis constantis in se animi documentis opus esse; remissísque Triumviris, eorum permutatione liberare illos obsides suos jubet; reliquos donis, promissísque oneratos in civitates suas dimisit, ipsorum operâ ad conciliandos reliquorum Gallorum animos vsurus; eo eventu, vt omnes Galliæ Populi, præter solos Cenomannos, Annibalis amicitiam amplexi, Romanorū se hostes professi sint. Atque hoc maximè tempore, inter Gallos, & Annibalem fœdus illud ictum existimo, de quo Plutarchus, & Polyænus meminere, cuius quidem reliqua capita interciderunt; vnum tamē, quod etiamnum extat, huc apponere lubet, etsi ridiculum est: quo cautum erat, siquis Car-

BOII ANNIBALI FIDEM SVAM IACTANT.

Plut. l. de Virtut. mulierum. Polyænus l. 7. Strateg.

Carthaginensis homini Gallo, fraude, dolóve malo, injuriam fecisset, eiúsce iniuriæ auctorem apud Carthaginensium Duces, præfectósque reum peragendum esse: quòd siquis Gallo litem intendisset, causæ cognitionem ad Gallorum vxores pertinere, eásque ex æquo, & bono arbitras, & judices fore. Porrò cur fœminis permissa tribunalia fuerint, contra Gentium ferè cæterarum morem, apud quas concessâ illi sexui obsequij gloriâ, judicia inter viriles curas reponuntur, hæc ab ijsdem auctoribus causa affertur. Priusquam Galli Italiam patriæ charitati prætulere, atrox vniversam Gentē dissidium in partes distraxerat, quod plus quàm civilibus nutritum odijs, in apertum tandem erupit bellum; & stabant jam instructæ acies; eadem vtrinque arma, & signa, stultas arguentia iras, & dominis suis verecundiora; gliscebátque jam pugna, victis, & victoribus ex æquo luctuosa; cùm fœminæ tunc certè viris sapientiores, ex transverso, impetu facto, inter vtramque se aciem intulere, & appositâ oratione tela primùm, deinde etiam iras maritis extorsere, implicatam etiam litem, quæ

GALLORVM VXORIBVS CVR IVDICIA CONCESSA.

bello causam dederat, quámque velut Gordium nodum, non nisi gladio scindi posse viri rebantur, tantâ ingenij dexteritate solvêre, vt jam ijs sanctum aliquid, & providum inesse crederent, & in posterum etiam decernerent, in consultationibus, de pace, bellóve, nunquam hoc tam certum oraculum esse negligendum; & lites, domi, forísque ortas, ex mulierum potissimùm sententiâ, decidendas; quòd semel non importuna locutæ, crederentur omnibus horis sapere. Scipio interim, & vulnere suo, & nuperæ pugnæ insperato exitu cautior, cunctantiórque factus, Annibalem vitabundus, Trebia flumine transito, tutissimis locis castra metatus, Collegam, & melioris occasionem fortunæ opperiebatur; cœperátque jam arte illâ vti, qua sola vinci posse Annibalem, vsu deinceps plurium annorũ, & magnis cladibus compertum; sed Sempronius alter Consul tumidus animi, ne malo potiùs alieno, quàm suo saperet, cum Scipione castris conjunctus, consilijs ab illo diffidebat; tanto commodior Annibali Dux, quanto avidior pugnæ; nam cùm Pœnus in Boiis, cæterísque foede-

fœderatis Gallis magnas haberet ſpes ſitas, optabat primo Gentis impetu vti, antequam morâ refrigeſceret. Vulneratum inſuper Conſulem integro plus timebat; eóque cupiebat illum à pugna abeſſe; denique famam, quam apud Gallos concitarat, non niſi triumphis ali poſſe nôrat; & admirationem ſui morituram, ſimul atque admiranda facere deſijſſet; adeóque ſibi minùs per amicos, quàm per hoſtes otioſo eſſe licere. Gallos igitur ad exploranda hoſtium conſilia emittebat, quòd & locorum erant gnariores, & minore cum periculo id facturi videbantur; cùm enim in vtroque exercitu Galli militarent, etiam hoſtilibus caſtris obequitare poterant, linguâ, & cultu corporis defenſi. His ergo ſpeculatoribus intelligit Annibal, Sempronium ardore incredibili in pugnam ferri; qui ne intepeſceret, Annibal circumſpecto inſidijs loco, & optimè inſtructâ acie, hoſtem facilè obſequentem elicit, cúmque, quia raptim omnia fiebant, neque contra frigora jam acria id temporis, neque adverſum famem munitum; vt malo vtroque victum & fatiſcentem Pœni

Altera Annibalis pvgna ad Trebiam.

per

per otium propè conficerent: Gallorum tamen, quos Annibal Afrorum copijs firmandis, media acie collocaverat, magna à Romanis, quorum decem millia illac perruperant, strages facta; & cæteroqui etiam Annibali ea victoria multo sanguine stetit. Eo anno Annibal in Gallorum agro hybernavit, non valde æquis illorum animis; nam ij novum hospitem, vt benignum aliquod, & auxiliare sidus exceperant; eo duce, ad magnas opes, quæque alia in mortalium votis prima sunt, irrupturi; neque credebant, malo quemquam plectendum, nisi quem ipsi plexum vellent: sperabant denique ruinâ Romanæ vrbis, vetera se, nováque odia satiaturos: nunc cùm patriam suam sedem belli viderent, & hostem simul, hospitémque vivere de suo, & post impensum bellis sanguinem, rem etiam familiarem, militaribus viris sanguine ferè chariorem, imminui; id scilicet, vt irritabilis est avaritia, cùm cogitur esse liberalis, non tantùm Gallorum benevolentiam in Pœnos refrigeravit, sed ipsum etiam Annibalem reddidit exosum; & si illorum consilijs constantia, & silentium non

Liv. l. 22.

GALLI ANNIBALI OB HYBERNA INFENSI.

non defuiſſent, Romam longo bello, & formidabili hoſte liberaſſent; certè ſæpius de Annibalis capite Gallorum Principum habita comitia; ſed eadem levitate, qua coaluerant, evulgata; Et Annibal, vt erat ingenio vafro, facilè deprehendebat, homines, qui nullâ arte Punica inſtructi dolos neſcirent aſtu colere, alieniore à ſe animo eſſe; proinde ijs fallendis tum alia plura excogitavit, tum ſutilium capillamentorum crobylos, qui omnes ætates mentirentur, identidem capiti injiciebat, & novus Vertumnus aliàs ex ævo viridi in ſenium tranſiliebat, aliàs ex cano juveneſcens, quotidie novus prodibat Annibal, omnibus oris notis adeò confuſis, vt illum neque ſui agnoſcerent, & inventum tamen quærerent. Annibal Gallorum insidias astu evitat.

VII. Ante Ch. N. ccxv. V.C. 537.

In proximum annum Conſules creati Cn. Servilius, & C. Flaminius, & quidem poſterior hic vetus Boici nominis hoſtis, vt ſuprà commemoratum eſt, tandémque vexatæ, injuſtis actionibus, Genti, hoc anno, pœnas daturus. Annibal cùm appetente vere caſtra moviſſet, moræ, quàm laboris impatientior, iniquiſſimo

ſimo itinere exercitum duxit, adeò nulla ſuorum cura, dum animo ſuo obſequeretur, vt paludibus, cænóque innatantes, & quatridui, trinoctiíque miſerrimo pervigilio tortos, ipſe elephanto ſublimis, qui vnus ſupererat, præ ſe ageret; quanquam caſtigata eſt illa immanitas, oculorum altero, quem fœditas ſpectaculi non moverat, ex paluſtris cæli gravitate, extillante; dum ille oculum mavult, quàm belli occaſionem perdere, vt quamprimùm Capitolium, quò anhelabat, victum, quamvis luſcus aſpiceret. BOIORVM eo in itinere, cæterorúmque Gallorum duriſſimæ vices fuere, ita enim callidus Dux inſtituerat, vt in medium compulſi agmen, jam proculcato, depreſſóque omni, qui vſquam extaret, ceſpite, nullum paulò humanius veſtigium aſpicerent; & ne dilabi poſſent, Numidarum agmen cogentium, tergóque inhærentium impulſu vrgerentur; multi cùm miſeriarum finem nullum viderent, eum morte quærebant; cujus, vti & ſepulchri, obvia poteſtas fuit, caput cæno mergentibus. Vbi tandem ex illa fatali palude eluctatus
eſt

est Annibal, id primum curæ habuit, hostium res, & consilia, & inprimis ipsius ingenium Ducis vti planissimè cognosceret, in quorum vltimo verti spem victoriæ haud vanè arbitrabatur; nam hostis moribus qui se non attemperet, stultiùs facere, quàm qui navigans velum nolit vento obvertere; optimum Duci consiliarium hostem esse; nam qui ex suo tantùm, & non illius etiam capite, genióque consilia depromat, nihil sapere. Intelligit igitur per exploratores, cum impotenti sibi adversario rem fore; nam Flaminius feroci armatus linguâ, cùm in foro Romano sæpius pugnas dedisset, Patrúmque auctoritatem, in mala causa, victor profligasset, & ante sex insuper annos, Insubres, & BOIOS fatigasset; hoc ipso, quia à Fortuna deceptus nunquam erat, insolenter sese efferebat. Annibal gnarus, quibus quisque artibus petendus esset, vt insaniam illius opportunâ illecebrâ inescaret, Hetruriam populabundus vastat, ratus acrem virum damna sociorum non neglecturum: tandémque quà Thrasymenus lacus montes Cortonenses subit, lacum secu-

ſecutus, ijſdem ſe montibus condit, & dolo iterum, & virtute pugnaturus, aptum vtrique locum circumſpicit. Flaminium, ne ſequeretur, omnia dehortabantur, ſi, quàm egens monitoris, tam etiam patiens fuiſſet. Contrarijs ipſe auſpicijs omnibus, ſanioribúſque conſilijs Boios à ſe nuper victos opponebat; &, ſiqua Silio fides, indutus Gargeni BOIORVM quondam Regis galeam, & veteris triumphi monimentis inſignis, eiúſce diei fortunam repræſentaturum ſe victrici Romæ jactans, verborum, animíque immodicus, periturum agmen in perniciem trahebat. Annibal vbi temerarium Conſulem, velut caveâ incluſum nactus eſt, dat omnibus ſignum invadendi; ſimúlque in frontem, tergum, & latera pugnari cœptum; ſi tamen ea pugna dicenda eſt, & non cædes potiùs, cùm Romanis ferè nihil relictum eſſet, preter honeſtæ mortis gloriam, ſi non inulti cecidiſſent. Tres tamen horæ, impari certamine, abſumptæ, neque otioſum vllum ferrum fuit, adeóq; averſus à rerum aliarum ſenſu omnium animus, vt graviſſimum terræ motū, qui prælio fervente,

Sil. l. 6.

Tertia Annibalis ad Thrasymenum pugna.

ne

ne ſimplice malo Italia quateretur, nihilo mitiùs eandem aggreſſus, vrbes, montes, flumina, maria miſcuit, cuius impetum elementa ſuis ſedibus mota ſenſerunt, nemo tamen pugnantiũ adverterit. Verùm cùm cætera fortitudinis exempla communis pugnæ perturbatio obruerit, confuderítque eorum auctores, BOIORVM tamen virtus eo prælio ita eminuit, vt cùm apud omnes conſtet, cæſi Conſulis gloriam Gallis deberi, viri etiam nomen ſuperſit, qui illud commune omnium Galorum odium, felici dextrâ & haſtâ confixit. Is Ducarius fuit, qui Livio quidem Inſuber, Silio BOIVS eſt, qui volitantem inter gladios Conſulem, & nequidquam laborantem, quomodo lapſam aciem manu reſtitueret, quam antea ſtultitiâ ſuâ ipſe inclinaverat, agnoſcens, popularibus ſuis oſtendit, & hic, inquit, ille vir eſt, qui in nos legibus & armis graſſatus, agro, vitâque exturbare BOIOS jam olim ſtuduit: nimirum hic parentes noſtros in triumphum duxit, & adhuc vivit? equidem niſi hunc Orco tranſmitto, dignus ſim, quem ipſe in Capitolio diſcingat: ſimul cum dicto

BOIORVM EO PRÆLIO VIRTVS.

DVCARIVS BOIORVM HOSTEM FLAMINIVM COS. OBTRVNCAT.

admiſſo equo infeſtam in Conſulem haſtam dirigit, perruptóque cuneo, quo erat ſeptus, occiſóque primùm armigero, qui ſe irruenti objecerat, Conſulis latus hauſit, detracto ex equo caput avulſit, & civium fœdè peremptorum Manibus, juſtóque BOIORVM dolori egregiè parentavit; id ſolum ad opimum decus defuit, quòd ſpoliare volentem Triarij repulere. Tum denique licuit ferrum condere, cùm Ducarius vnicum hunc plenæ victoriæ obicem forti manu ſuſtuliſſet. Quindecim millia Romanorum in acie cæſa ſunt; Thraſymenus exinde haud immeritò tertium fulmen Annibalis dictus, & Prætor Rom. populo cladem denunciaturus triſtiſſimam vocem emiſit, Pugnâ, inquit, magnâ victi ſumus. Facto Ducarij ingens apud Annibalem gratia, eximia in vulgus gloria fuit, idque velut vnicum Virtutis exemplum concionabundus Annibal animando militi proponebat; hinc illa eiuſdem ſuos ad Nolam oppugnandam accendentis vox fuit, Vbi ille meus miles eſt, qui erepto ex equo Caio Flaminio caput abſtulit? Prolapſam Romanam rem Q. Fab. Max. cun-

ctando

ctando restituit; novo sine dubio genere pugnæ vsus, cùm nihil agendo omnia ageret, ob eam ipsam artem, qua Romam servabat, ingratæ patriæ invisus; hanc tamen Annibali hosti, & iratæ Fortunæ confessionem extorsit, Romanos hoc duce vinci non posse; quod quidem tum triumphi instar fuit; nàm victoriã aliam, rebus ita afflictis, sperare neque ipsa Roma debuit: id quod sequens annus tristi experimento probavit, cùm vrbem iterum cauti magistratus pœnituit, & Consul Flaminio, Semproniòque furiosior quæsitus est; quasi id sedulò ageretur, ne ad perniciem ruentibus opportunus dux deesset. C. Terentius Varro is fuit, qui Cannas omni ævo nobiles fecit; vbi quadraginta Romanorum millibus trucidatis infamem tumulum struxit. Pugna eatum demum finita fuit, cùm ipse Annibal, quo nemo Romanum sanguinem intemperantiùs sitivit, hausitque, eo tandem ebrius militi imperavit, modestissimó, quod vnquam dedit, mandato, Parce ferro; cùm fluvius Aufidus plus propè cruoris, quàm aquarum volveret, & ne pons flumini cederet, occisorum ca-

FABIVS CVNCTANDO REM RESTITVIT.

CANNÆ NOVA ROM. CLADE NOBILITATÆ.

davera alicubi pontis vsum præberent: anulorum, qui cæsis detracti sunt, tres modios Plinius non vanus auctor in curia Carthaginensi effusos in ostentationem, æstimationémque victoriæ memorat; neque dubium est, si Annibal victoriâ vti scivisset, eum, quinto, ab hac clade, die, in Capitolio epulaturum fuisse. Gallos huic pugnæ interfuisse certum est; de BOIIS sigillatim, quia nihil ex vano haustum velim, non ausim affirmare; illud constat, L. Posthumium Prætorem Consulem designatum, hoc anno in Galliam provinciam eo consilio missum fuisse, vt omnibus bellicæ vastitatis exemplis illic editis, BOII patriæ charitate ab Annibale avellerentur; habebat Posthumius sub signis, Romanorum sociorúmque viginti quinque millia; quæ fœdiori clade, quàm Cannensis fuit, funditus à BOIIS deleta sunt, ne illius anni funera elugere Roma posset: Traducendus erat Posthumio per vastam silvam exercitus, Litana eà Gallis dicebatur; id cùm BOII exploratum haberent, consilium capiunt hostis sine ferro conficiendi. Arbores ea in silva abscidêre, tantum, vt

Plin. l. 33. c. 1.

ANTE Ch. N. CCXIV.

Polyb. l. 3.

POSTHVMIVS PR. ROM. CVM TOTO EXERCITV A BOIIS CÆSVS.

Liv. l. 23.

Zon. t. 2.

Front. l. 1. c. 6

vt summa species earum stantium relinqueretur; tum vbi se totus saltu condidit Rom. exercitus, arborum vltimas impellunt, eæ in proximas, atque illæ in alias, aliásq; inclinatæ, vnâ secum omnes ruinâ traxere. Miserabilis erat calamitatis facies; arma, viri, quiquid equorum, hominúmque fuit, fortes, ignavi pariter, vivi sepulchrum nacti, sine hoste moriebantur; &, quod tristissimum armatis, nullius ferri vsus, nisi fortè ad properandam necem, relinquebatur: vix decem novæ cladis nuncij erepsere; nam cæteros, quos ruina non sepeliverat, vbi vbi eluctati essent, BOII, qui saltum velut indagine cinxerant, exceptos trucidabant; pauculi capti, qui cùm ad pontem evasissent, in hostium manus incidêre. Posthumius cùm & ipse è silva emersisset, summâ vi obluctatus, ne vivus in potestatem hostium veniret, fortiter pugnans occubuit. In illius deinde corpus sævitum; caput à trunco præcisum, effuso cerebro perpurgatum, clusúmque auro, templo illatum, in Sacris vicem pateræ præstabat, ex qua Dijs libaretur; ipsis denique sacerdotibus pro poculo fuit. EX POSTHVMII CALVA POCVLVM.

davera alicubi pontis vsum præberent: anulorum, qui cæsis detracti sunt, tres modios Plinius non vanus auctor in curia Carthaginensi effusos in ostentationem, æstimationémque victoriæ memorat; neque dubium est, si Annibal victoriâ vti sciuisset, eum, quinto, ab hac clade, die, in Capitolio epulaturum fuisse. Gallos huic pugnæ interfuisse certum est; de BOIIS sigillatim, quia nihil ex vano haustum velim, non ausim affirmare; illud constat, L. Posthumium Prætorem Consulem designatum, hoc anno in Galliam provinciam eo consilio missum fuisse, vt omnibus bellicæ vastitatis exemplis illic editis, BOII patriæ charitate ab Annibale avellerentur; habebat Posthumius sub signis, Romanorum sociorúmque viginti quinque millia; quæ fœdiori clade, quàm Cannensis fuit, funditus à BOIIS deleta sunt, ne illius anni funera elugere Roma posset: Traducendus erat Posthumio per vastam silvam exercitus, Litana eâ Gallis dicebatur; id cùm BOII exploratum haberent, consilium capiunt hostis sine ferro conficiendi. Arbores ea in silva abscidere, tantum, vt

Plin. l. 33. c. 1.

ANTE Ch. N. CCXIV.

Polyb. l. 3.

POSTHVMIVS PR. ROM. CVM TOTO EXERCITV A BOIIS CÆSVS.

Liv. l. 23.

Zon. t. 2.

Frontin. l. 1. c. 6

vt summa species earum stantium relinqueretur; tum vbi se totus saltu condidit Rom. exercitus, arborum vltimas impellunt, eæ in proximas, atque illæ in alias, aliásq; inclinatæ, vnâ secum omnes ruinâ traxere. Miserabilis erat calamitatis facies; arma, viri, quiquid equorum, hominúmque fuit, fortes, ignavi pariter, vivi sepulchrum nacti, sine hoste moriebantur; &, quod tristissimum armatis, nullius ferri vsus, nisi fortè ad properandam necem, relinquebatur: vix decem novæ cladis nuncij erepsere; nam cæteros, quos ruina non sepeliverat, vbi vbi luctati essent, BOII, qui saltum velut indagine cinxerant, exceptos trucidabant; pauculi capti, qui cùm ad pontem evasissent, in hostium manus incidêre. Posthumius cùm & ipse è silva emersisset, summâ vi obluctatus, ne vivus in potestatem hostium veniret, fortiter pugnans occubuit. In illius deinde corpus sævitum; caput à trunco præcisum, effuso cerebro perpurgatum, clusúmque auro, templo illatum, in Sacris vicem pateræ præstabat, ex qua Dijs libaretur; ipsis denique sacerdotibus pro poculo fuit. EX POSTHVMII CALVA POCVLVM.

Præda ingens relata; quæ cuique chara vel domo exportata, vel parta rapto, è ruinis sine invidia eruebantur. Nunquam omnino leviore impendio victoriâ, opibúsque aucti BOII etiam illius nominis infamiam abstersere, quâ vulgò à Romanis Galli omnes, malevolentiâ naturæ, impetum pro ingenio, & furorem pro ratione accepisse credebantur; neque enim vel Posthu-mius, vel Romanorum adeò quisquam, in hoc BOIORVM consilio, ingenium, solertiǽque, quantum satis est, desideraverit. Solatii interim justum totius Gallicæ Gentis dolorem sunt, quam latere non potuit repetitum Romæ ex fatalibus libris priore anno funestum sacrificium, quo præter Græcum, & Græcam, Gallus, & Galla sub terram vivi demissi, defossíque sunt; cùm BOII, pro duobus suæ Gentis hominibus, Romanum exercitum vivum sepelissent; & quia crudele factum suum Romani religionem interpretabantur, poterant BOII exemplum secuti videri, cùm calvam Prætoris auro cultâ inter sacra cimelia reposuere. Huius eladis fama Romam perlata, nondum deter-

Liv. l. 22.

detersis oculis novam complorationem imperavit; feriatus cætera populus, soli tristitiæ, per plures dies operabatur; donec lacrymę non spontè, sed imperio publico siccarentur; Consul etiam verba reperit, quibus Patres, Plebémque solaretur, misero illo colore vsus, Graviora passos; & Deos olim etiam his finem daturos; fassus nullam rationem suppetere, exigendæ de BOIIS vindictæ; nam cùm ab Annibale jugulum Reipub. foderetur, illic scuta objicienda esse; reliqua vulnera dissimulatione interim tergenda, tegendáque: perituros se, si tantum audeant, quantum dolor, & ira suadeant: proinde vtrumque tantisper cum amisso exercitu sepeliendum, donec simul omnibus, more Romano, parentari, ex voto, & vsu publico possit. Ab vltima Cannensi pugna, & strage Litaniana obscurior BOIORVM, Gallorum quinimò omnium sub Annibale militantium, est memoria; quanquam id mirum videri non potest; cùm Annibal ipse, quasi ad summum claritatis gradum venisset, ægre primùm consisteret; mox etiam non tam descendere, quàm decidere videre-

ANNIBALIS MILES VOLUPTATIBUS VICTUS.

retur; certè deinceps vinci cœpit, vitijs primùm, deinde armis; nam cùm hyberna militi suo circumspiceret, Campaniam corporibus quidem salubrem, sed pestilentem moribus elegit; in illo voluptatũ diversorio solutus est vigor, quem neque Alpes, neque nives, neque ipsum adeò Romanum ferrũ hebetavit; vt non immeritò dictum fuerit, Annibali Campaniam Cannas fuisse, tantò quidem sæviores, quantò infamius est, à Venere, & Baccho vinci, quàm à Marte in triumphum duci.

VIII. ITAQUE cùm Romanorum res meliusculè iret, Prætores iterum in Galliam cum legionibus binis, pluribúsve missi; credo, si majoris rei gerẽdæ facultas non daretur, vt Colonijs præsidio essent, & BOIORUM, sociorúmque audacia, hoc freno injecto, frangeretur; idcirco quieta illic omnia erant, vsque ad annum belli Punici duodecimum, quo Asdrubal Annibalis frater, cum novo exercitu, ex Hispania per Alpes in Italiam transgressus, Romanis curam duplicavit; Gallorum, quos ad signa sua, proposito vbere stipendio, vocavit, animos auxit; credebant

ANTE C.N. CCV.

ASDRUBALIS ADVENTUS IN ITALIAM GALLOS ITERUM EXCITAT.

bant nihil ausuram cõtra duos Romanos, neque vni parem; Annibalem totam Italiam Romano sanguine rigasse, fratrem jam ad vltimam messem venire, cum recenti ferro; gaudebant ab eo se ad legenda spolia, grandi pecunia conduci, cùm ipsi Romanos etiam gratuitò odissent. Enimvero Asdrubal, vt ad primum Italiæ ingressum ostenderet, quàm sibi BOII cordi essent, vbi in illorum agrum venit, eodem quo frater studio, Placentiam oppugnavit, quæ illis, vti jam aliàs dixi, oculos exurebat; sed intempestiva molitio successu caruit; eodem ex loco quatuor Gallos equites, cúmque ijs Numidas duos ad fratrem cum literis mittit, qui peragratâ ferè omni, quàm longa est, Italiâ, elusis vbique hostibus, tandem à Romanis pabulatoribus excepti, & ad Consulem perducti, metu tormentorũ, consilia Asdrubalis prodiderunt, perdidéruntque; vt is à duobus Consulibus oppressus, mortẽ priùs oppetierit, quàm fratri jungeretur, longíq; itineris & operæ pretium faceret. Annibali, vt aliquid fratris videret, Asdrubalis caput ante stationes projectum, oblatúmque est, qui

ASDRVBALIS ERGA BOIOS STVDIVM.

MORS.

fortunam privatam, publicámque accusans, magnam spem patriæ decollasse, palàm fassus; humiliores etiam ipse posthac spiritus gessit. Gallorum qui eâ pugnâ non ceciderant, vel, felici fato, prælio aberant, agmen incompositum abire cùm Consuli Romano nuntiatum esset; quanquam nullius operæ res videbatur, concidére fugientes, Malo, inquit, vivāt; vt etiam hostis præco sit nostræ Virtutis.

Horat. l.4. Carm. od.4.

Ante C.N. CCIV. A.V.C.548.

Proximo anno Q. Manlio Prætori, cui Provincia Gallia obvenerat, mandatum, vt incursionibus in agrum Gallorum factis, castigaret perfidiam illorum, qui tam avidè Asdrubalis partes secuti in Romanorum perniciem conspirassent. BOII tamen & Insubres, mutuum faciebant; & Placentinos juxtà, ac Cremonenses æternis odijs exagitabant, vt eorum metu non modò vacui colonis agri essent, sed & mænibus multi diffiderent; ea super re, vtriusque Coloniæ legati cùm Romam questum venissent, in eam potissimùm curam incumbere Manlius Prætor jussus est, vt coloniarum fortunas ab hoste defēderet; jussi etiam coloni, qui metu diffugerant, in agros remigrare.

Boii duas colonias fatigant.

Crea-

Creati deinceps Consules P. Scipio & P. Lic. Crassus: & Carthaginenses, vt omnes spes tentarent, Magonem Annibalis, & Asdrubalis fratrem, in Italiam miserunt, vt qui odijs in Romanos neq; fratribus cederet, eáque exercere tot domesticis exemplis didicisset; duodecim millia peditum, equitum duo trajecit; Genuam primo impetu cepit; Galli neque tantisper morati, dum suos fines ingrederetur, magno ad illum numero confluebant, neque Annibalis senescente jam famâ, neque Asdrubalis præcoci cæde absterriti, quominùs inclinatam Carthaginensium fortunam fulcirent, vel ruentem sui capitis periculo exciperent. quanquam ea domo subsidia mittebantur, tantúmque animi Mago ipse indè attulerat, vt Gallis videretur, aut hoc, aut nullo alio exercitu rem Romanam esse pessundandam. Mago cùm Gallorum, Ligurúmque concilio convocato auxilia postularet, Galli, cùm prolixè cætera omnia promitterent, exercitum palàm adducere se posse negarunt; Romanos intra fines suos castra habere (ad Boios enim Placentiâ arcendos para-

ANTE C.N. CCIII. A.V.C.549. Liv.28.& 29.

GALLI AD MAGONEM CONFLVVNT

paratæ legiones erant) quos si sentirent quidquam rerum novarum moliri, certius nihil esse, quàm, vt accitis etiam ex Hetruria copijs invaderentur. Ligures igitur militem darent, stipendia, & commeatum se abundè suppeditaturos, curaturósque, ne bello, quod contra Romanos gereretur, nervus deesset.

A. V. C. 551. Liv. l. 30. Eo tamen anno, nihil, quod constet, dignum apparatu gestum; nec sequenti quidem; tertio demũ, in agro Insubrum Gallorum, cum P. Quintilio Varo Prętore, & M. Cornelio Procos. in certamen descendit, adeò consternatis metu Romanis, vt ducum vterque ad inferenda in hostem signa, militem impellere nullâ ratione posset. Igitur equitum procella primùm in hostes effusa est, nullo operæ pretio; nam cùm Mago elephantos obMAGONIS PVGNA. jecisset, equi illorum neque odorem quidem tulerunt, retróque acti Numidis jaculatoribus rei benè gerendæ opportunam occasionem præbuerunt. Peditum etiam duodecima legio ægre jam locum suum tuebatur, solâ verecundiâ dedecus fugæ superante: decimatertia demum pugnam restauravit, cui Mago Gallos objecit,

jecit, quos cùm tandem nutare conspexisset, iterum Elephantos in peditem immisit; sed illi conjectis pilis vel strati, vel in suos aversi formidinem illic, & tumultum fecere; fugam tamen Mago tantisper sustinuit, donec ante signa stans femur transfixus est; eo cadente, labare acies cœpit, neque in manibus quidquam præsidij; reliqua spes omnis in pedibus fuit. Eo demum anno C. Servilius Consul, inducto in BOIORVM agrum exercitu, C. Servilium patrem, & C. Luctatium patruum, post decimum sextum annum, ex BOIORVM servitute recepit; ij, vt suprà commemoratum est, cum T. Annio colonias Placentiam & Cremonam deduxerāt. Quæ Annium ipsum fortuna exceperit, à nemine proditum invenio; quemadmodum nec illud, armísne, an precio reliquos duos BOIIS Consul extorserit. Ex quo tempore adeò res Romana superior fuit, vt Carthagini non jam de imperio orbis terrarum, sed de salute fuerit certandum; cùm audacissimo consilio, P. Scipio ardens in Italia bellum in ipsa Africa restingueret, & Annibalem prius vinceret, quàm videret. Tum demum

CONSVL PATREM ET PATRVVM APVD BOIOS CAPTIVOS RECIPIT.

Liv. ibid. Polyb. lib. 14. & 15.

ANNIBAL EX ITALIA RETRACTUS.

demum Carthago cùm mutatis vicibus eadem pateretur, quæ Romam pati coëgerat, & oberrantem portis suis videret hostem, & consumptis omnibus auxilijs, consiliisque, solus cum fratre superesset Annibal, ambo per legatos domum revocati sunt, si quidem stantem patriam videre vellent; sed Mago in via ex vulnere obijt: Annibal exercitum Gallorum, Ligurum, Italicorum, pluriumque Gentium colluvione mixtum in Africam trajecit; ex quibus quosdam metu potiùs, quàm voluntate secutos abeuntem, certum est, tristi exemplo commotos; cùm Annibal multos, Italici generis, qui militiam abnuentes in templum Iunonis Laciniæ confugerant, crudeli impietate jugulasset. Botos tamen, qui Annibali in Italiam duces se præbuere, quorumq; virtute ipsum ad Ticinum, & Thrasymenum vicisse ostendimus, sponte, in vltimæ Carthaginensium fortunæ societatem nomina dedisse, Gentis ingenium moresque æstimantibus indubitatum videbitur. Cùm igitur in Africa duo maximi omnis ætatis Imperatores convenissent, ambitiosissimam litem, Románe, an

an Carthago terrarum caput esset, verbis primùm decidere aggressi; cùm ea succubuissent, gladium strinxêre; sed Annibal, cùm omnia feciſſet, neque in acie instruenda, animandísque militibus, quidquam, etiam hostis confessione, peccasset; cùm alijs alias faces admovisset, Gallos autem proprio, atque insito in Romanos odio accendisset; Roma tamen, quia fata volebant, vicit, eíque Carthago titulum Dominæ, quem salvò Annibale nunquam posuisset, eo jam fugiente, fusóque, nihil obluctata, permisit; quem cùm patriæ suâ manu peperisset Scipio, ipse quoque Africani nomen invenit; maximus sine dubio vir, qui vnâ victoriâ, quam Carthagini, Annibalíque abstulit, id assecutus est, vt vinci posthac à Romanis orbem terrarum non puderet.

IX.

SEPTENDECIM annorum bellum pax excepit, eodémque, quo Carthaginensibus ea à Romanis concessa est, anno, BOII qui in Italia remanserant, vt solenne suum servarent, Romanísque ægre facerent, quia eorundem vexandorum facultas non fuit, sociorum agros incursioni- A. ANT. Ch. N. CIC. A.V.C. 553 Livius l. 32

ſionibus infeſtabant, quòd ſcirent illam quoque injuriam ad Romanos pertinere: id Ælius Pętus Coſ. non ferendum ratus; ſubitarias legiones duas ſcripſit, eáſque cohortibus quatuor de exercitu ſuo detractis, firmavit, auxítque; cum hac manu C. Appium ſociorum Præfectum, per Vmbriam ire in BOIOS juſſit; ipſe recto itinere per montes eòdem duxit. Priorē cùm perveniſſet Appius, moræ impatiēs; BOIORVM agros populabundus percurſavit; ídque aliquamdiu impune, donec elatus ſucceſſu, fortunæ in ſe poteſtatem fecit. Læta ad caſtrum Mutilum ſeges erat, eáque jam matura; eò cùm frumentatoribus profectus Appius, oblitus in hoſtico ſe eſſe, ſecurúſq; periculi, armatos inermibus, quanto numero par erat; non circumdedit; cùm BOII repentè coorti importunas operas oppreſſere; clades etiam ad armatos, eodem impetu propagata eſt; omnino millia hominum ſeptem cæſa, & in ijs ipſe C. Appius Præfectus; cæteris caſtra præſidio fuere; ſed cùm neque ijs ſatis confiderent; nullo duce, ſed concordi ad fugam conſenſu, iniquiſſimo itinere, per

BOII ROMANOS FRVMENTATORES CÆDVNT.

per impedita saltuum ad Consulem pervenere.

Sequenti anno P. Sulpitio Galba, & C. Aurelio Cotta Coss. bellum in Macedoniam contra Philippum Regem decretum; in quod vnum cùm vires omnes Romani converterent, repentè alterum in Italia subnatum, coëgit illos curas dividere. Amilcar Pœnus quidam, ex Asdrubalis, an Magonis exercitu incertum (Zonaras disertè Magonis commilitonem facit) in Liguria ad eam diem substiterat; ne, quidquid malorum fuerat, Annibal videretur ex Italia exportasse; is cum Pop. Rom. novo implicatum bello videret, Ligures, Gallósque, quibus ad defectionem nullus non auctor placebat, impulit, vterentur tempore, & Placentiam, quam Annibale, & Asdrubale ducibus, frustra tentarant, suis auspicijs aggrederentur; animos sibi eosdem esse, qui illis quondam fuerant; Fortunam fortasse benigniorem fore. Placentiam Boii, vt frenum, jugúmque libertati suę impositum, vnicè cupiebant eversam; igitur cum Insubribus, &, quod mirêre, Cenomannis etiam conspirãt, quæ Gens

ANTE C.N. CXCVIII. *A.V.C.554.* *Liv. Oros. Zon.*

P aliâs

aliàs Romanarum partium, datam fidem turbidis popularium suorum consilijs potiorem habuerat. In auxilium insuper Sallij Iluates, cæterique Ligures exciti, atque ita omnes, Amilcare duce, Placentiam raptim profecti, eâdem per vim potiuntur, direptámque incendijs defor-mant, & cædibus implent; vix duo hominum millia ferro, & igni superfuere. Mox, ne consilium, quod felix celeritas fecisset, mora perderet, Pado trajecto, Cremonam, quæ altera Rom. colonia nihilo minùs exosa BOIIS fuit, properant; sed fama direptæ Placentiæ quantâcunque festinationem prævenit; & hoc certè Cremonensibus contulit, vt claudere portas, præsidijs firmare mœnia, agere excubias, nuncios ad Pop. Rom. mittere possent. Quinque millia duntaxat sociorum, ac Latini nominis, provinciam tutabantur, cui L. Furius Purpureo præerat, vsque adeò securis periculi Romanis, vt quasi in Gallia hostis non esset, reliquus exercitus omnis Senatus C.[to] fuerit dimissus. Igitur Prætor, quo res loco sit, Senatui scribit; coloniarum alteram diriora, quàm Annibal, Asdrubálque minati

BOII PLACENTIA POTIVNTVR.

CREMONAM OBSIDENT.

nati

nati fuerant, paſſam; alteram eadem metuere à quadraginta hoſtium millibus obſeſſam; maturo auxilio opus eſſe, eóq; valido; nam in ſe præſidij nihil eſſe; niſi exiſtiment, quinque millia hominum victoris hoſtis aſpectum, nedum impetum ferre poſſe. His literis recitatis, decretum eſt, vt quos exercitus in Hetruriam, ad certum diem, Conſul Caius Aurelius evocaſſet, eos Ariminum exciret, & vel ipſe, ſi ex vſu Reipub. id futurum exiſtimaret, Gallis obviam iret, vel L. Furio Prætori illas legiones daret, in quarum vicem quinque ſociorum millia ab eodem acciperet, quæ Hetruriæ interim pręſidio eſſet. Conſuli poſterius placuit; Furius exercitu accepto, quantis potuit itineribus, adverſus hoſtem profectus, mille quingentorum paſſuum intervallo ab illo conſedit; hoc enim maluit, quàm illo die vincere, quod quidem factu difficile non fuerat, ſi fortunâ ſuâ vti voluiſſet. Effuſus ad prędam miles per agros palabatur; caſtra terrore magis nominis ſui, quàm alio præſidio contra vrbem munita Galli credebant, alterius hoſtis ſecuri; & cæteroqui etiam non nimis ſe-

veram disciplinam felicitas laxaverat; poterat ergo Prætor in castris Gallicis pernoctare, si errore, & indiligentiâ hostium in rem suam abuti voluisset. Sed dum lasso de via militi parcendum putat, prolatando, spatium hosti dedit, prædatores clamore in castra revocandi. Postero die priores in aciem prodiere Galli, tantâ aviditate pugnæ, vt Romano vix spatium instruendi fuerit; sociorum exercitum Prætor in alas divisit, vt earum dextra in prima acie staret, in subsidijs duæ Romanæ legiones essent: Alæ M. Furius, Legionibus M. Cæcilius, Equitibus L. Val. Flaccus præesse jussi. ipse duobus legatis Cn. Lectorio, & Publio Titinnio cinctus, in omnem rei bene gerendæ occasionem intentus vbique futurus erat, quò vel plurimus labor, vel aliqua spes vocaret. Gallis aciei minor cura, fiducia in multitudine fuit, & pro ordine vires; maximo errore; nam viribus pugnatur, ordo triumphat: ergo quæ prima in acie ala stabat, primos irruentium impetus excepit; quâ conculcatâ, obtrituros se quidquid proximum esset, sperabant: vbi in frontem pugna non successit, ad cingendam

INFELIX BOIORVM CVM ROM. PVGNA.

gendam aciem circumfundi cœpere. Id vbi animadverit Prætor, vt consilium hostis irritum redderet, ex subsidijs duas legiones educit, & alam ijsdem, dextrâ, lævâque stipat; ipse insuper ædem Jovi vovet, si se victoriæ compotem, eo prælio, reddidisset. L. Valerio Legato impe rat, vt in cornua hostium, hinc quidem equitatum legionum, illinc sociorum immittat, ne acies circumveniri posset; ipse cùm debilitatam, tenuémque mediam hostium aciem vidisset, illuc confertos signa inferre jussit, eodémque tempore cornua ab equitibus pulsa, & perruptis ordinibus medij in fugam versi, terga cædenda Romanis præbuêre: secutus vsque ad vallum eques primum, deinde pedites ipsa castra, impetu facto, cepere. Minùs sex millia hominum effugêre, cæsa, captáque supra quinque, & triginta millia; atque in ijs Amilcar ipse Pœnus huius belli fax; tres insuper Imperatores nobiles Gallorum; septuaginta signa militaria hosti ablata, carpenta Gallica prædâ omnis generis referta, ducenta: Romanorum, sociorúmque ad duo millia desiderata, ex dextra potissimùm

ala, quæ primis Gallorum furoribus est petita. Placentinis captivi ad duo millia liberorum capitum redditi: id solatij fuit, pro amissis eo prælio militibus. Quę cùm Prætoris literis Romam nunciata sunt, omnes ingenti lætitiâ affecere; supplicationes in triduum decretæ; Prætori ingens gloria parta. Solus Consul C. Aurelius inanis homo, insignium factorum famâ, supra bonum, atq; honestum, perculsus, dedecus suum interpretabatur, quidquid, absente se, Prætor fecisset; & quanquam debellatum erat, vt tamen actum ageret, in Galliam profectus, victorem exercitum à Prętore accipit, eóq; agrum hostium depopulatus, gloriæ nihil, prædæ aliquantulum retulit. L. Furius vrbem triumphãs ingressus est. *a.* trecenta viginti millia æris, argenti *b.* centum septuaginta millia pondo in ærariũ intulit. Captivi ante currum nulli ducti, neq; spolia prælata, neque milites secuti; hæc enim auctaria gloriæ invidiâ Consulis erepta Furio erant; vt is non tam de BOIIS, cæterísq; Gallis, quàm de Consulis malevolentia videretur triumphasse. Alios à Livio Auctores Zonaram secutum

Oros. l. 4. c. 20.

a. *Coronatos* $4266\frac{10}{15}$

b. *1700000 Coronatos.*

cutum esse, indè manifestum fit, quòd is Placentiam sequenti demum anno eversam fuisse auctor est, victorum etiam à Furio populorum legatos pacem à Romanis petijsse, quæ Liguribus data sit, à Gallis nihil esse impetratum; Consul enim Aurelius cùm bellum quæreret, hos sibi hostes destinaverat; credo, vt eò fidentiùs Purpureonis triumphum allatrare posset; quod quidem Romam reversus insigniter præstitit, multa in ipsum Senatum vomens, quòd cōtra Majorum instituta, Prætori, nullo eius factorum conscio, aut teste præsente, triumphum decrevisset; neque lixam quidem vllum de virtutibus vnici illius Imperatoris auditum, qui vel joculare carmen in illum condere posset. Illud denique apud Zonaram notatum est, Amilcarem Pœnum in huius anni pugna cæsum non esse, id quod ex aliorum sententia etiam Livius alio loco recensuit, qui illum à Cethego Consule, triennio pòst, vivum captum esse scripserant. Romanis tamen persuasum erat in Gallia debellatum esse, eòque à metu illo otiosi, proximis comitijs Cn. Bæbio Tamphilo Prætori Galliam pro- ANTE C. N. CXVII. *Liv. 32.*

ILLATA ROMANIS CLADES.

vinciam his legibus decrevere; legiones ab Aurelio Consule acciperet, retinerétque vsque ad novi Consulis adventū; tunc milites omnes exauctorarentur; quinque millia sociûm tuendæ provinciæ satis esse. Bębius vbi ad exercitum venit brevi dimittendum, institit tempore & milite vti, ne Respublica nesciret quàm fortem virum in Galliam misisset. Sed Fortuna stolidæ temeritati exitium parabat. Vbi Insubrum fines ingressus est, inanissimus prudentiæ militaris homo, cum toto propè exercitu est circumventus, & ferociam sex millibus & sexcentis amissis luit; quæ clades Romanos monuit, ne Gallos prostratos etiam desinerent timere: Lentulo maximè Consuli res indigna ea visa est, Gentem illam vnam nunquam satis vinci posse, imò plerunque Romæ sua damna remetiri; plenus ergo irarum, in Prætorem maximè, provinciam ingressus, consternatum omnem exercitum reperit; cui vt animos redderet, invidiam omnem in Bæbium est amolitus, in militibus se neque virtutem, neque adeò Fortunam Gentis Romanæ desiderare; Bæbij stultitiâ in eum locum

locum inductos esse, vbi neutra res ipsos satis tueri potuerit: iret igitur imbellis Prætor in patriam, pudorémque suum mœnibus Romanis absconderet; arma, bella, & provincias viris relinqueret. Hæc satis gloriosè à Lentulo dicta, si dictis facta respondissent; sed spei, quam de se acri linguâ concitaverat, manu non respondit, acceptam cladem in Bębio reprehendit, non correxit.

Neque sequens annus quidquam magnis apparatibus dignum vidit; duos exercitus in Gallia Sext. Ælius Pętus Consul habuit, quorum alterum Prætori dedit, quanquam ex S. C. pridem erat dimittendus; neuter hostem vidit; totum ferè annum Cremonæ, Placentiæque hæsere, in colonorum conquisitione occupati, qui, damnatâ vtriusque coloniæ fortunâ, neque mœnibus fidebant, quæ nuper Boii evertissent, neque insudare agro volebant, quem ipsi arent, hostis metat. Ad hos igitur in colonias suas reducendos industrius Consul anno solido, & duobus validis exercitibus sibi opus esse putavit. Boii enim, sociiq; Galli eo anno quievere, etsi Zonaras auctor

ANTE C.N. CXCVI.
A.V.C. 556.
Liv. l. 32.
Zonaras t. 2.

est, sæpè levibus prælijs certatum, quæ ab ipsa fama neglecta, nec in ora quidem hominum venerint. Galli tamen, quia non vincebantur, pro victoribus se ferebant, destinabántque sibi etiam ipsi ducendos in Capitolium triumphos; nam lentitudinem Romanorum, timorem, aut ignaviam interpretati, illud demum esse tempus dictitabant, quo sese Majorum suorum pede metirentur, ostenderéntque, Romam etiam post fugatos Pœnos, capi tamen à Gallis posse: neque conjicere quidem promptum est, vnde idētidem concisis tantæ spes, & animus, toties minuto sanguine, semper crescēs: annus vnus & alter sine tristiore fluxit exemplo, aut magnorum exercituum jacturam temerarius aliquis Prætor solatus est, qui in vicem aliquot millia cædenda objecit, quid nisi particulam Romæ? quæ neq; post Cannas desperavit, & militum semper satis habuit, sive vinceretur, sive vinceret. & tamen post adjectam imperio Vrbis Africam, & subiugatum, quidquid inter illam, & Italiam est; post quæsitos in Macedonia triumphos, post porrectas etjam in Asiā victrices dextras, quibus fœdera

BOIORVM SOCIORVMQVE INGENTES ANIMI.

dera jungebãtur, ipsas olim terras tractura, Boii, sociíque Populi Romam cogitant etiam Annibali desperatam; an quia tot victoriarum voluptatẽ hostibus ereptum ibant, cùm se patriæ illorum pares jactarent toties victi? an revera Martij illi viri bella etiam adversa pro cote habuerunt virtutis? ipsius Romæ exemplo, quę nunquam plus habuit virium, quàm cùm post quatuor Annibalis victorias minimum habuit hominum; vt illi ad triumphos ipsa videretur multitudo obstitisse: an potiùs, quod mihi quidem simillimũ vero videtur, ætatem bellorum recensentibus, quæ cum Populo Rom. gesserant, eorúmque fortunam vtramque inter se committentibus, hoc ipsum erexit animos, quòd Populus ille orbis terrarum victor, & Pyrrhum in Epirum, & Annibalem in Africam rejecerit, nullúmq; hostem passus sit in suo solo senescere; eundem tamen secum annos propè ducentos non tam de Imperio, quàm salute confligere, singulari, & proprio quodam fato suo; ex quo in eam delapsos sententiam puto, pugnandum esse more majorum, repudiatísque exteris, peregrinísq; auspi-

auspicijs, domesticum sibi, idque felicissimum revocandum exemplum, quo demonstratum sit, Romanas vires in sua Vrbe debilissimas esse, & illic, aut nusquam aliàs posse vinci. In eam sententiam ex Cispadanis Gallis BOII soli, ex Liguribus Iluates, ex Transpadanis Insubres & Cenomanni conspirant; profectionis consilia etsi tegerentur, apparatus tamen in propatulo erat, & ingentem Romanis

ANTE C.N. CXCV. A.V.C.557. Zon. t. 2. Liv. 32.

curam injiciebat. Consules illo anno C. Cornelius Cethegus, L. Minutius Rufus fuere; ij ambo contra Gallorum copias missi, bellum eos vetuere aliò transferre. Gallis, dum famæ credunt, persuasum erat, Consules, cōjunctis legionibus, bellum id gesturos, eóque BOII etiam trajecto Pado fœderatis se populis junxere, omnes vires ingruentibus objecturi. Eò repentè affertur, Consulem alterum va-

BOII A SOCIIS DESERTI.

cuum defensore BOIORVM agrum nactum, flammâ, ferro, populationibúsq; illic impunè grassari, ferri omnia, rapíque ex libidine hostium; nisi maturè obviam eatur, brevi illic vastitatem, solitudinémque fore. BOII contendere, omnia suo periculo posthabenda, sociorum fidem,

fidem, opémque implorare, religionem fœderis injicere, quemadmodum ipsi Padum transgressi sint, quòd illic sedem belli fore crederent, ita æquum esse, socios paria facere; ad bellum vtique gerendum societatem se coijsse; id in patria sua exarsisse; nullum esse jam vnius Gentis periculum; fœdus omnia communia fecisse: se ad socios rebus etiamnum integris transisse, ne quid detrimenti Respub. caperet; nunc socios neque ad ardens quidem incendium restinguendum accurrere; quousque igitur expectandum esse? an donec ex fœderatis vna Gens nihil præter animam habeat? BOIOS scilicet pro Insubrum agro pugnaturos, cùm ipsi suum ijs videntibus perdidissent? Æqua sine dubio petebant BOII, & omnibus profutura: junctis viribus Consuli vni facilè pares futuri erant; diducti in prædam cessere; clamãtibus Insubribus, non posse se aliena curæ, propria neglectui habere; quemque sibi esse amicissimum. BOII igitur deserti à socijs, ad sua tuenda profecti. Detractâ vnâ validissimâ Gente Cethegus Cos. consilium inijt etiam Cenomannos ab Insubribus abducendi;

cendi; nam cùm ad eum perlatum eſſet, non communi conſilio Cenomannos arma cepiſſe; ſed juvenes audaces, rerum novarum cupidos, qui incerta certis antetuliſſent, quietis impatientiâ, & ſpoliorum ſpe, cum reliquis populis conjuraſſe; Principibus ad ſe evocatis, ab ijs impetravit, vt vel in acie quieſcerent, vel poſtquam omnium animos, oculóſque certamen occupaſſet, arma in Inſubres verterent: hac fraude Inſubres proditi ſunt, cùm ipſi antea Boios prodidiſſent; eóque non tam Romanis, quàm Boiis pœnas dedêre; quinque & triginta millia cæſa, quinque millia & ſeptingenti capti. Eius cladis fama ad Boios antè perlata eſt, quàm ipſi cum altero Conſule Minutio congrederentur; quod quidem futurum erat, paratis vtrorumque animis, nî Boii Inſubrum cædem in triſtioris omen eventus traxiſſent. Igitur animis labefactati, ad ſua quiſque tuenda dilapſi, occaſionem Cōſuli præbuere, latiùs omnia populandi; ita dum rem privatam publicæ poſthabent, vtramque perdidere. Animus inſuper Liguribus imminutus, qui alterius Gentis calamitate, alterius pauo-

PVGNA CONSVLTO ABSTINENT.

pavore intellecto, id, quod tutissimum erat, amplexi, in deditionem venere. Ea Romam Consulum literis nunciata, lætissima accidêre; ob rem ex sententia gestam, quatridui supplicatio decreta. Cornelius Cethegus de Insubribus & Cenomannis triumphavit; Minutio is honor negatus est, quòd levibus cum BOIIS prælijs magnum numerum militum amisisset; nominabantur etiam Tribuni militum, aliíque fortissimi viri, civium, sociorúmque, qui eo duce cecidissent; eâ jacturâ, suam propè, BOIORVMQVE fortunam exæquatam; oppida paucula, & ignobiles vicos mala fide in deditionem venisse, nullis obsidibus, nullo pignore dato, fidem cum fortuna, cùm primùm liciturum esset, mutaturos. Minutius tamen injussu populi, & Senatus, in monte Albano suis sumptibus triumphavit, minore quidem in vulgus gloriâ, famâque, spoliorum magnitudine, numeróque, pecuniæ etiam summâ, in ærarium illatâ, collegâ non inferior fuit. Ducenta quinquaginta quatuor millia æris fuere; argenti bigati quinquaginta tria millia, & ducenti; septuagenos æris militibus divisit,

visit, duplex Equiti, triplex Centurioni.

X. PROXIMO deinceps anno, L. Furius Purpureo, & M. Claudius Marcellus Cōsules facti, ambo cum BOIIS dispari eventu pugnavere. Purpureo, quem ante annos quatuor cū Gallis rem prosperè gessisse scripsimus, assuetus BOIO hosti, Gentis vires, & artes æstimare, & excipere doctus, peritiam ex vsu, fiduciam ex prioris memoriâ victoriæ afferebat, eóque interritus ipse, talem etiam exercitū suum reddebat. Ea Marcello cùm deessent, vix tandem, cladibus magistris, didicit vincere. Cùm exercitum in BOIORVM fines duxisset, fractúmque itineris molestijs, occupato tumulo, castra ponere jussisset; repente Corolamus BOIORVM Regulus cum manu suorum adortus, magnâ clade affecit: tria hominum millia occidit, prętérque gregarios, illustres viri aliquot ceciderunt, inter quos T. Sempron. Gracchus, M. Iunius Syllanus sociorum Præfecti, & A. Ogulnius, P. Claudius secundæ legionis Tribuni. Pro ipsis etiam castris pugnatum est; quanquam, irrito conatu, Corolamus suos recepit. Marcellus cùm fortunam deinceps tentare nollet, castrís-

ANTE C.N. CXCIV. A.V.C. 558. Liv. l. 33.

COROLAMVS BOIORVM REGVLVS ROM. CÆDIT.

castrísq; militem, per dies aliquot, teneret, dum & pavor resideret, & saucij curarentur. BOII minimè omnium cunctatores, & assidere castris indociles, quia id lentum negotium videbant, in suos se vicos, & castella recepêre. Marcellus hostis beneficio vsus confestim Padum trajicit, & contra Insubres & Comenses feliciùs pugnavit. Purpureo alter Consul cùm per Vmbriam in BOIOS venisset, jámque castro Mutilo, quod Appius cum septem millibus, ante annos quinque, à BOIIS illic cæsus nobilitârat, proximus esset, repentè agmen vertit, eadémque qua advenerat viâ abijt: nam cùm BOIOS & Ligures in armis esse cognovisset, verebatur, ne itinere suo intercepto, vtriq; hosti prædæ esset. damnatis igitur compendijs, quæ periculis ipsum objicerent, longo, sed tuto anfractu viarum, ad collegam pervenit. Indè junctis copijs ad Felsinam vsque BOIORVM oppidum processere; quæ postea Bononia à BOIIS, vt nonnemini videtur, dicta est. BOIOS vtriusque Consulis adventus imparatos oppressit; nam juventus armata domo aberat prædæ studio; igitur cùm aliud

Volaterr. l. 4. in Gallia Togata.

Petrus Mars. in Sil. l. 8.

Gaudent. Merula antiq. Gall. Cisalp. l. 2. c. 2.

BOII IN ROM. DEDVNT: SED FOEDERE MOX RVPTO CÆDVNTVR.

consilium non esset, se suáque Romanis dedidêre, tempori servientes: traductum deinde in Ligures Romanum exercitum BOII ex saltibus, quibus se condiderant, eruptione factâ, se consecuturos rati, spe suâ decepti sunt; ne nihil viderentur egisse, Pado trajecto, Levos, Libuósque depopulati sunt; abactam indè pauperem prædam cùm traherent, in finibus Ligurum incidunt in Romanos. Ibi prælium ira instruxit; locus, tempus, æqua, iniqua BOIIS, an Romanis essent, vltima curarum fuit; omnibus in id intentis, vt quod prævideri caveríque consilio, vt in re tumultuariâ, non potuit, gladio corrigeretur. Romanis æquiora omnia causa faciebat; credebant se contra violatores fœderis pugnare; certè fortunam in partes suas traxere; cædendi tum demum finis fuit, cùm vix cladis nuncius superesset.

ANTE C.N. CXCIII. A.V.C.559. Livius l.34.

Mox tamen in annum sequentem satis iterum militum fuit. L. Valerius Flaccus Consul sufficere Galliæ solus creditus est; quippe debellatum esse priore anno; nisi cum larvis jam sit luctandum; tamē cùm Gallis reliquis ad pugnam vel animus, vel vires deessent, BOII ad Litanam silvam,

vam, quam ante annos admodum viginti, incisis arboribus, Romanorum sepulchrum effecerant, educto exercitu, cum Consule signa contulere; sed illos neque audacia, neq; locus juvit; res Romana superior fuit; Boii octo millibus multati arma in præsens, non iras exuêre. Credas decretum ijs, neminem aliter, quàm bello moriturum. reliquum anni Consul in restaurandis Placentiæ, & Cremonæ colonijs insumpsit; nondum expunctis omnibus tristibus notis, quæ à flamma, ferróque Boico vtrique vrbi hæserant. Romani, qui nossent Boios neque sic quieturos, proximo anno vtrique Consuli Galliam decrevêre; ij fuerê P. Cornelius Scipio Africanus, T. Sempronius Longus. Sed antequam provinciam ingrederentur, jam bellum exarserat; nam cùm Insubres priore clade fracti, animis ad pacē inclinatioribus, viderentur otium meditari, Boii, quibus honesta præ tutis placebant, cum Dorulaco Regulo Padum transgressi, illos attrahere ad societatem belli, & virilium consiliorum volebant; neq; potuit ijs oratio deesse, cùm tot novæ, veterésq; causæ sup-

Infelix Boiorum prælium.

A. ant. Ch. N. cxcii.

A.V.C. 560. Liv. l. 34.

Dorulacus Boiorum Regulus novum bellum concitat.

peterent, & potētiſſima illa, ne morerentur inulti, & integrum, ſincerúmq; Romano gaudium permitterent, ſi faterentur ſe victos. Igitur Inſubres ad ingenium redierunt, pace damnatâ; junctíq; Boiis cum L. Valerio Flacco Procoſ. circa Mediolanum ſigna contulere; iterum iniquitate fortunæ oppreſſi; decem millia cecidere. quæ clades BOIORVM numerum, non animos minuit: idem ille annus iterum prælijantes multo maiore apparatu vidit. BOIORIX Regulus cum duobus fratribus totam Gētem armavit; cúmque Sempronium Conſulem adventare in Provinciam cognoviſſet, caſtra opportunis locis metatus, omnia ſive ad inferendam, ſive defendendam vim idonea ſolerter comportauit, vt facilè appareret, à certamine non abhorrere, ſi ſe Romanus obtuliſſet. Cōſul vbi quantæ hoſtium copiæ, quantúſque animorum eſſet ardor, intellexit, ſui copiam Boiorigi non fecit, & bello ſe imparem faſſus, ad Collegam nunciū mittit, quóq; in loco res ſit, ipſum edocet; niſi aliter ei videretur, ſe vniverſo periculo ſummā rerum non commiſſurum, donec caſtra

INFELICI EVENTV PVGNAT.

Liv. ibid.

BOIORIGE REGVLO DVCE RES ITERVM CVM ROM. GESTA.

ſecum

secum junxisset; facilè interim cunctãdo hostem ludificaturum. Boiorix vbi quieta apud Romanos omnia vidit; suspicatus id quod erat, pro vno brevi duos se hostes habiturum, id antevertendum omni ope censuit, confestímque acie confligendum. Igitur suos primo, alteróque die in aciem eduxit, & in armis habuit; sed Romanus nihilo se magis movere, & fortunæ, si necessitas non cogeret, nihil permittere, prudentiâ, non vi pugnare. BOII vbi sibi propalam concessum de virtute, & gloria viderunt, tertio die ad ipsa oppugnanda castra accessere; ea res Romanos nolentes excitavit, & ad capienda arma impulit. Consul duas legiones duabus principalibus portis efferre signa jusserat; sed eas obiectis agminibus BOII obstruxerant, & contranitentes Romanos impenetrabiles ipsi repellebant; vir viro, pes pedi, scutum scuto hærebat; ijs penè res gerebatur; gladiorum, vt inter confertos, rariore vsu. Dum nequidquam vtrinque luctantur, Romani erumpere, BOII irrumpere, L. Victorius primi pili centurio ex secunda legione, & C. Atinius Tribunus militũ quartæ

legionis, adempta signiferis signa in Boios jecerunt; ibi demum amissorum pudor irâ validior fuit, viámque reperit; legio secunda prior se portâ ejecit. Interim Boii, qui Decumanam oppugnarant, eâ tandem potiti, L. Posthumium Quæstorem, cui Tympano cognomen fuit, & M. Atinium, & P. Sempronium Præfectos sociorum, & ducentos milites audaciùs sese inferentes occiderunt. Consul cùm capta ab ea parte castra vidisset, extraordinariam cohortem submisit, cujus virtute porta iterum obsepta, quíque jam irruperant, cæsi, vel ejecti. Eodem tempore quarta etiam legio cum duabus extraordinarijs cohortibus erupit, vt tria jam prælia ijsdem vbique odijs, variâ tamen fortunâ gererentur; vnde & dissoni, prout lætæ, vel adversæ res erant, allapsi vndique clamores, vtrumque exercitum inter spem, & metum distrahebāt. Jam in meridiem extractum certamen erat, neutrò inclinante victoriâ; quanquam vtrinque non tantùm voto, sed certâ jam spe rapiebatur; donec Boii armis invicti, labore, & æstu, & sitis maximè impatientiâ expugnati, ex pugna decessere; qui-

Boii castra Romana infelici eventu oppugnant.

quibus se recipientibus insisti Consul noluit; quidam tamen imperio contempto, BOIOS vsq; ad castra insecuti, pro vallo pugnā conseruere, quorum paucitate contemptâ, BOII, eruptione factâ, restitantes fundunt fugántque; ita temeritate castigatâ, quos tuba non potuit, BOIORVM gladius ad sua castra revocavit. Romanorum eo prælio quinque millia, nostratium vndecim millia cecidere. Qui superfuere, in finium intima regressi sunt; Consul Placentiam abijt. De Africano altero Cos. non liquet, an conjunctus Sempronio, agrum BOIORVM populatus sit, quod quidam tradidere, an omnino in huius belli, victoriæque partem nullam venerit. Huius Consulis Fratri Lucio, qui Asiaticus dictus est, ex M. S. duobus Cod. Sexti Aur. Victoris, de Viris Illust. magna de BOIIS victoria adscribitur, viginti millibus hominum cæsis parta; quod ex vano haustum judico; cùm nec tempore, nec loco fabula fulciatur; & multa sibi in hunc auctorem etiam alibi malæ manus permiserint, vt ex non optimo, multò facerent peiorem. *Annotavit Frider. Silburgius.*

XI. ANTE Ch. N. CXCI. *A. V. C. 561. Liv. l. 35.*

SCIPIO Sempronio circa Placentiam hærente, Romam profectus, proximis comitiis, Consules L. Cornelium Merulam, & Q. Minutium Thermum creat. Minus eo anno bellorum fore frustra creditum est, donec Sempronij literæ Romam perlatæ sunt, quibus scriptum erat, quindecim millia Ligurum in agrum Placentinum venisse, & ad ipsa vsque coloniæ mœnia populariones propagasse; BOIORVM quoque Gentem capita conferre, & rebellionem parturire; igitur Senatus censuit, causas militares eo tempore cognoscendas non esse, neque vllam vel honestæ, vel causariæ missionis flagitationem admittendam; sed & dimissi à prioris anni Consulibus ad signa revocati, & jus novorum delectuum habendorum Cornelio Merulæ, cui Gallia provincia decreta est, datum; provisúmque, ne quod ad BOIOS compescendos auxilium videretur neglectum. Atque illis quidem novum, hoc anno, belli gerendi genus placuit; subitò ex ferocibus cunctatores facti, credebant, correcto ingenij sui impetu, etiam fortunam se propitiaturos: non modò non lacessere ho-

BOII ITERVM TVMVLTVANTVR.

stem

ſtem priores, ſed provocati etiam iram in poteſtate habere, Romano omnia permittere, neque ad ſui vaſtitatem agri evigilare; prorſus vt crederes, Fabium illos ducem in caſtris habere: jámque hoc nacti erant, quod maximè quæſiverant, vt non timerenrur; & Romanus vix meminerat ſe eſſe inter hoſtes. Tandem Conſul, cùm latè omnibus vaſtatis, nihil neque ferro, neque flammæ ſupereſſet, ad Mutinam incompoſitum agmen rapuit; id BOII ſuum tempus rati, ſilentio conſurgunt, & veſtigia, famámque hoſtis, ex intervallo, ſecuti, noctu illius iter prævertunt, ſaltúque ſe condunt, per quem Conſuli tranſeundum norant; & hactenus in fabula nihil peccatum erat; ſed locus inſidijs tumultuoſiùs captus conſilium nudavit. Jam neque Conſul temerè quidquam agere; iter in lucem differre, exploratores præmittere, in omnem partem intentus eſſe: vbi de loco, copiíſque hoſtium per ſpeculatores certior factus eſt, conferri in medium ſarcinas juſſit, eáſque à triarijs circumvallari: reliquum exercitum adverſum BOIOS duxit: qui vbi inſidias parum PVGNANT.

processisse vident, consilium à manu capiunt, & arma expediunt, virtute nixi. Horâ diei secundâ prælium initum est; cuius initia Gallis prosperiora, nonnullâ etiam Romani Consulis inscitiâ. Sinistra Sociorum equitum ala, & extraordinarij in prima acie pugnabant, iisque Consulares duo præerant, M. Marcelllus, & T. Sempronius prioris anni Consul. Cornelius ipse totus in hoc erat, vt parata omnia in subsidijs haberet potiùs, quàm vteretur; vnde monendus à Sempronio fuit, Boios jam sustineri non posse; nisi maturet opem ferre, de extraordinarijs actum esse; multos occubuisse; reliquos labore, metúque fractos, parum à victis abesse: ibi demum secunda legio immissa pugnam restauravit, cùm vndique fessis integri succederent; Boiis tamen pugnam vtcunque sustinentibus, iniquior cum sole lucta fuit, qui accensissimus omnia vrebat, vt viri illi sanguinis contemptores, sudore propè colliquescerent: tamen vel scutis innixi, vel integrioribus incumbentes, impetum Romanorum excipiebant; donec Livius Salinator, jussu Consulis, cum Alariorum equi-

equitatu, invectus, ordines confudit; & quanquam duces fugam inhiberent, hastilibus etiam trepidantium terga pulsantes, tamen restitui turbata acies non potuit, equitibus quaquaversum sese inferentibus. Jámque fluctuantibus acriùs metus imperabat, quàm Duces; certè ad fugam, quàm bellum promptiores erãt; tamen, etiam projectâ spe victoriæ, verecundia nonnihil illos continebat, donec etiam hanc Consul expugnavit; nam cohortatus suos, vt paululùm adnixi integrum decus referrent,, & priusquam se hostes colligerent, semianimes, distractósque invicem, leviore operâ conficerent; tum denique Romanis vndique coortis, nulla nisi in fuga spes fuit, quam ipsam legionarij ferè præcidebant, tergo inhærentes. Cædes ad quatuordecim BOIORVM millia pervenit. Vivi in potestatem hostium venere mille nonaginta duo; equites ducenti viginti vnus, & tres Duces. Signa militaria ducenta duodecim amissa, carpenta sexaginta tria. Neque Romanis incruenta ea victoria fuit; quinque millia cæsa: Centuriones tres & viginti; præfecti sociorum quatuor: tribuni VINCVNTVR.

buni militum duo M. Genutius & M. Martius; Cornelius tamen de rebus à se fortiter, feliciterque gestis magnificas ad Senatum literas dedit, quibus sibi viam ad triumphum muniebat; sed cùm M. Claudius legatus privatim plerisque Senatoribus scripsisset, virtute militum, non Consulis eam victoriam partam; exercitus in discrimen coniectos, lenta subsidia, fortissimorum militum jacturam, hostem è manibus emissum, & metum aliàs recrudescentis belli, hæc propria esse Consulis opera, pro quibus, si tam duri oris esset, triumphum petere posset; his literis effectum est, vt Consul Romam reversus triumphum non impetraret. Aliàs cladis illius magnitudinem Boii ipsi qui passi sunt, sincerissimè æstimarunt, re ipsa confessi, non tantùm prælio, sed bello se victos; arma, viros, & quod desperantium est, animos amiserant; id quod sequens maximè annus ostendit, quo ambo Coss. L. Quinctius Flaminius, & Cn. Domitius Ahenobarbus, per Ligures alter, alter ab Arimino in Boios duxere; sed cùm omnia fecissent, quæ hostis, & victor solent;

ANTE C.N. CXC. *A.V.C. 562.*

Boio-

BOIORVM tamen patientiam nullâ iniquitate, aut violentiâ expugnare potuere; nec ad flammam, nec ad ferrum excitati ſunt, quo vtroque Romani impunè graſſabantur; adeóque averſi à fortioribus conſilijs, ad mala ſua obdurue-rant, percalluerántque, vt Equites cum Præfectis, & Senatus vniverſus cum liberis, Romanis ſe dediderint; mille quingenti fuere. reliqui ne ſequerentur, inauditâ Flaminij Conſulis crudelitate factum eſt, quæ & graviſſima Marci Catonis oratione aliquot annis pòſt damnata, *Liv.l.39.* & tandem in Rhetorum ſcholis, ſtylo, & *Sen.l.4.* acerrimis declamationibus confoſſa eſt. *Contro.* Flaminius non modò eo, quem gerebat, Conſulatu, ſed & tali patriâ indignus, in provinciam digrediens Philippum Pœnum erubeſcendæ patientiæ exoletum ſecum trahebat; is, vt turpe obſequium quàm quæſtuoſiſſimum ſibi faceret, arte meretricia ægrum amatoris animum, invidioſâ querelâ incendebat, identidem exprobrans, quantâ, dum illius amori obſequitur, voluptate ſe ſpoliaſſet; perijſſe ſibi interim belliſſimos dies; & Româ, & gladiatorum ſpectaculo caren-

dum

dum fuiſſe: Fortè evenerat, vt Flaminio cum Philippo epulanti nunciaretur, Nobilem BOIVM transfugam veniſſe, dextrámque Conſulis cupere contingere, & ab ipſomet fidem accipere. Juſſus eſt ergo à temulento introduci; cúmque per interpretem Conſulē alloqueretur, impuriſſimo homini in mentem venit, ſatisfacere ſe pueri querimonijs poſſe, & BOII ſanguine omnem invidiam obliterare; quærit igitur ex Philippo, quandoquidem Circi delicias neglexiſſet, velétne BOIVM hunc, vt ſuccedaneam victimam morientem aſpicere? cúmque ille leviter annuiſſet, gladio, qui ſuper caput pendebat, ſtricto, BOIVM in vertice primùm vulnerat, fugiēti deinde, & Quiritium fidem imploranti latus haurit. Barbarum facinus temulentiâ, & amore, malis conſiliarijs perpetratum, nemini, præter auctores, placuit; à reliquis nihil in toto ſcelere poterat defendi. Nobilem transfugam eâ ipsâ dextrâ, in qua Romanam fidem quærebat, cecidiſſe; Conſulem vni laſcivo oculo donaſſe homicidium; ipſúmque non gladiatoris, ſed carnificis munus occupaſſe; epulas huma-

CRVDELISSIMVM ROM CONSVLIS IN NOBILEM BOIVM FACINVS.

humano ſanguine condijſſe, & ingemitu morientis ſcorto voluptatem quęſiviſſe; in triclinio, apud hoſpitales Deos, viſum, factúmque, quòd in nullo Circo licuiſſet; hæc omnia eiuſmodi erant, quæ non in Romani Conſulis, ſed in Thyeſtę menſa quæreres, à qua etiam Sol dicitur fugiſſe. Neque potuit crudelitas hæc parietibus illis occultari; erupit non in auctoris tantùm, ſed totius Populi Romani odium, BOIÓSQVE ab omni pacis cogitatione deturbavit; nam cur illam à carnifice Conſule peterent, qui eam ſine infàmi arbitro dare non audeat? qui, ſi laſcivus puer iterum annuat, ſpectaculum ſit repetiturus, illiúſque benevolentiam pluribus capitibus empturus: quidni potiùs, cùm videant ſe velut in Circo ad lanienam incluſos, caperent, vt boni gladiatores, in arena conſilium, neque inermi manu, vt miſer ille, morerentur, lætiùs certè occubituri, ſi etiam ſuum gladium vidiſſent cruentum. Igitur bellum, quantâ potuit maximâ diligentiâ, reparatum eſt; ſed interim turpiſſimus Conſul magiſtratu abijt, quem P. Cornelius Naſica, is qui à Senatu Vir Optimus judicatus

QVÒ IRRITATI BOII ITERVM REBELLANT.

Liv. 36. Oroſ. l. 4. Zon. t. 2.

tus

A.V.C.563. tus est, excepit, cuius virtute & æternâ populi Rom. felicitate factum est, vt Boios neque optima causa, neque ingentes animi, & collectę vltimæ vires quidquam adjuverint; ingenti prælio iterum victi sunt. Valerius Antias duodetriginta hostium millia cæsa scribit; capta tria millia, & quadringentos: signa militaria centum viginti quatuor; equos mille ducentos triginta; carpenta ducenta quadraginta septem. ex Romanis mille, quadringentos, octoginta quatuor cecidisse; quem quanquam Livius in augendo intemperantissimum scriptorem vocat, tamen Nasica ipse minimè quidem laudum suarum obtrectator, neque tamen mendax, in oratione, quam pro triumpho habuit, cui Sempronius Blæsus Tribunus plebis intercedebat, haud parciùs pro gloriâ sua est locutus; acie victos à se Boios, castris exutos, gentem biduò pòst totam in deditionem acceptam; ab ijs obsides abduxisse, pacis futuræ pignus; & quod multò maximum sit, neminem ante se Imperatorum cum tot Boiorvm millibus pugnasse, ex hominum quinquaginta millibus, dimidio plus

SED VINCVNTVR.

ILLIVS VICTORIÆ MAGNITVDO.

plus à se cæsum, multa millia capta: invalidam ætatem, pueros, & senes BOIIS superesse, tenue solatium potiùs, quàm præsidium. Igitur illustri cum triumpho in vrbem ingressus est; omnémque propè BOIORVM opulentiam eòdem importavit; carpēta, arma, signa, spoliáq; omnis generis &, vasa ænea; captivos nobiles ante currum egit, equorum integros greges ostentavit, aureos torques mille quadringentos septuaginta: auri *a.* pondo in- a. *Coronatos* super ducenta quadraginta quinque: ar- *27440.* genti infecti factíq; in Gallicis vasis *b.* duo b. *Coronatos* millia trecenta quadraginta pondo; bi- *23400.* gatorum numorum ducenta triginta quatuor. militibus qui currū secuti sunt, viritim trecentos vicenos quinos asses divisit, duplex Centurioni, triplex Equiti.

XII.

ANTE C.N. CXIC. BOII ROMANÆ POTENTIÆ FORTVNÆQVE MANVS DEDERVNT.

ATQVE ex hoc tempore Roma in Italia BOIOS timere desijt; cùm ducentis amplius annis populum principem terrarum continuis, & anniversariis propè bellis vexassent, nullâ virium, nullâ sanguinis parsimoniâ; suis, & alienis auspicijs; vt inausum, intentatúmque relinquerent nihil, quod ad convellendam

Populi Romani fortunam satis foret, nisi eam altior, maiórque vis æternam esse voluisset; vt pudori BOIIS non sit, Deo & Romæ cessisse; præsertim cùm exemplum orbis terrarum sequerentur: nam Africa nuper manus dederat, Carthagne victâ: in Asia jam diu Romani multū per Regum amicitias poterant, & adhuc socij vocabantur, mox domini futuri; & hoc ipso, quo hæc gesta sunt, anno, Annibal, qui ex Africa in Asiam transierat, ex altera orbis parte Romæ bellum per Antiochum Regem moturus, Regi ipsi securiùs agenti magis mirari se aiebat, quòd non jam in Asia essent Romani, quàm venturos dubitare: atque illud verissimus Vates adjecit, in Asia, & de ipsa Asia brevi, terrâ, marique dimicandum Antiocho cum Romanis esse; & aut imperium adimendum affectantibus orbem terrarum, aut ipsi regnum amitendum. vt mirandum non sit, si BOII, post Annibalem, de Italia desperarunt, atque hoc eo tempore, quo jam Italia orbi jura dictabat: illud potiùs, præter satietatem, ducentorum annorum bella legenti, succursurum, & pro miraculo futurum non dubito,

to,quomodo toties victis BOIIS iræ,animi, milites ſuffecerint, quos vel inter victorias, quæ & ipſæ ſanguine emi volunt, carptim atterendos, exhauriendóſque fuiſſe, rem à noſtris temporibus æſtimāti, videbitur; quod mihi hodie regnū dabis, ex quo militum educere tantum liceat, quantum ex vna non magna Italiæ regione, BOII Romanæ potentiæ oppoſuere? mortuorum examina,inter annuas ferè ſtrages, congeſſimus, vt credi fas eſſet, defeciſſe non tantùm, qui cæſos vindicare, ſed etiam qui lugere poſſent. hodie poſt tot non funera, ſed vulnera in vna gente numerata, non modò debellatum, ſed conclamatum diceres. Sed & illorum temporum æqualia repetenti, nunquam tam diuturna odia, & poſt toties contuſas vires, integri animi, & ſpes à tot mortibus rediviva occurret. pertinaciſſimè Carthago cum Romanis contendit, vna omniū vrbium Romæ æmula, & ambitione imperij orbis terrarum armata; tamen poſt ſeptendecim ferè annorum felicitatem, vnius adverſæ pugnæ caſu,in qua viginti non ampliùs millia hominum ceciderunt, ita afflicta eſt,

VNDE BOIIS TANTVM MILITVM.

Liv.l.30.

vt ipse Annibal, nullam, nisi in pace impetranda, spem salutis esse palàm diceret, cúmque Gisgo vnus in tanta civitate reperiretur, qui illam, propter conditionum acerbitatem dissuadere ausus esset; arreptum ipse hominem de superiore loco detraxit; adeò civitas Africæ domina cladi non maximæ succubuit, & vnicus Imperator Annibal cum Romanis pugnare, bonis, malísque suis doctus, confessus patrię redintegrandi spem belli deesse, vt aliquos Romanis hostes quæreret, coactus est in Asiam tertiam orbis terrarum partem discedere. Equidem in tanto auctorum silentio, qui res BOICAS obtritum potiùs, quàm celebratum ibāt, si certi afferre nihil possum, juvat tamen etiam inuidiæ honestissimam confessionem extorsisse, rem hanc esse supra nostri, veterísque ævi exempla: quod si ad Romanos spectaret, haberemus passim in Historicis illos ab Oratoribus petitos ' tumores. O horribilem in tot adversis fi' duciam, ô singularem animum ac spiri' tum Populi Romani! Sed tamen præter hanc propriam, non tralatitiam Gentis BOICÆ laudem, quæque id potissimùm osten-

Polyb. l. 15.

Idem l. 36.

Florus l. 2. c. 6.

oſtendit, animorum illi ſatis fuiſſe; corporum tamen etiam in tot bella perpetuum ſeminarium laudata in Gente Gallorum fœcunditas præbere potuit; Gallicas certè fœminas Strabo in prole gignenda educandâque felices appellavit: cuius rei cauſas à caſtigatis illius temporis moribus petere licet; quibus & ſera juvenum conjugia erant, eóq; inexhauſta pubertas; neque virgines feſtinabantur, vt eadem vtrique conjugum juventa, & ſimilis proceritas eſſet, fortéſque fortibus gignerentur; ſumma educationis ſeveritas, deliciarum non modò nulla captatio, ſed ſinceriſſimum odium, integritas naturæ, & vigor nullâ mollitie corruptus, in artus ingentes valida corpora provehebant; in quam rem nobile eſt illud ab Ephoro notatum, diligentiſſimè Gallos caviſſe, ne turpi ſaginâ corpora diffluerent, verúmque perderent robur; ac proinde juvenes ad cinguli certum modum examinari ſolitos, & æquo ventrioſiores graviter multatos fuiſſe. Accedit, ævo illo vacationem militiæ nulli fuiſſe, niſi quem prima, vltimáque ætas, etiam invitum abſolverent: reliquis

Strab. l. 4. Τοκάδες αἱ γυναῖκες καὶ τρέφειν ἀγαθαί.

CONTINENTIA BOIORVM.

Apud Strab. l. 4.

fuere, frustra in occisorum numero speres nimis religiosos fore; de quo plerunque gloriosis militibus credendum est, qui linguâ, quàm manu fortiores sunt. quo maximè factum puto, vt tristi censurâ insignes viros, & in ijs hunc ipsum, quem sequi cogimur, Livium Fl. Vopiscus sugillet, ausus dicere, neminem Scriptorum, quantum ad Historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: Sed vt à coniecturis narratio abeat, proximo post acceptam cladem anno, Lælius Consul in Galliam missus est; vbi turbarum quidem nihil, querelarum aliquid fuit, â Placentinis & Cremonensibus, dictitantibus solitudinem esse in ambabus colonijs, vtramque cladibus penè exhaustam colonorum inopiâ laborare, decretum non tantùm in illas duas supplementum est, sed eodem Lælio auctore Senatus censuit, alias duas in agrum, qui BOIORVM fuisset, deducendas; proximóque anno, ante diem tertium Kal. Ian. Bononiam Latina Colonia deducta est, trium millium hominum: Equitibus septuagena jugera, cæteris co-

In Aureliano.

A.V.C. 564.

Liv. l. 37.

A.V.C. 565.

lonis quinquagena divisa. Agro à BOIIS nomen adhæsit, etiam cùm in Populi Romani potestatem venisset: Ea res etsi BOIIS oculos exureret, hiscere tamen contrà ausi non sunt; nam neque fortibus consilijs locus erat, in desperatione auxiliorum; & ablatâ maleficij occasione, mala quæ patiebantur accusare poterant, corrigere non poterant. Hominibus libertati innutritis, & ducentorum annorum gesta recolentibus, ille demum fatalis annus compedes injicere visus est, qui necessitatem ferendæ iniuriæ attulerit, eripuerit vindicandæ. Nunc demum Romanos vicisse, quando in manu BOIORVM ferrum non videant; reliquas omnes victorias ijs se illætabiles fecisse; nunc illorum plausum suo silentio adjuvari, quo tamen ipso clarè testentur, sibi victis in victores præter iras inermes, & non profuturas nihil superesse. Inter has tristes cogitationes annus ille absumptus est; cùm interim BOIOS nec Fortuna respiceret, & duriora in dies fata vrgerent; quibus fracti, fessíque, proximo anno, Marco

Sext. Pompeius V. Ager Boicus.

Marco Valerio Messalla & Caio Livio Salinatore Consulibus vt libertatem in tuto collocarent, consilium fortibus dignum viris cepere, & cedendum potiùs, quàm serviendum censuere. Nam sine bello Italia emigrasse Iul. Obsequens scripsit; etsi Strabo de vi mentionem facit; quod de Romanorum iniurijs interpretari licet, quibus à Fortuna sua adjutis plus tamen in BOIOS non licuit, quàm vt ijs Italiam eriperent; cætera illi bona sua secum extulere, Fortes animos, libertatem, æternitatem nominis, & cuius vnius gratiâ agere, & pati omnia tanti fuit, captæ, incensæ, venditæque Romæ trophæum immortale: in hæc non est manus injectio, eáque cum nomine, & sanguine ad posteros pervenere, optima portio hæreditatis. Sedem sibi BOII, cùm Italiâ excessissent, ad Danubium, inter Tauriscos legêre. Tauriscorum portio sunt, qui hodie, perdito veteri nomine, Stiri nobis, voce Germanica dicuntur, quæ, vt apparet, Latinam est interpretata; locum eò maximè placuisse credo, quod ne-

A. V. C. 566. ANTE C. N. CLXXXVI. BOII EX ITALIA AD TAVRISCOS MIGRANT. *l. de Prodigijs.* *Strab. l. 5.* *Strab. l. 5.*

que Boiohæmo, quod BOIORVM totum fuit, procul aberat, & omnis illa ad Iſtrum ora Gallicis BOICISQVE colonijs abundabat, vt inveniſſe potiùs patriam, quàm perdidiſſe videantur.

VIR-

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER TERTIVS.

Breviarium.

I. B*Ellum, quod Antiochus cum Romanis gessit*, TOLISTO-BOIORVM *eidem illigatorum fortunam corrupit; miro fato, Scipione, & Annibale iterum in Asia inter se commissis, quorum in Europa, & Africa, prælia*, BOIOS *Italicos jam antè afflixerant.*

II. TOLISTO BOIIS, *quòd Antiocho militassent Manlius Volso bellum indicit: ídque in Olympo monte, quò* TOLISTO-BOII, *Ortiagonte Duce, concesserant, lævo successu gestum; Capta eo præ-*

prælio Chiomara Ortiagontis uxor ereptam vi pudicitiam, audaci facinore vindicat. Spectata etiam Virorum inter vincula virtus, & animus servitutis impatiens. Victis tamen pax concessa.

III. *Nihilo faventiorem Fortunam* TOLISTO-BOII *bello Macedonico experti sunt, quamquam pro Romanis tunc contra Perseum stetissent; eaque ex causa Eumeni, cui clades suas acceptas ferebant, bellum indictum; frustra pacem suadente Legato Romano; nihil tamen, ob eum contemptum, mutatâ Romanorum benevolentiâ, quò minùs eorum causam contra Prusiam, Eumenẽ, Ariorathem Reges, tuendam susciperent.*

IV. *Ariamnes Galata inauditâ liberalitate toti provinciæ anno integro gratuitas epulas struit, magni prisci candoris in* TOLISTO-BOIORUM *gente argumento; qui etiã in simplicißima Erucarum à satis arcendarũ ratione elucet.*

Cim-

Cimbros terribilem toti Europæ gentem BOII *aditu Bojohæmi arcent, primique invictos adhuc vinci posse ostendunt.* BOIORVM *tamen nonnulla manus, Boiorige duce, Cimbros in eiusdem experimentum fortunæ secuta, communi cum illis fato plectitur.* V.

Mithridates Galatarum odia, nobilissimis Tetrarcharum occisis, meritus, Romanis ármis petitur; constantissimè in partem adnitente Deiotaro TOLISTO-BOIORVM *Rege; quo nomine Romanis Ducibus conciliatus, ab illis honestissimis testimoniis, amplioréque provinciâ auctus est.* VI.

BOII *Boiohæmo egressi, Danubio trajecto, Noreiam primariã Norici urbem oppugnant; inde cum Helvetijs in Galliam migraturi, cum Iulio Cæsare collisi, victíq; inter Aeduos collocantur, amici aliquamdiu Cæsaris, deinde, in publico gentis motu, hostes; iterúmque* VII.

conci-

conciliati, Fortunæ benignitate id etiam consecuti sunt, ut Borbonij Galliæ hodie Reges, suas illis origines transcribant.

VIII. *Crassus, itemque M. Tullius Cicero Deiotari hospitio vsi; atque hic quidem, in Amano Monte,* TOLISTOBOIORVM *auxilijs res maximas egit. Pharsalico deinceps bello Pompeij partes secutus Deiotarus, Cæsaris offensam incurrit, ab eóque parte provinciæ exutus est. accusatus insuper paratarum in eiusdem caput insidiarum, luculentâ M. T. Ciceronis oratione defensus est. recuperatis à Cæsaris morte rebus omnibus, domesticis calamitatibus miserè conflictatus: successores in regno duos habuit; quibus extinctis, Galatia omnis in formam provinciæ redacta est.*

IX. *Paulò post Fratres duo Galatæ nobilißimi sanguinis, ab Augusto Cæsare in triumphũ ducti, inauditum amoris certamen*

tamen ediderunt, vter cum patre mori posset.

BOII, *qui inter Tauriscos consederant, post continua cum Retis, & Dacis bella, Rege Critasiro imperante, funditus à Dacis deleti sunt.* X.

Per eadē ferè tempora, alterum BOICA *gloria vulnus accepit; cùm à Maroboduo Marcomānorum Rege* BOII *Boiohemo, primævâ Coloniâ, pulsi, inter Nariscos, obscurâ in posterum famâ, per aliquot sæcula delituerunt.* XI.

Christianam legem primi ex BOIIS *Asiatici* TOLISTO-BOII *didicere; reliquis tam longè à pietate semotis, vt è* BOIIS *Gallicis Mariccus quidam Divinitatis affectator repertus sit.* XII.

GESTA SVNT HÆC ab anno ante CHRISTVM NATVM Octoagesimo sexto, vsque ad septuagesimum primum post eiusdem Natalem.

I. ETIAM mihi Italicis perfunctо bellis, velut impetratâ missione, suave est in Asiam revisere; quanquam nec illic incruenta spectacula, aut vlla sine ferro manus: sive illud vnicum, eo sæculo, viris dignum negotium visum est, bella gerere; aut alia omnia literis indigna, præterquam bella scribere: atque ea quidem BOICÆ Genti neque hîc, pro vetere gloria, satis ex animi sententia, evenere: Cogimur Italiæ ignoscere, quando neque in Asia Fortuna BOIOS fert in sinu; &, quod mirere, ad illos vtrinque duris exercendos, ijdem anni placuerunt; cuius delectus causas afferre non possum; in Deo sunt clausæ; planissima illa est, omnibus bonis satisfactura, illi sic placuisse; nimirum omnis ævi exemplis docere homines vult, non esse rem delicatam, vivere; hoc boni veteres annales præstant, monstrant omnia sæcula in miserias fœcunda fuisse: tristia omnibus paginis intexta sunt; & hic ipse ordo mundi est; desipítque, qui hunc potiùs, quàm seipsum objurgare vult, & corrigere: Calamitatum in Asia TOLI-

STO;

STO-BOIIS causa Antiochus fuit, is qui cognomēto Magnus dictus est, cuius bello, quod cum Romanis gerebat, TOLISTO-BOII illigati, illius etiam ruinâ afflicti sunt. nempe quod in Italia tristi demonstratum exemplo est, BOIOS, cùm Africanis se rebus immiscuissent, peregrinis auspicijs domesticam fortunam corrupisse, id illis etiam hic exitio fuit; cùm Asiaticis involuti tumultibus, paratam alijs tempestatem, suis ipsi capitibus excepere. Et erat iterum insignis huius belli cōcitator Annibal; vt idem homo, qui BOIIS Italicis in suam societatem pertractis suas calamitates affricuerat, nunc etiam Asiaticos secum in præcipitiũ daret; mirabili Fortunæ ludo; vt Annibal, dum ex toto orbe Romanos oppugnat, vbique BOIOS, tristi vtrisque fato, reperiret. Igitur Antiochus cùm ex Asia in Græciam exercitum ducere pararet, oculos in TOLISTO-BOIOS, Trocmos, & Tectosages maximè conjecerat; quòd & armorum gloriâ ingens totâ sibi Asiâ nomen parassent, & præstantiâ virium, ipsâque corporum mole, vni omnium pares Romanis esse posse, Regi viderent-

BELLORVM, MALORVMQVE, QVÆ TOLISTO-BOIOS IN ASIA EXERCVERVNT, FAX ANTIOCHVS.

App. Syriac.

derentur: eos igitur partim muneribus, partim ipso apparatus terrore, in societatem belli pellexit; quamquam extra Asiam Regem secuti non sunt; cùm ille raptim cum solis decem millibus in Græciam profectus, nullâ re memorabili gestâ, à belli cogitationibus, in otium, luxúmq; prolapsus, sub aureis & sericis tentorijs, vnicus Imperator, in hyberna se condidit. vbi paulatim non tantùm à militaribus curis, sed ab ipsa cœpit natura desciscere: mediâ hyeme rosas concupiscebat, & verò etiam per Græculos in luxuriam ingeniosos voto suo potitus est; & vt aliquâ re ducem ageret, puerorum, virginúmque delectus habebat, tibijs, & fidibus muliebre classicum concinentibus; vxorem etiam, jam seni, alienissimo tempore, vacavit ducere, & quidem ex privatâ obscurâque domo, ne meliùs se Regem, quàm ducem esse meminisset. Sic igitur jam à luxuria debellatus, ægre à popina genialium cœnarum extractus, à M. Acilio Glabrione, eodem illo anno, quo
A.V.C.563. Boii in Italia internecino bello à Scipione Nasica cæsi sunt, ad Thermopylas prælio fusus est, quo præter quingentos
equi-

equites,&novam nuptam,omnia amisit. Ergo in Asiam fugâ se recipiens, bellum quanto potuit,maximo studio reparavit; illic demum TOLISTO-BOII, cum reliquis duabus Gallicis Gentibus,sub Regis signa convenere; & vt videre liceat, planè in ipsos fata conspiraſſe, veniebat in Asiam ille ipse Annibalis terror. Scipio Africanus, qui se Lucio fratri Consuli legatum iturum promiserat, si illi provincia Asiæ decerneretur: vt eodem iterum duce, in altera etiam orbis parte, Annibal, cúmque eo BOII vincerentur. Antiochus Gallorum operâ primùm in obsidione Pergami vsus est, quod caput, & arx Eumenis Regni erat, qui Romanos eo bello adjuvabat. Gallorum quatuor millia erant, totius exercitus robur, & maxima in ijs Regi spes: qui cùm Pergamenum agrum latè depopularētur, coëgere ipsum Regem Eumenem, quanquam Attalus frater in vrbe jam erat, ei præsidio accurrere: sed neque ille præter leves excursiones quidquam tentavit, non ausus de summa rei decernere. Eo ex loco Antiochus de pace cum Romanis ineunda nequidquam egit; consilia om-

Liv.Dec.4.
Apian.Syriac.
A.V.C.564.

nia Eumene, cuius maximè periculo illa futura videbatur, discutiente; qua de causa Antiochus, Seleuco filio, & quatuor millibus, Pergami relictis, discessit. Suspicari licet, ea ipsa Gallorum quatuor millia esse, quæ Pergameno agro pervastando Rex adduxerat. Ad radices montis consederant, tanto terrore vrbi incusso, vt nullus indè, nè in stationes quidem telum mitteret: sed quò plus in vrbe timoris, eò minus in castris fuit; à rebus secundis incauti, nihil pro diligentia, quæ obsidentes deceret, agebant; militia in ludum degeneraverat, & nullâ re, nisi poculis certabatur, vino passim victos sternente, & sepeliente. Hanc disciplinæ militaris corruptelam ex mœnibus Vrbis speculatus Diaphanes est, qui nuper admodum ex Achaia equites non plus centum, pedites mille, tenue in speciem subsidium vrbi adduxerat: is & fiduciâ militaris scientiæ, quam ex ipso Philopœmene summo Græcorum Imperatore hauserat, & milite suo fretus, audax facinus fecit, quod qui mollissimè interpretatus est, temeritatem, plerique furorem appellavere: Portâ cum Achæis suis egressus,

DIAPHANIS GRÆCI DVCIS, IN GALLOS AVDACISSIMÆ ERVPTIONES.

ſus, hoſti non modò ſe oſtentavit, ſed prope ipſum, velut amicus, otiosè confidentérque conſedit; impleverant Pergameni vrbis mœnia, vt viderent, quonam horribilis illa confidentia eſſet ruptura; Seleucus ipsâ paucitate ſpretâ, miſerabilem audaciam non armis, ſed riſu cenſuit eſſe vindicandam: ad haſtam currere, aut omnino clypeum circumſpicere, nulli venit in mentem. at enim Diaphanes vnum hoc volebat, contemni; fruſtra futurus, ſi timeretur: ergo repentè ſignum dat, & admiſſo equo, cum ingenti clamore, ſuis immixtus Seleuci ſtationes invadit; & quia auſus eſt, quod auſurum nemo putavit, hoſti mẽtem, conſiliúmque eripuit, vt quanquam armis, viríſque abundaret, eorum omnium vſu ſolâ illum celeri audaciâ Diaphanes ſpoliârit. Nihil reliƈtum erat præter fugam, neque ipſam quidem ſecuram; cùm etjam qui equitem evaſiſſet, in peditem incideret, vtrinque periturus. Diaphanes quà licuit hoſtem perſecutus, ſuos recepit, & ingentem gloriam in vrbem retulit, cùm teſtem virtutis ſuæ totum Pergamum habuiſſet. Sed cùm videri poſſet

hostem dolo vicisse, altero die, eodem loco cum suis iterum comparuit; sed timebatur jam, neque hostis imprudentiâ abuti poterat, qui heri sapere didicisset; sed hactenus tantùm, vt hesternum errorem corrigeret, militémque continuum diem in armis haberet, quasi Diaphanes vnâ tantùm victoriam arte quæreret, & heri totum ingenium exhausisset. Sed cùm ille nihil moveret, & jam serus vesper esset, Seleucus in castra redijt, velut eius diei periculo perfunctus. Quievit etjam tum Diaphanes, quamdiu hostis videndi copia fuit: vbi extra conspectum fuit, incitato rursùs equo, sublatóque clamore, momento citiùs in postremi agminis tergo hæsit. Pavor iterum virtute, & verecundiâ potior fuit; nemo pedem fixit, nulli pugnare lubitum fuit; ritu pecorum in castra agebantur. Exin Diaphanis virtus apud amicos, & hostes miraculo esse, & parvula illa manus humanis majora viribus ausa, in ore omnium versari. Seleucus noluit tertium erubescere, sed conclamatis vasis, Pergamo discessit. Neque feliciùs circa Phrygium amnem à Galatis res gestæ; ad cuius

vlteriorem ripam castra regia erant, cùm Consul in citeriore consedisset; videbantur flumine non tantùm iræ, & prælia dirempta, sed ipsi etiam virtuti limes esse positus; & quidem in exercitu Romano nemo fuit, qui tentare aquas, & hostem vellet. E regijs copijs mille admodum equites, (& plerique omnes ex tribus, quos sæpè nominavi, Gallogræcis populis erant) sive ad ostentationem virtutis, sive reparandi nuper amissi decoris causâ, trajecto flumine in Romanorum stationes irrūpunt. & sanè dum ij ex subito pavore se colligunt, precium operæ fuit; verùm vbi laborantibus suis alij, atq; alij auxilio venere, vt Galatæ numero etiam vincerentur, fessis cedendum fuit; sed terribiliorem fluvij transitum jam trepidatio, & instans à tergo hostis faciebat, & fœda inter ipsosmet colluctatio, & quę ipsa etiam moræ causa fuit, nimia festinatio; ergo ab vltimis aliquid cladis acceptum; reliquis quantumvis infelix audacia gloriæ fuit. Non multis deinde interjectis diebus, de summa rei, omnibus copijs decertatum est. Trecenta millia peditum; equitum, falcatorúmque cur-

ALTERA GALLORVM AD PHRYGIVM AMNEM PVGNA.

Liv.l.37.

ruum non minorem numerum habuisse Antiochum, Florus auctor est. Temperatior Appianus septuaginta millia duntaxat recenset. quémque TOLISTOBOII, Trocmi, Tectosages (nam disertè omnes nominat) in acie locum obtinuerint, designat, à quo Livius nonnihil diversus abit: ex quo vtroque numerum si colligas, supra peditum equitúmque Gallogræcorum sex millia, & quingentos non reperies. Aderant elephanti quatuor & quinquaginta, Indi omnes, Afris, quales Romani habebant, longè anteferendi: auro, purpurâ, argento, & suo ebore fulgebant, mole ipsa corporis ingentes, & turrito insuper tergo, quo castellorum fecerant speciem, præter rectorem, quatuor singuli armatos ferebant. Supra equitatum numerosissimum, camelis etjam vsus est, qui dromades vocantur, quibus Arabes Sagittarij insidebant, gladijs tenuibus armati, qui quatuor cubitûm longitudinem æquarent, vt ex ea altitudine ferrum ad hostē pervenire posset. Sed hunc tantum apparatum ipsa primùm magnitudo invtilem fecit; stultitia deinde Regis, qui Phalangem, robur

exer-

Flor. l. 2. c. 8.

PVGNA ANTIOCHI CVM ROMANIS.

exercitus,in eas compegerat angustias,vt eius virtus ipsa loci iniquitate opprimeretur:denique cælum etiam velut Romanorum favori emancipatum, nebulâ priùs exercitum texit,vt in regia acie,neque ex vmbilico quidem,numerare quisquam cornua posset; nubes deinde soluta in imbrem, arcus, & fundas, & jaculorum amenta corrupit, id est, sua Regi arma eripuit, & propè inermem exercitum Romanis objecit: is tandem finis pugnæ fuit, vt peditum ad quinquaginta millia, equitum quatuor cæsa ferantur: cùm Romani pedites non plures trecentis desideraverint, equites quatuor & viginti, & de Eumenis socij Regis exercitu quinque & viginti. Hoc tantillo dispendio ingens victoria parta, & belli merces Asia: victóque Regi nomen etiam ereptum, cùm militari joco jactaretur, Antiochum verè Magnum fuisse.

PORRÒ in communi Gentium plurimarum causa, quæ toto excitæ Oriente Antiochum bello illo adjuverant, iniquior Gallorum fortuna fuit; non tam ob acceptam cladem, quæ facilè elugeri poterat, apud illam Gentem, quæ nemi- II.

nem bello mortuum flendum putavit, quàm ob iniquum Cn. Manlij Volſonis Coſ., qui Scipioni ſucceſſerat, in Galatas omnes animũ. Hic homo cùm in Aſiam veniſſet, pacatiora omnia reperit, quàm vellet, & doluit ſibi hoſtem deeſſe: Ergo ijſdem artibus cœpit bellum quærere, quibus alij pacem conciliant. Exercitum per omnes angulos, & receſſus provinciarum circumduxit, tributa iniqua paſſim imperans, vt vel poſtulatorum indignitas tandem ad ſtringendum ferrum aliquos impelleret; nemo tamen fuit, qui Conſuli quidquam negaret, quanquam id ille mallet. Tandem, cùm turbarũ concitare nihil poſſet, impegit in Gallogræcos; cauſa obtenta cupiditati eſt, quòd Antiochum bello juviſſent, & quidem quòd in vtroque cornu ſtetiſſent, quòd robur totius exercitus habiti fuiſſent: quaſi poſt pacem cum Antiocho factam, id illis poſſet eſſe fraudi, ſi Conſul jure non ſuo, ſed Romano vti voluiſſet: Vnde cùm ſciret, ſe cauſam Senatui non probaturum, illo inconſulto bellum ſuſcepit & geſſit, quod tamen hoc nomine L. Furius Purpureo, & L. Æmilius indignum

ANTE C.N. CLXXXVI. A. V. C. 564. Livius l. 38.

NOVVM GALATIS BELLVM CONFLATVM.

gnum

gnum esse censuere; qui id priuatum Manlij latrocinium palàm non dubitarunt appellare. Vbi ergo decretum Consuli fuit in Gallos ducere, Attalum Eumenis Regis fratrem in auxilium, societatémque belli evocavit, qui vnà cum Athenæo fratre tertio, quantas potuit, copias adduxit, tantò promptiùs, quòd nullius magis, quàm sua, fratrúmque interesset, Gallos debellari; nemo enim vicinum nimis potentem amat, & fortem; & quidquid timemus, volumus à nobis quàm longissimè abesse. Præerat tum cum summa potestate Ortiagon TOLISTO-BOIIS, maioris etiam fortunæ capax, & jam in omnes Galatas imperium animo complexus, ad quod optimis artibus, prę sertim regiâ, & militari fortitudine sibi viam muniebat. Combolomarus & Gaulotus, Trocmis, & Tectosagis jura dabant. Consul cum exercitu primùm omnium in TOLISTO-BOIORVM fines venit; vbi vt metum hostis, quem tota timuisset Asia, suis militibus eximeret, longâ & meditatâ oratione illorum animos accendit, id maximè inculcans; neque viros illos, neque Gallos ampliùs esse;

ORTIAGON TOLISTO-BOIORVM REX.

Suidas v. Ortiag.

fe;

ſe; virtutem patriam jam olim cum nomine perdidiſſe; Gallogræcos vocari, & eſſe, eo ferè modo, quo Androgyni quidam naſcuntur iniuriâ naturæ, vtriuſque ſexus vitia in vno corpore commiſcentis. Hoc nimirum Aſiæ ingenium eſſe; quos viros acceperit, ſemiviros facere; plerunque enim homines patriæ ſuæ reſpondere, & ſub tam blãdo cælo corpora & animos emolliri; at virtutem nunquam delicatè habitare, & ferè inter voluptates mori. Proinde properandum ipſis eſſe, ne Romanus ſpiritus in tam voluptario loco extinguatur; vincendúmq; antequam ipſi delicijs vincantur: dubiam victoriam fore, ſi Romanos Aſia ſimiles Gallis fecisſet. Deinde cùm ſciret, Epoſſognatum, vnum ex Gallorum Regulis neq; Antiochum juviſſe, neque ab Eumenis Regis amicitia receſſiſſe, ad illum legatos miſit; atque is haud gravatè civium ſuorum charitate motus, vnà cum Compulſo altero Regulo, recepit in ſe, ad tentandos reliquorum animos ſe profecturum, ſi fortè in poteſtatem populi Romani, ſine armis, venirent. Interim Conſul cùm Sangarium amnem ponte junxiſſet, eóq;

copias

copias traduxisset, à Pessinunte vrbe TOLISTO-BOIORVM Gallos Deæ Cybeles Sacerdotes obvios habuit, inter sistra & tympana inconditum carmen exululantes, quo, Magnæ Deûm Matris nomine, Romano victoriam pollicebantur. Deinde ad oppidum Gordium stativa habenti, legati ab Epossognato missi, retulere, cum à Gallorum Regulis re infectâ discessisse; bellum eos, quàm talem pacem malle; quod vt quàm tutissimo loco gerere possint, ex planitie, cum opulentia domestica, & totis familiarum gregibus in montem Olympum demigrare. Eum, vti postea cognitum est, TOLISTO-BOII cepere; Trocmi cõmendatis coniugibus, liberísque Tectosagorum fidei, armati ipsi signa TOLISTO-BOIORVM sequebantur. Bellum sperabant se, quàm mollissimè, sedentes confecturos; altissimum montem, qui cęlum sustinere creditus sit, & à quo cælum ipsum nomen acceperit, nec Gigantes expugnaturos; neque enim Romanum pennas habere; adsidentem castris suis, fame, frigore, & desperatione tandem vincendum: quod si etiam pugnandum sit, montem ipsum

TOLISTO-BOII IN OLYMPO MONTE CVM ROMANIS PVGNANT.

ipſum ſibi arma adminiſtraturum, ita totum exercitum ſe Olympo ſepulturos. Vltimum hoc conſilium TOLISTO-BOIOS fœdè decepit, dum monte ſolo ſe non tantùm tutos, ſed etiam armatos credunt. Conſul contra, quia ſibi pugnandum eminus prævideraт, tota miſſilium telorum, omnis generis, armaria congeſſit; ad ſpeculandam deinde loci, caſtrorúmque formam progreſſus, ab erumpentibus Gallis in fugam conjectus eſt, nonnullâ etiam clade acceptâ. Tandem explorato per otium monte, & æquis, iniquíſque omnibus prævіſis, triplici agmine, in hoſtem pergit. ipſe, quà planiſſima patebat via, montem aſcendit. Quatuor armatorum millia Galli objecerant, qui in ſubeuntes ſaxa ſpargerent; ſed brevi apparuit bruta illa eſſe fulmina, quæ vix ſcuta vulnerarent, neque hærerent in corpore: cùm illi interim ferro confixi caderent, tandémque ſuus eos imber deficeret. Stulto apud Gallos more receptum fuit, corpora in pugna nudare, quæ candidiſſima cùm eſſent, mox perdidere colorem, ſuo ſanguine imbuta; quanquam cùm ille è palmari plaga pro-

TOLISTO-BOII NVDI PRÆLIANTVR.

profluerent, minùs movebãtur; ſed minuta tela, altéque admiſſa, & glandium toto corpore receptarum lethales morſus impatientiſſimè ferebant, cùm mori ſe ſentirent, vix perſtrictâ cute, & forti animæ tantillo vulnere factam viam indignarentur. multi igitur, vt honeſtiùs mori poſſent, vltrò in hoſtes ruebant, nobiliorem plagam accepturi, & dignam viris. Pauculi, qui ſupererant, in caſtra ſe recepere, quę jam deſperatio impleverat; cùm imbellis puerorum, mulierúmque turba lacrymando, querendóque, viros etiam fatigaſſet, & veteribus conſilijs omnibus damnatis, nova capere, nec res, nec tempus ſineret. Igitur etiam caſtra haud difficulter expugnata; cùm indè ſaxa Galli necquicquam effunderent, & in vicem ferrum reciperent. Proinde vbi omnia ita iniquè comparata vidêre, quà data porta, effuſi ad fugam, ægre etiam illic ſalutem repererunt. Inſtabat à tergo hoſtis, & ſiquis illum maximè vitaſſet, præruptus vndique mons, & minimè aptus ad curſum, miſeros fœdiùs, quàm hoſtis accepit; malebant tamen, quocunque fato, quàm ad arbitriũ Romani ferri VINCVNTVR.

occum-

occumbere. Manlius jam ſine controverſia victor, quoad licuit, TOLISTO-BOIOS inſecutus; arma deinde conquiſita, & in vnum collata cumulum combuſſit. De numero cæſorum, inter Auctores non convenit; cùm Claudius, qui bis pugnatum ſcripſit, quadraginta hominum millia occiſa faciat. Antias autem prodigus alioqui in numerando, decē millia, non amplius. Manlius ipſe, oratione, quam pro triumpho, & ad extinguendam invidiam, qua conflagrabat, habuit, omnibus Gallorum copijs collectis, cum centum millibus ſe pugnaſſe, quadraginta millia hominum cepiſſe, aut occidiſſe dixit. Ortiagontem Regem evaſiſſe, certum eſt; cuius vxor Chiomara facinus edidit immortali memoriâ dignum, & ipsâ Romanorum victoriâ illuſtrius. Capta eo bello in hoſtium venerat poteſtatem, pulchritudine formæ, neque illa quidem ſorte corruptæ, inſignis; eius ſervandæ cura Centurioni demandata eſt, ne quis captivo corpori illuderet; ſed nobile depoſitum vbivis, quàm apud cuſtodem tutius futurum erat: Captus captivæ formâ impurus Centurio, expugnare illius pudo-

Liv. l. 38. Plut. de Clar. Mul. Flor. l. 2. Val. Max. l. 6.

CHIOMARÆ TOLISTO-BOIORVM REGINÆ FACINVS MEMORABILE.

pudorem aggressus est armatis precibus; verùm captiva milite fortior fuit, probavítq; servitutem in animum non descendisse, & bonam mentem non potuisse mancupio dari. Ille invictam blanditijs, vi oppressit, & ex reluctante pestiferum sibi abstulit gaudium: accensum deinde fœdâ injuriâ mulieris animum delinire aggressus, ei spem ad suos redeundi fecit; sed quia in prædone illo libido cum avaritia certabat, etiam aurum ab ea auferre voluit, cui pudorem extorserat: neque hîc obluctata est pudicissima fœmina, vel regnum datura, si eo non tantùm sui, sed & probri redimendi facultas fuisset. Pacta est igitur talẽtum Atticum; locum 600. Coron. constituerat Centurio, in quo aurum penderetur, flumini vicinum; eò ex necessarijs captivæ, duo, ne plus, venirent. Rem, vti convenerat, servus familiaris Chiomarę, domum nunciare jussus; mora in precio nulla fuit, duo ab Ortiagonte missi aurum repræsentarunt; in quod dum ille maximè inhiat, simúlque vltimum ab ore abeuntis rapit osculum, patriâ linguâ suis Chiomara imperat, stringerent ferrum, & odiosum amatorem in-

terficerent. Occisi caput veste involvit, & velut opimum spoliũ Pudicitiæ triumphantis, ad mariti pedes abjecit. Illi factum miranti, vt de perfidia suspectum, exclamantíq;, O mea coniux, Fides optimum humani pectoris bonum, & fidelis dextra forti melior est. At illud longè optimũ, subjecit vxor, Fidei quam tibi dedi, alienâ injuriâ violatæ, has me vindicias dedisse, téque vnum in terris viuere, cui Chiomara sui copiam fecerit; occupaui munus tuum, adulterum interfeci, & ad te tota tua redeo, & quidem vindicata. Sic verè magna Herois pudicitiâ supra fœminas, fortitudine supra viros se extulit, fecitque ne suam Romæ Lucretiam Boii invideant; nostra ferro pulchriùs vsa est, quo & innocentem se absolvit, & de noxio capite pœnas exegit. Magna illi ęvo suo, ex eo facto, gloria; & Polybius se cum illa Sardibus collocutum, pręclara omnia, & huic respondētia exemplo in ea comperisse, scripsit. Sed & nunc celebrabitur; nam, ne tāti exempli memoria intercideret, Græcæ, & Latinæ literæ allaborârunt. Viris quoque ex TOLISTO-BOIORVM Gente, illo bello captis,

Apud Plut. tom.2. in libello de Virtutib. Mulierum.

Flor. l.2.c.11.

ptis, ingens, inter ipsa vincula, parta gloria; & repererunt etiam in carcere virtuti locum; (demus illorum facto pulchrũ hoc nomen, ex illius seculi æstimatione) Ij cùm vincti traherentur, ad votum victoris vel morituri, vel servituri, neutrum dignum rati viris; primùm quidem ne ad alienum arbitrium viverent, ipsa servitutis vincula rumpere aggressi, etjam ore, & morsibus catenas tentarunt; pòst, vbi illud vanum fuit, saltem ne quisquam illis legem moriendi dictaret, néve vltimum hoc jus viderentur perdidisse, occupare, quàm expectare mortem maluerunt, & elidendas sibi mutuò fauces præbuerũt, vt hostibus monstrarent, fortem virum non posse invitum inter injurias detineri: id Romanis miraculo fuit, qui veræ ignoratione virtutis, tam generosum animum suis captivis invidebant. Reliquiæ porrò TOLISTO-BOIORVM, sociarúmque Gentium, quæ gladium, aut vincula Romana, magno adhuc numero, evasere, Legatos de pace ad Manlium Consulem miserunt; quæ petentibus, præsente Eumene, non iniqua, aut dura concessa; frenum ijs solùm iniectum: pa-

TOLISTO-BOIORVM BELLO CAPTORVM VIRILIS ANIMVS.

TOLISTO-BOII PACEM CVM ROMANIS SANCIVNT.

cis tandem artibus assuescerent, & ferrum toti Asiæ formidabile conderent, suóque contenti, ab alieno manum abstinerent. Magna porrò huius de TOLISTO-BOIIS, sociísque reportatæ victoriç fama fuit; non apud vicinas modò Gentes, quæ Galatas non aliter, quàm perpetuam tempestatem metuebant, adeóque lætabantur, aliquando detonuisse; sed, quod ex sacra Historia cognoscimus, maximus Judaicæ Gentis Heros Judas Machabæus, æstimatâ, ex hac potissimùm victoriâ, Rom. Populi fortitudine, & felicitate, Legatos Romam misit, fœderis sanciendi causâ, cuius conditiones æreis descriptas tabulis Romani in Judæam transmisere.

1. Mach. 8.

Manlius cùm tot rebus gestis Romam redijsset, tertio demum, à Consulatu suo, anno, triumphavit, cùm ægre ex pluribus sese altercationibus extricasset. Tulit in triumpho coronas aureas ducentas, duodecim pondo, argenti pondo CCXX millia, auri pondo MMCIII, tetradrachmûm Atticûm CXXVII millia, Cistophorûm CCL. Philippeorum aureorum sedecim millia CCCXX. arma, spoliáque multa car-

carpentis trãſvecta. Duces hoſtium duo, & quinquaginta ante currum ducti. Militibus quadragenos binos denarios diviſit; duplex Centurioni. Stipendium in pedites duplex dedit, triplex in equites. Militaria dona plurima eo triumpho viſa; celebratúſq; Manlius eſt carminibus militum, ad invidiam vſque, quorum ipſe favorem leni imperio, & indulgentiâ maximè ſibi conciliârat.

Porrò TOLISTO-BOIORVM, ſociorúmque arma, proximo iterum bello, quod Populus Rom. cum Perſeo vltimo Macedonum Rege geſſit, inclaruere, feliciùs reſumpta, & Fortunæ eiuſdem Populi Romani immixta, in cuius tum exercitu numerabantur, non ampliùs hoſtes, ſed ſocij; nam cum Eumene nuper in gratiam reducti, datam fidem omni conſtantiâ officiorum coluerunt, eíque contra Perſeum Romanis auxilio eunti ſeſe adjunxerunt. Caſſignatus Gallos ducebat; de quorum robore cùm magna eſſet opinio, primi omnium ipſi, ad tentãdam belli aleam, in regios ſunt immiſſi. Duas equitum alas Caſſignatus eduxit; additi ex alijs Gentibus, levis armaturæ, III. Liv. l. 42. ANTE C. N. CLXIX. A. V. C. 583. RES TOLISTO-BOIORVM IN BELLO MACEDONICO PRO ROMANIS CONTRA PERSEVM.

centum ferè, & quinquaginta. His ex suo exercitu Perseus opposuit quantũ necesse videbatur; & mox vtrinque cõcursum est; victoriam ad se certam neutra pars traxit. Cassignatus tamen cum triginta alijs occisus est. Post aliquot dies, totis copijs pugnatum; vbi Eumenis maximè opera, eorúmque, quos adduxerat, factum est, ne Romana res eo die ingentem cladem acciperet; sine his enim fuisset, victor equestri prælio Perseus, peditem etiã facilè videbatur aversurus. Sed
Liv.l.44. neque his initijs, neque reliquæ consuetudini Eumenes respondit, Perseo manifestè addictior, vultu Fortunæ deceptus, quæ Perseo, initio belli, bonâ fide, favere videbatur: non igitur tantùm medius
A.V.C.585. animo fuit, sed à Q. Martio Philippo, si qua Valerio Antiati fides est, eius ingratijs discessit, cúmque id saltem Consul instaret, Gallos equites, quos adduxerat, apud se relinqueret, neque hoc à se passus est impetrari: vnde legati Romam missi negarunt, quidquam certæ spei in Eumene esse, classémque eius venisse, & abijsse, tanquam iter illud animi causa, aut ad ventorum ludibrium fecisset. Jámque

que parùm à proditore aberat, legationibus Persei solicitatus, nisi avaritia, vitium minimè omnium regium, quæ vtriusque animos occupaverat, infamia illa consilia disturbasset; nam & Perseus omnia perdere maluit, quàm aliquantillum donare cum lucro, & Eumenes à proditione abhorrebat, quâ & fidem amitteret, & rem non augeret. Sic sordidorum Regum nundinatio irrita fuit. Eumenes, vt novo officio infamiæ occurreret, triginta quinque naves, quas Hippagogos vocãt, cum equitibus Gallis Eleâ dimittit, in Macedoniam, Attalo fratri supplementum: sed eodem mari classis Persei vagabatur; in quam Eumeniani imprudentes inciderunt, suâ securitate decepti; cùm nihil quidquam hostile eo loci suspicarentur. Illico desperatum est, quòd & naves ad vim propulsandam, inferendámque, ineptæ erant, & Galli ex insueta agitatione nauseantes, cum ipso mari luctabantur: Ergo quæ cuique proxima littora erant, ea effuso cursu, citatis remis, petita; alij Erithream, alij Chium sibi destinabant; & hi quidem tam turbidè omnia fecerunt, vt cùm in littore essent,

etiam salutem suam putarent esse in vado; neque equos quidem è navibus extraxere, quasi & illi fugientibus impedimento essent: Interim & lembi hostiles propiùs vrbem appulsi, & milites, exscensione factâ, Gallos partim in via assecuti, partim ante portas Chienses, oppressêre; ab illis enim admissi non sunt, quòd metuerent, ne cum fugitivis, & miseris, etjam miseriam in vrbem reciperent. ita octingenti ferè Gallorum cæsi, ducenti capti; equi vel mari hausti cum collisis navibus, vel succisis nervis debilitati. viginti duntaxat eximiæ formæ, cum captivis, Thessalonicam missi. Interim Rege

Liv. l. 45. Perseo virtute Pauli Æmilij Cos. victo, suo, fratrísque Eumenis nomine, Attalus Romam venit, qui præter gratulationem victoriæ, etiam illud Senatui exposuit, Gallos nuper cum ingenti motu defecisse; petiitque, vt legati mitterentur, quorum auctoritate ab armis abstraherentur.

GALLORVM CONTRA EVMENEM BELLVM.

Quæ causę Gallos impulerint, vt repentè rebellarent, proditum non est; conjecturâ eò ducor, vti credam, cladibus, quas bello Macedonico, sub auspicijs Eumenis acceperāt, irritatos, satis non habuisse for-

fortunam belli accuſare, niſi de Rege inſuper ſe vindicaſſent, cuius conſilijs, quæ ferè ab eventu æſtimantur, in eam calamitatem eſſent præcipitati. Vtcunque ſe res habeat, Senatus extemplo cum Attalo legatos in Aſiam miſit, qui bellum inter Regem & Gallos finirent. Jam induciæ factæ erant, & in hyberna vtraque pars conceſſerat, cùm legati advenere: ex ijs P. Licinius Ducem Gallorum Solvettium Synnadis convenit, in ipſis caſtris; apud quem etſi nihil admodum pro maieſtate Populi Romani rigidè aut ferociter ageret, ſed deprecatori vbique propior, nuſquam accuſatoriâ voce vteretur, tamen ad tam bona, & mollia verba ſurdæ erant Galli Ducis iræ; videbatur ab ipſis precibus intumeſcere, & ex verecundia legati callum ducere. Miraculo fuit Licinio, à maximis Regibus nuper legatos, ſolâ Rom. Pop. auctoritate interpoſitâ, omnia impetraſſe; ſe, cùm inſuetis etiam Romano Populo formulis vtatur, & ab imperio ad preces ſe demittat, nihil tamen æqui ab homine Gallo poſſe extundere. Obverſabatur animo Popilij ad Regem Antiochũ legatio, cui adeò dex-

Cic.8.Philipp. Vell. Pat.l.1. Iust.l.34. tram Romanus porrigere antè noluit, quàm Senatus consulto annuisset: cúmque cunctabundus, se cum amicis collocuturum, Rex respondisset, legatus illum virgulâ circumscripsit, & priùs responsum reddere coëgit, quàm ex illa circũscriptione egrederetur; quâ constantiâ disiecta Regis cunctatio est, futurúmque se in Senatus potestate respondit; & tum demum Popilius porrectâ dextrâ, amicum Regem salutavit. Hanc igitur legationem Licinio cum sua comparanti, ægre erat, Romanum nomen Regibus formidatum adeò apud Gallos eviluisse. Et sanè arma posita non sunt; quanquam omnis illius belli historia, quod Eumeni tristissimum fuisse constat, intercidit.

ANTE C.N. CLXVI. A. V. C. 586. Liv.l.45. Polyb. Legat. 97. Proximo anno etiam Prusias Bithyniæ Rex, cum filio Nicomede, Romam venit, sordium affectatione, & corporis habitu, reo, quàm Regi propior; nam pileatus, & raso capite, veluti nuper in libertatem assertus, Populi Rom. libertum se, projectissimâ adulatione, professus est; osculis etiam limen curiæ terebat, & Senatores Servatores suos Deos appellans, inter cætera à Senatu, deformi, & servili ora-

oratione petijt, vt ager de Antiocho captus, quem Galli sibi nullo iure vindicarint, sibi attribueretur. Responsum est, legatos in Asiam ituros; si ager ille Populi Romani fuisset, idémque nec Gallis, nec vlli alteri datus esset, se Prusiæ rationem inter primos habituros; quod si illum Galli voluntate suâ accepissent, id donum ratum, etiam volente Rege, beneficiúmqe Pop. Romani æternum esse debere, quem sine causa nunquam pœniteat suæ liberalitatis; neque quidquam ampliùs de hac re constat. Eodem tempore Eumenes Romam adventare dicebatur, fervente etiamnum Gallico bello; quo cùm Eumenes graviter affligeretur, Romani illius calamitatibus occultè pascebantur; nam pridem in illum alieniore animo esse cœperant, quòd bello Macedónico Romanam amicitiam languidioribus officijs coluisse argueretur. quæ res tam altè in Romanorum animos descenderat, vt incertum maleficium tot certa beneficia penitus obliteraret; quēadmodum ferè iniuriarum immortalis, mortalis obsequiorum est memoria, faciléque perpluunt benefacta, nisi identidem

ROMANORVM ERGA TOLISTOBOIOS, SOCIOSQVE BENEVOLENTIA.

dem alijs pertegantur. Igitur cùm in Regem & ingrati videri, & grati esse nollent, pudori suo Senatus consultum prætexunt, quod in hanc sententiam factum erat; Non placere Senatui, Reges Romam venire; cúmque accepissent, Eumenem Brundusium jam accessisse, quæstorem ad eum misêre, qui Senatus nomine quæreret, quid illi in Italiam accessio esset; nam nisi gravis causa vrgeat, posse illum eo itinere supersedere. Eumenes, cùm ex hac denuntiatione conjecturam de Senatus in se animo fecisset, nullâ se re indigere professus, in Regnum suum reversus est. Id Gallis longè commodissimum fuit; nam desertum, proditúmque à Romanis Regem, suâq; tantùm fortunâ nixũ labefactare haud paulo minoris operæ fuit: quanquam, quo bellum totum successu gestum, vel exitu finitum sit, tacẽte Historiâ, cogimur nescire. Ex Polybianis tamen fragmentis haud ægre colligere est, Romanos constanter Gallorum causæ favisse, eorúmque libertati, contra Eumenis molitiones, consultum ivisse. Nam cùm suos etjam Galli legatos Romam misissẽt, id illis

Fragm. Legat. 102.

à vo-

à volente Senatu conceſſum eſt, vt legibus, moribúſque patrijs vterentur, dummodò ſuis ſe finibus tenerent, neque alienæ libertati, aut opibus, armatâ manu inſidiarentur. Aliàs etiam cùm Pruſias Bithyniæ Rex, & fœderatæ Vrbes, per legatos Romæ conqueſti eſſent, Eumenem à Galatia non abſtinere, aliáque plura illi vitio darent; reliqua oſcitanter audita; id tantùm, quod propriè ad Gallos pertinebat, Patres viſi ſunt in animum demittere; cùm liberi, & fortis Populi ſalva jura, & à Regũ injurijs tuta eſſe vellent. Ad Ariarathem etiam Cappadociæ regem cum Gallis contendentem Cn. Octavius, & Sp. Lucretius Legati Romà miſſi, qui cauſam cognoſcerent; ſed ea quænã fuerit, in Polybio intercidit; quam ſpero aliunde me repoſiturum. Erat enim ſanè, cur Galli Ariarathẽ odiſſent. Pravè imperabat, & ſtultè etiam; parúmque illi erat, ſolum Cappadociæ Regnum perdere, & ſuis tantùm nocuiſſe. Magnum imperium idem credebat, quòd magnam licẽtiam; & facere quidquid collibuiſſet, id demum arbitrabatur eſſe, vivere regiè. Eius impotentiæ ſpecimen vnum

Frag. 104.

Frag. 108.

Strabo.l.12.

CAVSÆ ODIORVM IN ARIARATHEM.

vnum Strabo adnotavit, quod existimo contentionibus inter Regem & Gallos ansam dedisse. Melas est fluvius quadraginta stadijs ab vrbe Mazacena distans; huius fauces, per quas in Euphratē se exonerat, Rex obstruxit, nullâ ad id necessitate adductus, sed communi luxuriantium morbo, qui gaudent perversis, & cum natura litigant; campos sibi designaverat, per quos navigare gestiebat; in hos ergo flumen induxit, vt restagnantibus aquis probaret, se etiam mare facere posse: assurgebant hinc indè exigui colles, qui aquis cincti insularum speciem præbebant; his ille velut novarum Cycladum dominus gaudebat; & reliquæ Cappadociæ fastidiens in suo se mari oblectabat, omnibus illuc curis demersis: cùm repentè Melas regiæ libidinis, & velut suæ servitutis impatiens, in pristinam se libertatem asseruit; ruptis enim molibus, aggeribúsque, quibus constringebatur, disiectis, noto itinere, cum ingenti aquarum impetu Euphratem repetijt; sed omnibus jam ripis altior & planè exlex, stultitiā Ariarathis gravissimè vltus est, magnámque Cappadociæ partem, & implicitos

citos mænibus suis populos traxit pro Rege suo plexos; nec vnius regni ruinâ, aut naufragio contentus, etiam Galatarum agro superfusus, ingentibus in illum damnis grassatus est impunè; quid enim aquis, cùm furere incipiunt, compescendis relictum est? Galatæ cùm spem non vnius tantùm anni interversam sibi dolerent; in calamitatis suæ auctorem irâ accensi, sine dubio armis injuriam vlti essent, nisi Romani, ad quos æstimatio delata est, ad sarcienda Galatis damna Regem impulissent, CCC talentis imperatis; tanti illi mare & stultitia constitit. Sed nimirum nos has fugientis veteris historiæ vltimas vmbras persequimur, idémq; facimus, quod illi, qui ex sparsim exstantibus incendiorum reliquijs, magnitudinem vrbium suo cinere sepultarum colligunt; nam quantillum de ingentibus bellis superest, ad quorum arbitriũ, compositionémque advocata Roma est, nulli vnquam exili negotio magnas cogitationes impensura? quanquam, vt in trophæo paucæ exuviæ hostiles, & perfossus thorax, & de lacera casside pendens buccula, trunco affixa stipiti, cum epigrammate

mate trium verborum, illustris victoriæ monimenta sunt, ita ex his quantumvis disiectis antiquitatis ruderibus, splendor nominis, & gloria TOLISTO-BOIORUM sociorúmque, velut per rimas tralucet. Nam & Romanos desciscere ab ingenio suo, & superciliosis edictionibus assuetos, apud Gallos nudis precibus vti; & his etiam repudiatis, nihil tamen irasci; partésque Gallorum favore suo juvare, per legatos illorum libertati consultum ire, & hæc talia, quæ ex fragmentis eruimus, & belli à Gallis suscepti causam approbant, & de victoria spondent, etiam tacentibus libris. Nam neque injustis favere Rom. Populus potuit, neque infelices esse potuere, quibus favere voluit; quin & illud ex his veteris historiæ tabulis, quæ fractæ mutiláque ex tristi naufragio enatarunt, & quocunque fato suo in alienis libris, velut hospitali littore hæserunt, æstimare possumus, longè plurium factorum illustriũ memoriam fluctibus esse haustam, quàm quæ emersere: quò me religiosiùs facere puto, dum illis etiam manus porrigo, quæ certis annorum, suæq; ætatis indicijs argumentísque perdi-

perditis, propè pro desperatis & derelictis habentur: quale illud est, quod ex Philarcho Plinius exscripsit, Antiochum à Galatis prælio victum occisúmq; fuisse; in qua pugna mirabile illud accidit, vt Centaretus, alij Citaretũ, Ælianus Centoaratem vocat, qui suâ manu Regem interfecerat, quò factum suum ostentare gloriosiùs posset, in Antiochi equum insiliret; sed ille veluti sentiret, quem veheret, vel indignatus ignobiliorem Rege sessorem, vel vlturus necem Domini, spretis lupatis, & omnis impatiens imperij, præceps in abrupta abijt, & Gallum tergo suo pertinaciter hærentẽ, vnâ secum ruinâ involvit, exanimavítque; fidei, cuius laudem bellua non capit, homini, cuius id proprium, sed rarum bonum est, magister factus.

Plin.l.8.c.42.

Ae.l.6.de Animal.c.44.

CENTARETVS AB ANTIOCHI REGIS EQVO INTERFECTVS.

ADDAM illustrius, & salubrioris exempli, &, ne imitari pudeat, ab homine petitum: ætatem adscribere non possum; tale tamen est, quod omne ævum provocet, & illis etiam annalibus insultet, qui fabulis crevere. Id est eiusmodi. Ariamnes Galata bonis artibus ad ingentes divitias pervenerat, &, quod rarissimum

Athen.l.4. c.12. Ex Philarchi lib.3.

INAVDITA ARIAMNIS GALATÆ HOSPITALITAS.

est, non amiserat inter illas bonam mentem; totus in id intentus, quomodo illis quàm honestissimè frueretur; vt non modò domestico divitum malo, avaritiâ non laboraret, sed ne invidiâ quidem. Insuper anxias illas curas oderat, quæ etjam bene partas opes comitantur; quibus ita caveri nunquam potest, vt nequeant perdi; nam vel vivos deserunt, vel certè à morientibus deseruntur; quorum vtrumque vix sine suspirio fit. ne igitur illas vel Fortunæ, vel fatorum arbitrio amitteret, emittere maluit suo. Galatiam totam hæredem scripsit, sed novo more; noluit enim per vitam avarus, & demum à morte liberalis vocari, quando tam pulchrum nomen jam neque audire posset. Literas igitur, nunciósque per totam provinciam dimisit, quibus in sequentem annum quotidianas epulas promittebat, invitabátq; omnino omnes, quicunque suo beneficio vti vellent: ipse interim opportunis totâ Galatiâ locis, cænacula & diętas complures struxit, quę singulæ quadringentos, ne minùs, plures etiam admitterent convivas; juxtim lebetas ingentes collocavit, vinúmque capa-

capacissimis dolijs cõvexit; polentæ præterea subactæ magnam vim, reliquúmq; commeatum alendæ in annum Galatiæ parē: visum id est non hominis; sed propitiæ Fortunæ munus, & longè supra decantatam Solis mensam in Ægypti sabulo: Provinciam totam velut vnam domum, & suam, fecerat Ariamnes, ingentísq; pater familiæ multa hominum millia maximus modimperator pascebat: sed ipsemet suæ liberalitatis spectaculo haud paulò jucundiùs ipsis convivis pascebatur. Structores, carptoresque, & pincernæ; ad quotidianas lautitias, hospites de nullà symbola solicitos cogebant: neque viatorum forte fortunâ prætereuntium quisquam impransus, aut incœnatus dimittebatur; cùm ipsam adeò Galatiam munificentię suæ crederet esse angustam. Adorabatur ergo Ariamnes velut ipse Iupiter Hospitalis, próque illius salute tota patria excubabat sincerissimis votis; tandem hominem repertum esse, qui, ad ipsius Dei exemplum, divitem se beneficentiâ probasset; vnum illum opibus vti didicisse, & nova fœneratione debitores sibi sine odio fecisse; collocasse apud

amicos divitias extra Fortunam, & artem inveniſſe, vt dãdo nihil perderet, & amorem faceret lucri. Certè inter illas menſas, Ariamnes factus eſt immotalis; & vt nulla aliorum etiam tempeſtiva convivia laudentur, huic tamen gloriæ erit, anno integro eſſe epulatum. Conjecturam etiam ex huius vnius facto, non tantùm de immenſis Galatarum opibus, ſed multò veriùs moribus, facere poſſis. Quantum enim inſtar in illo annuo convivio, ſeculi aurei fuit? cùm Galatæ omnes mapalibus, junco, & ſalice Amerina inſtratis innoxiè epularentur, Ariamne omnia naturæ beneficia promiſcuè vtenda in medium conferente; cùm propter vnius divitias nemo pauper eſſet, & ſecuris liceret in diem vivere, vno illo pro omnibus, ſine anxietate, ſolicito; ſimilis enim priſcorum mortalium, & cum ſua terra recentium vita fuiſſe perhibetur. Annectam aliud teſtimonium primævi candoris, apud Ælianum repertum. Siquando Galatarum agrum eruca, dirum animal, aut locuſta invaderet; ne noxio morſu ſata depaſcerentur, Galatæ in agrum progreſſi, aves, quibus erucæ, & locuſtæ in cibum

l. 17. c. 19. de Anim.

MOS GALATARVM ERVCAM A SATIS AVERRVNCANDI.

cibum petuntur, ſupplici carmine ad ſe invitabant, ſecuritatem ijs polliciti, ab inſidiarum metu eas liberas fore, & impunè totâ ditione graſſaturas: creditúmque eſt, aves liberali pollicitatione inductas, magno examine, advolare ſolitas, ad ſegetem illo fatali malo levandam: quòd ſiquis tam opportunã avem, contra datam fidem, cepiſſet, occidiſſétque, feciſſe capital creditus eſt; perſuaſum enim erat, niſi mors avis talione vindicata eſſet, reliquas eâ indulgentiâ offenſas mox avolaturas, fruſtrà aliàs revocandas. Ridiculè ſine dubio, quis neget? ſed tamen qualecunque id remedium fuit, certè commendationem ſimplicitatis habet; & ſi ridere libet, hac ipſa in re, quæ non Gens aliquid deliravit? in Cyrenaica quidem regione, lege populus cogebatur, ad locuſtas ter quovis anno debellandas: primò ova obterendo, deinde recentem fœtum, poſtremò adultiores; deſertoris etiam pœnâ in illum ſtatutâ, qui officio huic defuiſſet. Et in Lemno inſulâ, certa menſura præfinita erat; quantum locuſtarum cuique ad magiſtratum eſſet referendum. In Syria verò, militari imperio

Plin. hiſt. nat. l.11.c.19.l.17. c.28.l.19.c.10.

perio, copiæ ad illas occidendas evocabantur. Romanis etiam ingruente hac peste, ad libros Sibyllinos confugere pudori non fuit, auxilij inopiâ; neque vsquam putidiora averruncando huic malo vsurpata. Nam mulierem eo tempore, quo menstrua solvit, ambire infessas ab eruca arbores jussere; ossa item capitis, ex equino genere, fœminæ dũtaxat, palo imposita, aut cancer fluviatilis medio suspensus horto; aut sanguineis virgis ea contingebantur, quæ his morsibus nollent obnoxia esse, aliáque nec pueris digna, cum religione factitata.

SED nos his omissis, post tam longum silentium, ad primam BOIORVM coloniam in Boiohæmum revertamur. Nam quidquid illic quingentis propè annis (tantum enim temporis à prima immigratione fluxit) BOIIS gloriæ partum est, Hercinijs tenebris sepultum, nullâ literarum luce inclaruit; maximâ sine dubio jacturâ, quam tamen sarcit magnitudo rerum ab ijs gestarum, qui hinc in Græciam, Asiámque, vti explicatum est, bonis avibus (avium enim præpetum volatum secutos esse Justinus auctor est) abie-
Iust. l. 24.
runt,

runt. Vnius Possidonij diligentiâ nobile BOIORVM in Boiohemo factum in literas missum est, ex quo æstimare liceat, fortissimam Gentem per totum orbem terrarum sparsam, vbique sibi similem fuisse. Cimbros enim ille in Herciniam Silvam delatos, à BOIIS fortiter repulsos scripsit, tribus verbis rem ingentem complexus, quæ proinde à me altiùs repetenda est, vt, qui homines Cimbri extiterint, & quantæ molis fuerit, hos ingressu patriæ prohibuisse, clariùs intelligatur. Non vna de Cimbrorum origine, & patria, auctorum sententia est; sunt enim, qui illos Cimmerios olim à Græcis dictos, seditione domesticâ pulsos, à Mœotide palude, Ligdamo duce, profectos, ad Oceanum concessisse scribant, vbi terrarum vltima, horridissimáque sortitos, ad ipsos mundi cardines, & extremos siderum ambitus projectos vix vnquam Sol videat, densissimǽque tenebræ, quibus neque Poëtæ nigriores fingere potuere, æternâ nocte involvant. Sed verior fama est, Germanici Oceani accolas, peninsulam, quæ ab illorum nomine Cimbrica dicta est, incoluisse: C. Cæcilio

Apud Strab. lib. 7.

CIMBROS BOII ADITV HERCINIÆ SILVÆ PROHIBENT.

Tacit de Morib. Germ. Ptolem. l. 2. Plin. l. 4. c. 13.

 lio

CIMBRORUM ORIGINES ET MIGRATIONES.

lio Metello & Cn. Papirio Carbone Coss. illorum arma Romæ audita sunt; non quòd illo demum anno è patria egressi sint; sed quòd peragrato ferè orbe terrarum, post acceptas, illatásq; vicissim clades, tum maximè sedes sibi certas in Italia quæsiverint. Causa illis migrandi ingenij ferocia fuerit, an, quod ab alijs traditur, superfusus patriæ Oceanus hanc illis necessitatem imposuerit, non omnino liquet; illud certum est, cum immani multitudine in viam se dedisse; cùm illorum, qui in Italiam penetrarunt, trecenta millia, fœminarum autem, & sobolis multò maior numerus fuerit: atqui res ipsa evincit, cum tot Gentibus, antequam Italiam contingerent, congressos, magnâ parte hominum multatos fuisse; nam à BOIIS repulsi, ad Istrum, & Scordiscos Gallos, ad Teuristas deinde, & Tauriscos, denique etiam in Hispaniam progressi, & illic à Celtiberis prælio victi sũt; vt BOICÆ Gentis gloriam mirificè exaugeat, quòd, cùm primos Cimbrorum impetus excepisset, nondum imminutis eorum viribus, aut clade aliquâ fatigatis, superior tamen fuerit: cùm Belgis maxi-

Strab. l. 7.
Flor. l. 3. 4. 3.

mam

mam fortitudinis famam ea vna res conciliarit, quòd Gallorum soli Cimbros Rhenum transgressos intra suos fines ingredi prohibuerint; multóque maximè Boiorvm facinus è Romanorum cladibus æstimabitur, quas à Cimbris accepere, tantas quidem, vt actum crederetur de Romanâ re totâ, nisi Marius illi sæculo contigisset; vt causæ satis habeam, cur Cimbrica in Italia prælia obiter perstringenda putem, etsi id agendum solùm esset, vt sciretur quales viros primi omnium Boii docuerint vinci posse. Sed vrget insuper vehemẽs conjectura, Cimbrorum in Italia res etiam ad Boios aliquà pertinere: nam cùm Boiorigem in illo exercitu Regem Plutarchus nominet, planè in eam concedo sententiam, ex illis Boiis, qui post suum ex Italia discessum, inter Tauriscos consedêre, illac, quemadmodum suprà dixi, trãseuntibus Cimbris, sese aliquam manum, Bojorige duce, conjunxisse, quibus veteres in Italia sedes cordi erant, quarum recuperandarum, tanti exercitus viribus, haud vana spes affulgebat: quod ipsum ab Helvetijs factitatum est; ad quos cùm

In Mario.

Boiorix in Cimbrorum exercitu regulus Boiis assertus.

Cimbri tranſito Rheno appuliſſent, ingentéſq; prædas latrocinijs partas oſtentaſſent, quanquam & illi auro abundarent, tunc tamen magnas inter opes ſibi inopes viſi, impellēte avaritiâ, quæ etiam cùm nimiū habet, ſatis non habet, arma

Strab.l.7.

corripuerunt, ſuáque nomina in omnem fortunæ Cimbricę dederunt ſocietatē: ij Tigurini maximè & Tugeni fuere. Et veteres quidem BOIORVM annales, Bojorigem hunc ſine dubitatione ad ſe rapiunt, quibus vti antiquitatis fide deſtitutis nō temere accedo, ita hic refragari, propè religio eſt. Primus Cimbrorum cum Romanis congreſſus in Illyrico fuit A. V. C. DCXLI. quo Cn. Carbo Coſ. fuſus, fugatúſque, caſtris & exercitu exutus eſt. Indè formidanda Galliæ arma intulere, omnéſque illius populos, præter Belgas, diriſſimis cladibus afflixêre: ij, quos muniores vrbes tuebantur, ad vltima humanæ patientiæ exempla compulſi, infandis rebus, quas ſola neceſſitas in cibum verterat, famem ſuſtinebant; quæ cùm etjam ipſæ tandem defeciſſent, inutilia bellò corpora aggreſſi, inhumanum ex hominibus alimentum habuere, ipſâ fame ſævius;

Plut. in Mario. Vell. l. 2. Strab. Tacitus, Vegetius, &c.

Iul. Cæſ. l. 7. bell. Gall.

CIMBRORVM PRÆLIA.

ſevius; creditum tamen eſt, ſuaviùs eſſe à Gallo comedi, quàm à Cimbro vinci. Quatuor annis Galliâ & Hiſpaniâ in hunc modum divexatis, animum ad Italiam adjecerunt; miſsíſque in caſtra M. Junij Silani, indè ad Senatum legatis, rogabant populum Dominum orbis terrarum, ſedes ſibi habitandas alicubi aſſignaret; patriam ſibi malignitate naturæ ſubtractam; eius loco in poſterum terram illam habituros, quam beneficio Populi Romani poſſediſſent: invicē ille armis ſuis vteretur, quæ omnes ferè jam Gentes agnita formident; benevolentiam illam Pop. Romani ſibi pro ſtipendio fore. Nihil impetravere. Nam quid illis Roma daret, cuius imperio, aut certè cupiditati, non tantùm Italia, ſed ipſe propè orbis anguſtior videbatur? Igitur repulſam paſſi Cimbri, à precibus ad arma convertuntur; & mox cum hoc ipſo Conſule Silano congreſſi, eundem vicere. In eius locum proximo anno M. Scaurus Coſ. miſſus, rem nihilo feliciùs geſſit; nam & ille exercitum amiſit. Sequente anno Cimbrorum obſcurior eſt memoria; ſed qui ſe illis fœdere junxerant Tigu-

Flor, l. 3. c. 3. Padian. in Orat; Cornelian.

Quintil. declam. 3.

Oros.l.5. Tigurini L.Cassium Cos.in insidias præcipitatum occiderunt, & cum illo legatum etiam Lucium Pisonē. Q. Publilius alter legatus, ratus id exemplum etiam ad se pertinere, tuta præ honestis eligens, ne reliqua exercitus pars deleretur, obsides & dimidiam partem rerum omnium pactus, sub jugum cum suis missus est. Quod ignominiæ genus omni ævo libertas Romana ipsâ propè morte gravius tristiúsq; censuit. Q. Cæpioni, qui deinde Consul fuit, hoc vno Fortuna æquior extitit, quòd multatum exercitu vitâ donavit, in diriores sequētis anni casus reservatum, quo, quasi cladis nihil à Cimbris Romana res accepisset, calamitates omnes renovatæ sunt, quæ ad Alliam olim, funestissimo dierum, à Gallis illatæ, Romæ ipsi fatales & vltimæ visæ sunt. Caius Manlius Consul, & idem hic Cæpio, proconsulari potestate, Cimbris oppositi, sed capitalibus inter se odijs dissidentes, & ipsis adeò castris sejuncti, cùm vtrâque Rhodani ripâ cōsedissent, vtrinque victi & castris exuti sunt. Octoginta Romanorum, sociorúmque millia trucidata sunt, ínque ijs duo filij Consulis:

Oros.l.5. Iul.Cæs.l.1.de bell.Gall. Liv.Epit.65. Flor.l.3. Vell.l.2. &c. Oros.l.5.c.16.

ſulis: & calonum inſuper, lixarúmque quadraginta millia, &, vt Valerius Antias ſcripſit, ſoli decem homines ſuperfuere, ne triſtiſſima clades nuncio careret. Cùm præda ingens parta eſſet, omnem illam execrationibus & diris devotam Cimbri peſſumdedere. Veſtis omnis generis, hominum, equorúmq; exuviæ, irâ cupiditatem vincente, defoſſæ, laceratǽque ſunt: Ipſum adeò aurum, argentúmque, propter quæ ferrum ſtringitur, ſuperbiſſimo furore in flumen ſparſa; eodem etiam equi merſi, præfocatíque ſunt; homines ex arboribus ſuſpenſi; vt præter infamiam miſerandi ſpectaculi, quo non niſi ſanguinarij oculi paſci poterant, ex tanta victoria fruendum Cimbro nihil ſupereſſet. Conſultatum deinde de petenda Italia, cùm omnia virtuti ſuæ prona crederent, tot Conſularibus exercitibus deletis; adhibitus eſt conſilio etjam Aurelius Scaurus Legatus Conſulis, eo bello captus; magis vt ex ipſomet audirent conſentanea ſententijs jam dictis, quàm quòd vel illius conſilio ſe indigere, aut hiſcere contrà auſurum arbitrarentur:

is

is animo, non pro præsente fortuna, sed verè Romano, & inter vincula etiam libero, negavit Romam post hanc, prioresque omnes clades esse victam; negavit etiam vinci posse: his vulneribus tantùm fortitudinis suæ admonitam, acriùs de vindicta cogitaturam. Alpes proinde ne transcenderent; nihil in Italia, nisi sepulchra repertuꝛos; victoriæ suæ si aliquem fructum vellent, hîc modum ponerent; post Alpes, sicut aliud cælum, ita aliam Fortunam fore. Non erat hæc accommodata oratio auribus indomitis, virisque, qui etiam victi verum non libenter audirent; igitur à * Bolo Rege feroci juvene, quem maximè Scaurus intempestivâ libertate offenderat, occisus est. Tamen sive ingenij volubilitate, sive Scauri oratione post mortem demum ponderatâ, impulsi, Italiâ vitatâ, malum pedem in Hispaniam interim intulere, ne illi, quàm Italiæ meliùs esset: in qua lacerandâ dum occupantur, C. Mario, in quo eâ tempestate, spes, atque opes civitatis sitę erant, Consulatus sunt continuati, cùm Cimbrorum reditus, in momenta singula metueretur;

* Fortasse Boiorige.

retur, omniúmque Imperatorum, præter Marium, Senatum Populúmque Rom. pigeret. Igitur illo IIII. & Q. Lutatio Catulo Coss. cùm ex Hispania rediissent, communi cum socijs consilio habito, ita decrevere, vt Cimbri per Noricos; Teutones, & Ambrones, ex Gallia, per Alpes Italiam tentarent. Cimbris Catulus objectus, Teutonibus sociísque Marius obviam profectus est: atque hic quidē nihil neque divini, neq; humani prætermisit, quo suis, adversus hostem longis victorijs exultantē, animos adderet: Nam & Martham fatidicam ex Syria mulierem, & Batabacem, Pessinunte, ex ipsa TOLISTO-BOIORVM patria advectum Matris Deûm Sacerdotem secum duxit, quorum concordibus vaticinijs certa Romanis victoria addicebatur: vultures etiam duo æreis collaribus decori, & exercitum salutare docti, lætis illum augurijs prosequebantur: tamen vbi castra cum hostibus contulit, licet illi pugnandi copiam facerent, prælio ipse consultò abstinuit; vt & ille impetus hostium morâ consenesceret, & Romani subinde extra vallum educti hostium vultus ferre discerent, magnísq; illis

A.V.C.653.

Plut. in Mario.

illis corporibus pares animos conciperent. Teutones vbi munimentis ſuis elici poſſe Marium deſperarunt, avulſi ab Ambronibus propius Alpes movere; ſex dies inſumpti ſunt, dum caſtra Marij militari gradu omnes copiæ præterirent, increpantes ignaviam Romanorum, quibus caſtra pro carcere, & compreſſæ otio manus eſſet; quod viris omni vinculo compedibúſq; turpius eſſe debeat: quærebant ſubinde, an aliquid ad vxores ſuas mãdatum vellent; ſe Romã ire. Marius locis tutiſſimis agmen ducẽs ſequebatur, modico intervallo, vt hoſtem neq; omitteret, neque congrederetur. Tandem illum ad Aquas Sextias eſt aſſecutus; atque ibi commiſſo prælio, faventem habuit Fortunã; plus propè cum mulieribus, quàm viris negotij fuit; nam cùm Ambrones, quibuſcum prima pugna fuit, inclinatâ acie, ex prœlio fugerent, fæminæ furiatâ mente, paſſo capillo, gladijs & ſecuribus, quíque armis terribilior fuit, barbaro vlulatu, proditores maritos execrantes in mediam progreſſæ aciem, omnia ceſſantium virorum munia occuparunt, veriſſimæ Amazones; ibi apparuit, quid mu-

lier

lier posset irata; per telorum imbres, vulnerum, mortísque contemptrices volabant, scuta, gladiósque Romanis militibus eripiebant, ipsam etiam victoriam extorturæ, si viri nominis sui memores fuissent connisi; tandem & illæ repulsæ, in castra sunt reiectæ. Victoria sine dubio penes Romanos fuit, sed multa, ne sincerum illius gaudium esset, impediebant. Castra neque opere, neque loco munita erant; aquatio etiam hostibus opportunior; & expostulantibus ea de re militibus id tantùm Marius respondit, Viros esse; peterent, aut raperent aquam ab hoste; tantùm ignavos sitire: id convitium sitim, & iras acuit; ita novum ad fluviolum prælium commissum, aquas cruentavit, sitísque sanguine levanda fuit. Supererat preterea hostium, si vires conferres, ingens vis, quos & cladis pudor, & vulnerum acerbitas efferaverat. Igitur castra per noctem, quæ omnia terribiliora reddebat, ferali exululata clamore, ferarum non hominum antra repræsentabant; & Marius metuebat, ne nocturno prælio decernere cogeretur, eóque noctem illam inter ancipitia consilia cum Oros.l.5.c.16. suis

ſuis inſomnẽ duxit. Sequenti die Marcellum cum parva manu circuire hoſtem à tergo juſſit, & cùm opportunum eſſet, ipſéque in frontem pugnare cœpiſſet, ex inſidijs adoriri; ea res ſucceſſit ad votum; exercitus hoſtium totus conciſus eſt; ducenta armatorum millia interfecta; octoginta millia capta; tria millia ſalutem fugâ quæſivere. Corporum tabo ſolutorum oſſa etiam pôſteris miraculo fuere, teſtantia quales illic viri cecidiſſent: Maſſilienſes enim ijs vineas ſuas circumſepſere, vt verè Poëta dixerit, corvos nunquã maiora cadavera attigiſſe. Rex Teutobocchus, quem Teutobodum alij vocant, vivus in hoſtium poteſtatem venit, vir eximiâ ſtaturâ, qua ſuper ipſa trophæa eminebat, & mirandæ inſuper agilitatis, quippe quaternos, ſenóſque equos tranſilire ſolitus. Fœminis etiam poſt tantam cladem irata Fortuna extorquere bonum animum nequijt, honeſtiora conſilia, neque ſi viciſſent, agitare poterant: prima illis pudicitiæ cura, vltima vitæ fuit. Ad Marium miſerunt oratum, vt Veſtalibus Virginibus dono mitterẽtur; ſe cum illis caſtitate, & religioſo cultu in Numi-

Iuven. Sat. 8. *Flor. l. 3. c. 3.*

Val. Max. l. 6. cap. 1. *Oroſ. Florus.*

Numinum obſequio certaturas; eam ſolam ſervitutem non detrectare, quæ Dijs impendatur; cæterùm hominum nulli Teutonas ſervire didiciſſe. Cùm nihil impetraſſent, & honeſtè vivere ſe poſſe deſperarent; quæ vna ijs ad libertatem ſupereſſe via videbatur, fortiter, & vt illa ætas loquebatur, pulchrè mortuæ ſunt; ſobole ad ſaxa colliſâ, ne quem ſervituti genuiſſent, ipſæ ſibi ferro vel laqueo ſpiritum eripuere; fuere, quæ deficientibus vinculis illa è capite ſuo peterent, crine reſecto, & in funes contorto: miſeræ quibus per ſcelera virtus, & per laqueos libertas quæſita eſt; & tamen, vt tunc erant tempora, pulchrum Pudicitiæ, Conſtantiǽque anathema creditum eſt, homo pendens. Certè caſtus animus ſuam in his infelicibus laudem meretur, & maximus Pudicitiæ præco S. Hieronymus Chriſtianas identidem nupturientes, ad has trecentas Amazones (tot enim ille fuiſſe ſcripſit) ablegat, jubétque illas virtutem ab his pendulis diſcere: Poſt hanc victoriam Marius ad Cimbros properavit, quibus neque Alpes, nec, quæ Alpes exaſperaverat, hyems, præpediere iter; nudi

Tom. I. de Monogamia.

per nives eluctati ad summa juga, non vnum cum rerum natura certamen iniere. Scutis deinde impositi in imas se valles provolvêre: proxima cum fluvio Athesi lucta fuit, quem vel ponte jungere, vel transire navibus, operæ pretium esse non crediderunt: corporibus obnixi, vel oppositis scutis sistere perennem cursum tentarunt, stolidè audaces: id vbi frustra fuit, arboribus, saxis, & totis propè montibus revulsis alveum implevere; & sanè si hos indomitos spiritus Romam tulissent, spes erat, post Alpes, fluviósque ita superatos, vinci etiam illam Vrbem posse: sed Martium robur inter Venetas delicias elanguit; ita Marius mitiorem accepit hostem, & jam voluptatibus edomitum. Boiorix tamen vnus omnium maximè animis abundans, Romanis obequitans castris, Marium vltrò ad certamen depoposcit; negavit Marius, vel sui, vel Romani moris esse, consilium tempúsque pugnæ ab hoste petere; posse illum, si vitæ pigeat, facili compendio perire: tandem vbi prælio dicta dies est, maximis vtrinq; animis in aciem est descensum. nihil terribilius fuit quindecim millibus

Flor. l. 3. c. 3.

Plut. in Mario.

libus Cimbrorum equitum, quorum galeæ, terrori augendo, pandos ferocium animalium rictus mentiebantur; vt Romani non tam cum homine, quàm cum bellua sibi crederent pugnandum. Vndantes toto vertice diffundebantur cristæ; scutum brachio candidum, gladius lateri ingens aptabatur; & antequam ille stringendus esset, telum manus bipenne armabat. Jam illud novum & firmandis ordinibus inventum; Antesignani catenis præligati, quæ totis copijs circumfunderentur, impenetrabile agmen effecerant, si vlla contra Marium, Romanámque Fortunam satis valida præsidia esse possent. Annibalis artes hîc repetitæ; nebuloso die, Romani Cimbros inopinantes oppressere; pòst, vbi purior lux nebulam discussit, Marius acie in Orientem cōversâ, totum scutis excepit solem, cuius repercussu præstricti Cimbrorū oculi sunt, totúmque ijs ardere cælum visum est; & vt omnia cum Romanis conjurasse elementa viderentur, etiam ventus exortus concitati pulveris nubem in adversa Cimbrorum ora ferebat; Igitur de cætero cædes fuit; centum & quadragin-

Oros. l. 5. c. 16. ta millia Cimbrorum, sociorúmque cecidere: quidam suis ipsi manibus mortē occupavere; nam Reguli duo, quod constat, strictis gladijs mutuò concurrerunt; Lugius, & Boiorix in acie occubuerunt; his Beleum Florus addidit; Claudicus & Plin. l. 8. c. 40. Cesorix capti sunt. Debellatum erat cum viris, sed pugna cum fœminis superfuit; &, quod mirabilius, cum canibus quoque. Hi enim infesto morsu, illæ de plaustris, velut turribus, lanceis, contísque, &, quod cuique telum ira fecerat, pugnantes, victoribus Romanis longum negotium facessivere: fregit tādem constātiam inhonestę mortis infamia, quam à Romano suis videbant inferri; nam abscissis cum crine verticibus, turpi deformes vulnere projiciebantur. igitur ferPlut. Oros. rum, quod in hostes sumpserant, in se vertêre; quibus ferri copia non fuit, ad laqueum properarunt, & subrectis plaustrorum temonibus pependêre. Fuit, quę duos filios, insertis in colla laqueis, pedibus suis astrinxit, & sic denique ipsa pendula, tria funera colligavit. Fuerunt qui infelici ligno deficiente, boum cornibus, cruribúsque præligatum devinxere

caput,

caput, ijſque ad curſum extimulatis raptati, infelicem animam non effudêre, ſed ejecere. Et tamen, in hac moriendi libidine, ſexaginta hominum millia capta ſunt. Ingẽs ſine dubio victoria, quam Roma non hominibus, ſed Dijs nuncijs, ad ſe perlatam, vulgò jactavit: certè depulſo à cervicibus tam formidabili hoſte, aſſurgere Romana maieſtas cœpit, eámque in rem oſtentum illud explicatum eſt, cùm Nuceriæ in Luco Junonis *Plin.l.16.c.32.* vlmus, quòd in ipſam aram procumberet, à culmine ſuccisa, ſponte reſtituta, in priſtinum decus crevit. Marium Roma triumphantem excepit, & velut iterum receptâ vrbe, ampliſſimas in illum laudes congeſſit, in quarum conſortionem BOICAM Gentem fidenter voco, quæ Cimbros, quod conſtet, prima vicit, ſed adhuc à cladibus, vulneribus, & quod vtroque maius eſt, à voluptatibus integros; & ſi verum volumus, BOII viros debellavere: Romani tum demum Cimbros nacti ſunt, cùm inter delicias jam multum de hoc nomine perdidiſſent.

TREDECIM, à bello Cimbrico finito, abierant anni, cùm non minùs grave, & VI.

TOLISTO-BOIORVM IN BELLO MITHRIDATICO RES.

diuturnius multò Pop. Rom. bellum in Ponto exarsit, quo Bithynia primùm, deinde Asia omnis, tandémque, velut propagato incendio, pars etiam bene magna Europæ conflagravit. Tracti in illud, pari ambitione, hinc à Mithridate Rege totius belli concitatore, indè à Romanis Galli, intra extráq; Asiam; & TOLISTO-BOII præsertim, vtriusque partis fortunam, bono, malóque suo, victi, & victores participarunt. Causam belli Rex Romanis, illi vicissim Regi impingunt; si rectè excutias, in vtrorumque sinu latuit. Cupido profunda imperij, & divitiarum, & alienæ invidentia fortunæ, Regem, Populúmque Romanum collidebant. Rex à parvis initijs, quotidiano incremento, paulatim ad ingentem gloriam, & invidendum nomen, quod postea tulit, cùm Magnus dictus est, adrepebat; & obsecutus animo, cui semper tantum deest, quantum cupit, extendere imperium, & regni fines cœpit. Difficile tunc fuit non incurrere in Romanos, qui maximam orbis partem complexi, vbique vel ipsi, vel vbi noluere, per beneficiarios, & obnoxios sibi Reges imperabant,

rabant. Et quamdiu quidē in Scythia,& Ponto, cum ignotis Gentibus rixatus est Mithridates, nondum visus est Romano hoste dignus: sed cùm in Cappadociā, & Bithyniam transilijt; cùm, mutatâ veste, Asiam Rex ipse speculator factus obijt; cùm amicos Populi Romani Reges vexavit, regnísque expulit; cùm denique in ipsum Romanum Populum odia exercuit majora quàm Annibal; cùm vnâ die totâ Asiâ in civitatibus omnibus, vno nuncio, vna literarū significatione, cives Romanos, quotquot illic versabantur (octoginta millia fuere) necandos, trucidandósq; designavit; vno verbo, cùm bellū, quod propè virtute, aut certè necessitate inchoavit, sævitiâ, & scelere gessit, tum denique armis Romanis seriò petitus est; Et ante Sullæ quidem adventum, non expectatâ Senatus, Populíque Rom. sententiâ, Romani quidam Duces, qui Reipub. causâ in Asia versabantur, privatis auspicijs cum Rege conflixere; in quorum exercitu Gallogræcos fuisse compertio; eóque in prælio superba Romanorum temeritas, qui tantam rem privatâ auctoritate aggressi fuerant, magno in-

Cic. pro lege Manil.

Val. Max. l. 9. c. 2.

Appian. in Mithrid.

fortunio est plexa. Oppius enim Ducum vnus captus, & in ludibrium servatus, circumductúsque est. Aquilius verò Legatus, cujus stultitiâ & cupiditate bellum illud conflatum fuit, asino circumvectus ipse sibi acerbum præconium facere coactus est, & quaquà iret, proclamare, Manium Aquilium se esse; cui deinde Pergamum adducto liquatum aurũ Rex in os infudit, vt fœdam opum sitim, quæ viventem in hoc bellum truserat, tandem moriens extingueret. quæ iniuria homine, quàm exemplo dignior erat, & ad totum Rom. Populum pertinebat:

A.V.C.666.

ex eo proinde tempore bellum, quod Mithridaticum dictum est, exarsit; quod primus Sulla gessit, dubium maiore fortitudine, an felicitate; certè cùm Athenas vrbem frugum parentem dictam, arctissima obsidione, ac fame ad humanos cibos compulisset; tandémque in potestatem redegisset; iterúmque ad Chæroneam, Archelaum Mithridatis Ducem vicisset, & centum viginti millia hostium vno prælio occidisset, Romanorum tantùm quindecim desideratis, ex quibus ipsis duo tamen reversi sunt, turba-

Appian. Mithridatico.

tūs adversis nuncijs Rex, rebus suis nonnihil diffidere; & quia necesse est, vt multos timeat, quem multi timent, etiam de amicorum, sociorúmque fide dubitare cœpit, & quo quisque lateri ipsius propior erat, vel hospitij jure, vel intimis obsequijs consiliísque admotus, aut securitatis causâ allectus, eò suspectior erat, omnia, quæ meruerat, metuenti; inter eos autem, quorum manus securus nunquam aspiciebat, Galatarum maximè Tetrarchæ erant, quorum regionem cùm invasisset, eorundem viribus deinde se, armísque maximè tuebatur; cúmq; exercitum ex viginti duabus Gentibus, quibus imperabat, collegisset, quarum ipse omnium linguis locutus est, vnis tamen potissimùm Gallis nitebatur, eorúmque formidandum Romanis robur inprimis jactabat, vti ex oratione illius, quam ad milites habuit, quæque vna ex Trogo superest, colligitur. Igitur cùm ex Galatia plurimos sub signis haberet, Principes ipsos Gentis nobilissimos sexaginta, simulatione amicitiæ, Pergamum evocavit: sed eadem fide in aula culti sunt, qua in illam erant illecti; vt

Iustin. l. 37. & 38.

Plut. l. de Virt. mulier.

vt facilè deprehenderent, in aureas ſe compedes incidiſſe, & in ſpecioſo carcere libertatem amiſiſſe: accedebant etiam contumeliæ, ne ſolâ libertatis jacturâ angerētur, cùm ſe non tantùm in ſuperbū, ſed etiam crudelem dominum viderent impegiſſe. Igitur, quod proximum fuit, fortes viri conſilium à viribus ſuis petūt, & in Mithridatis perniciem conſpirant. De occaſione conſultantibus Toredorix Toſioporum Tetrarcha ſimpliciſſimam ſententiam dixit. Eo die Regem in Gymnaſio jus dicturum; indè ſe medium hominem, cum ipſo tribunali, ſublimem rapturum, & in vallem ſubiectam præcipitem daturum. Æquiſſima res omnibus viſa eſt, eo ipſo in loco, ab iniquo Rege pœnas expoſcere, quo ille Juſtitiæ violator, ad dicendum jus conſediſſet, qui jus nullum vnquam ſervaverat; nocentiorem hominem ipſo Rege, ad illud tribunal damnatum neminem fuiſſe; ideóque illud vnà cum judice evertendum. Erat Toredorix ingentis animi, eíque corpus & vires reſpondebant; neque dubium erat, quin Regem eo die pro pila habiturus fuiſſet, ſi in publicum ille prodijſſet.

GALATÆ IN NECEM MITHRIDATIS CONSPIRANT.

Ergo vbi primum consilium ex absentiâ Regis irritum vidit, alterum atrocius etjam arripit, quod facilè appareat ab vltimo odio dictatum esse, quod nunquam procul à rabie abest, Agite, inquit, ereptis gladijs satis tamen armati in Regem sumus; ad libertatem repetendam etiam nudos natura instruxit: communia certè omnium animalium arma nobis supersunt; possumus manu, possumus ore Regem concerpere; quid refert, quale vulnus sit, & ense ne, an dente, an vngue via fiat tam noxiæ animæ; exemplum tyrannis dandum est, vt aliquid etiam præter ferrum timeant. In huius cædis inhumanæ societatem fides mutuò à coniuratis data, acceptáque est; sed difficile est, inter sexaginta homines, tam horribile secretum nullam rimulam reperire, qua emanet ad plures: Rex certè, re, quocunque indice, compertâ, omnes jussit trucidari. Ad Toredorigis supplicium eâ etiam infamiâ adjectâ, vt honore sepulchri careret. Sed abiectum Pergamena mulier defuncti desiderio ardens rapuit, vltimum illi officiũ humanitatis impensura. At enim Rex lege caverat, ne cui in extin-

LAVDABILIS IN VITA FVNCTVM PIETAS.

extinctum liceret pio esse. igitur deprehensa trahitur ad causam dicendam: modestia vultus, & decoræ lachrymæ facilem illi defensionem faciebant eius facti, quod rarò apud tribunalia accusatur, & plerunque nomen habet virtutis. Vbi verò candidè amorem fassa est; eo se cæcam justa amanti impendisse, nullúmque in facto suo scelus vidisse; non potuisse charo capiti terram invidere, cui olim totum animum addixisset; neque pro illo dubitaturam se mori, sine quo ægrè viveret; Verecunda oratio Mithridatis crudelitati manum iniecit; nec passa est illum in fœminam, ipsámque adeò humanitatem inhumaniorem sententiam dicere: quinimo flexus etiam ille ad amorem honesti, sumptum funebrem de suo dari jussit, non tantum fœminæ, sed etjam occiso placatus. Inter eosdem conjuratos adolescens erat, cui Bepolitano nomen fuit, insigni formâ, eâq; morum venustate, vt Regem ipsum pœniteret, quod duo tanta animi & corporis decora gladio subjecisset extinguenda. Igitur cùm jam ad supplicium abreptus fuisset, de satellitum ministrorum turba misit, qui

MIRA BEPOLITANI GALATÆ FORTVNA.

qui parci juberent formoso illi, si etiamnum superstitem reperissent. Favit Regis pœnitentiæ Fortuna. Lictor, qui in illum animadversurus erat, cupiditate vestium captus, quas adolescens, pro cætera elegantia sua, & natalium splendore, quàm cultissimas ferebat; dum eas sibi puras servare à sanguine laborat, eóque studiosissimè diffibulat, & ab humero rejicit, intervenêre in tempore felices nuncij, Bepolitanum inclamantes, cum mandatis, vt ab illo manum, ferrúmque abstineret; ita illi carnificis avaritia, quod malum alijs exitio esse solet, saluti fuit. Hāc ipsam vti existimo tragœdiam, funestæ tetrarcharum necis Appianus recensuit, *In Mithridat.* sed compendio; qui illud tamen adjicit, vnà cum ijsdem vxores quoque, & liberos de medio sublatos esse: atque horum quidem alios insidijs oppressos, alios nocte vnâ in convivio jugulatos esse, tribus tantùm fugâ elapsis; qui cùm in Galatiam redijssent, Eumachum à Rege provinciæ illi impositum, collectâ militum manu, cum omnibus præsidijs ejecerunt, vt Mithridates fortissimorum hominum auxilijs destitutus, quos ingenti crudelitate à

se

ſe alienaverat, planè Romanis impar redderetur. Porrò ex ijs, qui carnificinam Mithridatis effugerunt, Deiotarum TOLISTO-BOIORVM Tetrarcham fuiſſe eo argumento manifeſtum fit, quòd illius, vt potentiſſimi & Romano nomini addictiſſimi, celebris circa hæc jam tempora fama fuit, eiúſque fidelem operam, quæ magno ſibi vſui fuerit, Sulla in Senatu exquiſitâ oratione deprædicavit, qui cùm Regis copias magno iterum prælio profligaſſet, tandémque in Aſiam ingreſſus eſſet, Regem ſibi obvium factum, & de pacis cōditionibus jam ſeriò tractantem graviſſimè reprehendit, quòd immanitate barbara Galatarum Tetrarchas jugulaſſet, & carnifice in convivium adducto, humanum inter vina ſanguinem fudiſſet, eóq; hoſpitalem menſam cruentaſſet; viros illos, ſi vivere non oportuerit, certè aliter mori debuiſſe. Nulla patebat Regi ad flagitij ſui excuſationem via; nam ſi maximè diceret, inſidias factas capiti ſuo; paratum ſibi malum licuiſſe avertere in auctores; reddenda illi ratio fuerat, cur fortes viros falſis promiſſis, fucatâ benevolentiâ, & cæteris mini-

minimè Regijs artibus petiverit; cur eosdem deinde odijs apertis, indignis contumelijs, fortunarum, libertatísque despoliatione, aliísque, quæ ingenio tyrannorum inventa sunt, tormentis, ad hæc misera consilia detruserit, vt cogitarent, Rege vivo, se salvos esse non posse: sexaginta viros Regij sanguinis, aut certè indolis, nihil commeritos, non potuisse in servitutem compingi, vt non irascerentur; ad vitandam vltimam ignominiam extremas etiam vires advocari; & acerrimam solere esse virtutem, quam misera necessitas extundit; multa tristia occurrere homini, cui innocenti moriendum sit. Igitur Mithridates iniquitate causæ suæ oppressus, promisit se in Sullæ potestate fore. Ille cùm ad triumphum properaret, & insignia victoriæ, quàm sinceram victoriam mallet, pacem cum Rege fecit; qui tempori, necessitatíque serviens, tum quidem ex Asia in paternum regnum Ponti discessit. id factum anno V.670. Sed bellum, vt parum fideliter extincta incēdia, flabris inquieti hominis revixit. L. Murena ad res Asiaticas ordinandas relictus à Sulla erat, fir-

Flor. l.3.c.5. *Cic. pro lege Manilia.* *Liv. Epit. 83.* *A.V.C. 670.*

 man-

mandæ paci præpositus; eam provinciam homo militaris, vt imbellem, aversatus, cùm manu vti, & triumphum mereri vellet, causámq; belli nullam haberet, bellum tamen concitavit, post duos à facta pace annos, ídque in tertium annum traxit, donec à Sylla missus A. Gabinius hominem turbidum ab incepto desistere coëgit. Murenam Deiotarus, durante bello, constantissimè juvit, & ob res fortiter fideliterque gestas, in Senatu ab ipsomet Murena laudatus est; qui iterum Romæ falsò persuasit, debellatum esse; dum exemplo Syllæ, citò, quàm verè triumphare maluit. Igitur post duos de Mithridate actos triumphos, duo summi duces, Lucullus, & Pompeius, satis adhuc belli reperere. Sertorius, qui contra patriam arma sumpserat, Regem fortasse quieturum, novâ spe, & turbidis consilijs implevit; & quasi in manu sua orbem terrarum ferret, & imperia, quoquò vellet, projiceret, Mithridati Asiam, Bithyniã, Paphlagoniam, Cappadociam, & nostrorum regnum Gallorũ Galatiam, ridendâ liberalitate transcripsit, cùm ipse patriã amisisset; duces insuper submisit, quibus adni-

Liv. Epit. 86. A.V.C. 672.

Cic. Philip. 11.

Cic. pro lege Manil.

adnitētibus Rex bellum jam tertiò, multo maiore, quàm antehac apparatu, renovavit. Sed Lucullus vbique Regi imminens, terrâ illum, maríque exagitavit; auſus etiam aliquando vtre ſuſpenſus, & pedibus iter adgubernans, per hoſtium naves irrumpere, vt procul aſpicientibus non homo, ſed marina bellua natare crederetur. Adjuvabat in partem iterum TOLISTO-BOIVS Deiotarus, & Eumachum Mithridatis ducem, quem ſub Sylla ex Gallo-græcia ejecerat, & reliquos eiuſdem præfectos, qui Phrygas, Piſidas, Iſauros, Cilicas vexabant, & Romanos diris tractabant modis, feliciter aggreſſus, cum ingenti clade repreſſit. Lucullus Mithridatem ipſum intercepiſſet, niſi avarus miles ſpoliorum, & prædæ, quàm Regis cupidior, illum è manibus emiſiſſet. nam cùm ſpes elabendi nulla eſſet, clitellas muli Regiam gazā vehentis Mithridates ipſe diſcidit, & ſaluberrimo cōmento, hanc militū illecebram avaritiæ objecit, Caſtorē imitatus, qui ſeipſum in difficili fuga eunuchum facit, eáſq; partes morſu avulſas projicit, quarum gratiâ ſe maximè peti novit. ita dum aurum pe-

Liv. Epit. 49.

Appian.

de calcare nemo vult, ſed manu legere, Rex, cuius, inter illa ſpolia, vltima cura fuit, evaſit. In eadem tempora bellum Servile, ſeu gladiatorium incidit, Spartaco, Crixo, & Oenomao ducibus geſtum, qui duo poſteriores Galli fuere; & quidē, ſi ex Crixi nomine tracta conjectura non nimis calida videretur, poſſem & hunc ducem BOIIS aſſerere, quando bello Punico ſecundo, BOIORVM Regulum Crixum è Silio produxiſſe memini. Ij cum ſocijs vno & ſeptuaginta (alij plures, paucioréſve faciunt) in gladiatorium Capuæ ludum coniecti, indignati ad gladium ſe parari, & ad hoc ipſum ſpectaculum ali, vt populus morientes videret, effracto ludo, ſervos ad pileum vocarunt; & multis contractis millibus, novum Romanis bellum conflarunt; hoc certè conſecuti, vt pulchriùs occumberent: nam ita fertur, cùm illorum vno prælio duodecim millia, & trecenti cecidiſſent, duos ex omni numero fuiſſe, qui non in pectore vulnus accepiſſent; Spartacus Crixi Manes honeſtiſſimis, vt ea ferebant tempora, exequijs nobilitavit, trecentóſque illi captivos inferias miſit. Huic bello Cato quo-

A. V.C.681.
BELLVM GLADIATORIVM.
Oroſ.l.5.c.42.

Plut.in Craſ.
Appian.l.1. de bell.civilib.

quoque interfuit, qui indè in Asiam profectus apud Deiotarum TOLISTO-BOIVM, quòd illi paternum cum eo Rege hospitium erat, divertit, in quo nobile, & rarum virtutis specimē reliquit, quod inter illa documenta est, quæ eam huic viro existimationē peperere, vt crederetur eodē naturæ vtero Continentia nata, & Cato. Commendaverat illi exquisitè Deiotarus filios suos, ratus, si illorū patrocinium Cato suscepisset, toti Reip., cuius omnia decora solus repræsentabat, velut in sinum datos esse. Sed quanquam illum Romanorum optimum censeret, non tamen omnes illius virtutes noverat. æstimabat illum ex ingenio sęculi sui, quo ferè paupertas inter erubescenda numerabatur, & nemo tam durus fuit, quin ad divitias se vltro offerentes, vel oblatas, manus aperiret, imò etiam sinū: Igitur Deiotarus dona, quæ & Regem, & illum virum decere arbitratus est, expediri jussit; ea ipsa etiam modestissimis verbis pulchriora fecit, & planè digna Catone. Ille Regis benevolentiam iniquiore vultu excepit, quàm alij injurias solent; domum etiam mutavit, vt vir-

DEIOTARVS CATONEM HONORIFICE EXCIPIT. *Plut. Catone min.*

Val. Max. l. 4. c. 3. ex. 2.

CATONIS CONTINENTIA.

 tuti

tuti suæ aureas insidias structas effugeret. Sed æquè Deiotaro ægre fuit suã liberalitatem vinci, quàm Catoni suam continentiam. Igitur etiam abeuntem prosecutus est, & perquiri hominem jussit novi moris, & exempli, qui rogatus etiam nollet dives esse. Offenderunt illum Regij ministri Pessinunte, & precibus, blandâque vi reluctantem aggressi sunt, pateretur se vinci; daret hoc amico Regi, qui idipsum in beneficijs numeraturus esset, si aliquid à se Cato accepisset. Si respuere pergeret, id solum cogitaturum, dedisse se contemnenda; & nihil in omnibus opibus habuisse dignum magnitudine Catonis. Perseverantem negare, rogant, vt quando ipse eâ fortunâ sit, vt nullius rei indigens, eo animo, vt nullius appetens sit, saltem in servulos sineret Regem suum esse liberalem; nam & his ipsum bene cupere. Neque hoc impetratum est; nam & illorum manus Cato suas existimabat; & avaritiam insuper ex toto suo regno domestico proscriptam cupiebat: infamiam servulorum ratus ad Dominũ pertinere. Ita Cato è Galatia auri quidem nihil, sed verissimæ laudis quàm plurimum

mum extulit, paupertate sua nobilitatus. Intereà cùm Lucullus, per annos septem, magnas & memorabiles res gessisset, Mithridatémque, & Tigranem maximum Regem sępius fudisset, quia vltimam bello manum penè magis noluerat imponere, quàm non potuerat, quòd ægre ab illa auri, & gloriæ segete discederet, invitus successorem, ad bellum propè jam confectum, Cn. Pompeium accepit, cui *A. V. C. 682.* Fortuna per totum orbem terrarum titulos quærebat, olim etiam tumulum negatura. Pompeius in ipsa Galatia, loco *Strab. l. 12.* qui Danala dicitur, cum Lucullo congressus, provinciam ab ipso ingratijs extorsit jurgiisque; cùm ipse Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio vicissim immoderatam imperij ambitionem exprobraret, neutérque adeò, quòd arguebat, mentitus argui posset. Quid autem Deiotarus ad reliquias belli conficiendas contulerit, traditum non est; illud constat, eum operam suam Pompeio adeò probasse, vti is palàm diceret, vnum Deiotarum (verba ipsa Cicero recitat) in toto orbe terrarum, ex animo amicũ, veréque benevolum, vnum fidelem Po-

DEIOTARI ERGA ROM. POP. FIDES.

11. Philippica.

pulo Romano fuisse. Quam ille apud Pompeium laudem mereri non potuit ijs officijs, quæ vel Lucullo, vel alijs, ante ipsum, Imperatoribus præstitit, cùm hæc illi invidiæ potiùs esse potuerint; nam Pompeius eo ingenio erat, vt in rebus gloriosis omnibus non modò primus, sed & solus esse, vníque sibi vellet omnes omnia debere. Vnde cùm Lucullus Ponticis, aliísque Asiaticis Regulis, ob navatam egregiè operam magnificè multa promisisset, evicit in Senatu Pompeius, vt illæ pollicitationes irritæ essent; neque enim æquum esse, cùm hostium superatorum penes se gloria sit, amicorum præmijs afficiendorũ gratiam apud alterum hærere. Certum igitur est, Deiotarum inter Pompeij etiam auxilia fuisse, qui vno, & quod mireris, nocturno prelio Mithridatem debellauit; victoriam Romanis propè incruentam Luna dedit; quam in occasum properantem Romani cùm à tergo haberent, eóq; longæ ab illorum corporibus vmbræ projicerẽtur, decepti falsâ imagine hostes, telis errantibus vmbras confixere; triginta non amplius de toto Pompeij exercitu ceci-

Strab. l. 12.

Plut. in Pompeio.
Frontin. l. 2. cap. 1.
Oros. l. 6. c. 4.

Eutrop. l. 6.

cecidere, & duo Centuriones. Mithridates quadraginta millia amisit; ipse iterum fugâ elapsus, nullo comite, inops auxiliorũ, miseris tamen consilijs aliquamdiu Fortunam fatigavit, vltima omnia tentans more anguium, qui obtrito capite, tamen minantur, & iras in caudam colligunt. Tandem cùm etiam filium Pharnacem inter hostes suos numeraret, eripere se illis morte voluit, quæ inter paucas memorabilis fuit. Erat jam olim puer veneno appetitus, & noverat hoc frequens in Regum mensis condimentum esse; quod ne aliquando cum periculo biberet, instituit quotidie bibere, vt consuetudine fieret innoxium; hinc, cùm desperatis melioribus, maximè vellet reluctantem spiritum veneno expellere, non potuit. Ergo Gallum quendam, Bituitum vel Bitocum nomine, qui fidem etiam inter adversa constanter coluerat, advocat, & vides, inquit, quàm me Fortuna oderit; cogit me invitum vivere, vt diu sim miser; etiam mortis arbitrium mihi eripuit, & maximo Regum hanc vltimam negavit libertatem; contra venena me fortem fecit, jubétque

Iustin. l. 37.

MITHRIDATES A GALLO OCCISVS.

Epitom. Liv. c. 102.

animam gladio quærere, non nisi per vulnus, & in sanguine exituram. Satisfaciam illi, sed tuâ manu; cuius vires in hoste probatas, cupio in me ipso experiri; eò ventum est, vt aliud fidei documentum dare non possis, quàm me occiso; nam si parcis, crudelissimus es; si impietatem horres, cogita te non Regem, sed Regis Fortunam jugulare, qua nunquam infestiorem habui hostem; cui fortissima manus, id est tua opponenda est; nam meam video, cum veneno succubuisse. His persuasus Bituitus Mithridati tam ambitiosè efflagitatum officium impendit; Deo, qui scelerum vindex est, id providente, vt qui nobilissimos Gallorum morte affecerat, Galli manu occumberet; vocet sanè hoc Mithridates benevolentiam, quòd sic occiditur, qui etiam illud facinus suum amicitiæ nomine palliavit, cùm Galatarum Tetrarchas, quos jugulare decreverat, ad Regiam, ad familiaritatem suam, & ad communes epulas pellexit. Pompeius cõfecto bello, Deiotarum amplissimè donavit, Trocmos illi, & Gadilonitidem, quà ad Pharnaciam, & Trapezuntem pertinet, & Colchos ad mino-

Strabo l. 12. Eutrop. l. 6. Cic. de Divinat.

minorem Armeniam, & Armeniam denique illam ipsam, paternæ ditioni adjecit, Regémque appellavit. Ille tot provinciarum potens, regiam ex TOLISTO-BOIIS non emovit, Luceij sede Regni fixâ, Peij Gazâ reconditâ. Reliquorum Galatarũ, qui Pompeij signa secuti, bello Mithridatico fortiter fecere, memoria interijt; Bogodiatorum tamen Strabo nominat, cui Pompeius Mithridatium vrbem dono dedit. Asiâ à Pompeio, adjuvantibus TOLISTO-BOIORVM armis, in potestatem Populi Rom. redactâ, reliqua, quæ in Europa illius ignara imperij restabant, Fortuna in Julium Cæsarem transtulit, virum, si huius operis res sit, cum cura dicendum, & quem Alexandri Magni felicitati Roma opponere possit; nam, quod laudabilius est, vitijs illiús plerisq; caruit. laudis tamen avaritiâ, gloriæque cupidine, in Romanæ libertatis exitium provectus; nam cùm quantumcunque eius vrbis imperium duos viros non caperet, & nec Pompeius parem, nec Cęsar priorem ferret; collisa inter se duo maxima ingenia, Remp. secum pessundederunt. Huic igitur fortissimo, quod in con-

DEIOTARI IMPERIVM AMPLIATVM.

Strab. l. 12.

confeſſo eſt, Imperatori, vt pares Fortuna hoſtes objiceret, BOII iterũ producti, & velut in prima acie collocati ſunt; perpetuo huius Gentis fato, vt nullum magnum Rom. Pop. bellum toto terrarũ orbe eſſet, quo non BOIOS inter hoſtes aut amicos numeraret. id qua ratione bello etiam Gallico, à quo Cæſar triũphos ſuos auſpicatus eſt, factũ ſit, quia ordo rerum temporúmq; poſtulat, nunc expediam.

VII. FVIT in Tauriſcis, ad quos ex Italia BOIOS commigraſſe diximus, vrbs nobilis Noreia, vnde toti Norico nomen hæſiſſe veri ſimile eſt: cuius quia in reliqua Hiſtoria multa mentio futura eſt, ſemel dicendum eſt, quibus id finibus fuerit à veteribus circumſcriptum. Ad Septentriones igitur, à Germania Magna, Danubio, meridiem verſus, ab Italia, Alpibus; ad occidentem Solem, à Rætia & Vindelicia Oeno flumine; ad Orientem, à Pannonia Cæcio monte dividitur. Ingens Norici apud domeſticos Scriptores fama; & Reges illius longo ordine numerantur, mirâ confidentiâ, dum vanitatis quàm ignorantiæ argui, minùs probroſum putant, qui neque meruerunt,

NORICI LIMITES. *Ptolem. l. 2.*

BOII NOREIAM VRBEM OPPVGNANT.

runt, vt refellantur; quando doctis nihil persuaserunt; vulgo autem tam charas fabulas non invidemus. Noreiæ Vrbis oppugnandæ cupiditas BOIOS, qui Herciniam silvam incolebant, incesserat, eóque in Noricum transiere; causæ non produntur, vti neque ipse belli eventus. Illud constat, communia bellorum irritamēta Noreiam habuisse; id est, multum auri, quod vbiubi lateat, invenit hostes, & ferro quæritur. Ex Polybio certè Strabo exscripsit, in Tauriscis Noricis, mirâ naturæ indulgentiâ, aurum non effossum montibus, neque, vt alibi, ex ipsis Manium sedibus extortum fuisse, sed in summa propè tellure repertum, velut temere conditum; id tantùm laboris fuisse, duûm pedum altitudine cespitem attollere, & mox occurrisse fossile aurum; neque cuniculos infra quindecim pedum spacium agere licuisse; illic enim felices venas desijsse, velut jubente naturâ, terræ parci: sic purum putum legebatur aurū, fabæ, aut lupini magnitudine, octavâ tantùm parte decoctâ. Quæ opima soli fœcūditas jam olim Italos exciverat, vt invocati ad illū tam jucundum labo-

Cæs. l. 1. bell. Gall.

Strab. l. 4.

AVRIFODINÆ NORICÆ.

laborem accurrerent, fieréntque voluntarij fossores; cúmque duobus mensibus opus fecissent, auri precium totâ Italiâ triente diminutū est. Ibi demum Taurisci sēsēre sibi advenis illis nihil opus esse, suaviúsq; se solos fatigari. Igitur illos collegas suos in Italiam removerunt. Præter hoc fossile, etiam fluvij ramenta auri devehebant, & eadem, quæ terræ, aquarum fertilitas fuit, vt avaritia illic frustra nusquam occuparetur. Jam æris, & ferri sectūris olim etiam nobile Noricum fuit; vt Clemens Alexandrinus ab hoc loco Æs Noropium ab Homero decantatum velit, quòd Noropes tum nominarentur, qui postea Norici dicti sunt; quorum solertiâ excogitatum sit æs ignibus coquere, & ferrum ex venis suis elicere, vtili invento, nisi etiam in hominem acueretur. Vrbem igitur tam divitis soli, sive spe lucri, sive invitatione popularium suorum, eorum scilicet BOIORVM, quos Italiâ pulsos, in Tauriscis diximus consedisse, Boii Hercinij oppugnarunt; ea sive hac incursione, sive qua alia interijt, illud enim constat, Plinij ævo, qui sub Vespasianis scripsit, non ampliùs stetisse.

l. 1. Stromat.

Plin. l. 3. c. 19.

Sub

Sub idem tempus Helvetij neq; pro multitudine hominum, neque pro belli gloria satis amplos se fines possidere causati, Orgetorige impulsore, domo proficisci meditabantur, quod illo ævo tam vsitatum fuit, quàm rarum est nostro. Hi vt domesticas vires externis etiam auxilijs firmarent, cùm finitimos populos in societatem consilij sui pertraxissent, etiam longiùs à se dissitis BOIIS, qui, vti diximus, Noreiam nuper oppugnârant, eandem cupiditatem migrandi injicere laborabant: Erat jam olim Helvetijs nota BOIORVM virtus; nam & ipsi quondam Rhenum transgressi, Boiohæmo proximas sedes coluerant, factorúmque fortium insignia ab illa Gente documenta edita, optimi ipsi virtutis, fortitudinísq; æstimatores & arbitri, sæpe collegerant. Nam vt vetera excidisset, nupera, à Cimbris Boiohæmo pulsis, relata victoria, vti ingentem excitârat admirationem, ita recenti circumferebatur memoriâ. Neque fuit operosum, eam BOIIS mentem injicere, vt quibus iter ad gloriam nullum durum esset; quos si non piguit, immortalitatis amore, toto orbe victorias

Cæs. l. 1. bell. Gall.

BOII CVM HELVETIIS IN GALLIAM MIGRANT.

Tacit. Germ.

rias

laborem accurrerent, fieréntque voluntarij fossores; cúmque duobus mensibus opus fecissent, auri precium totâ Italiâ triente diminutū est. Ibi demum Taurisci sēsēre sibi advenis illis nihil opus esse, suaviúsq; se solos fatigari. Igitur illos collegas suos in Italiam removerunt. Præter hoc fossile, etiam fluvij ramenta auri devehebant, & eadem, quæ terræ, aquarum fertilitas fuit, vt avaritia illic frustra nusquam occuparetur. Jam æris, & ferri secturis olim etiam nobile Noricum fuit;

l.1, Stromat. vt Clemens Alexandrinus ab hoc loco Æs Noropium ab Homero decantatum velit, quòd Noropes tum nominarentur, qui postea Norici dicti sunt; quorum solertiâ excogitatum sit æs ignibus coquere, & ferrum ex venis suis elicere, vtili invento, nisi etiam in hominem acueretur. Vrbem igitur tam divitis soli, sive spe lucri, sive invitatione popularium suorum, eorum scilicet BOIORVM, quos Italiâ pulsos, in Tauriscis diximus consedisse, Boii Hercinij oppugnarunt; ea sive hac incursione, sive qua alia interijt,

Plin. l. 3. c. 19. illud enim constat, Plinij ævo, qui sub Vespasianis scripsit, non ampliùs stetisse.

Sub

Sub idem tempus Helvetij neq; pro multitudine hominum, neque pro belli gloria satis amplos se fines possidere causati, Orgetorige impulsore, domo proficisci meditabantur, quod illo ævo tam vsitatum fuit, quàm rarum est nostro. Hi vt domesticas vires externis etiam auxilijs firmarent, cùm finitimos populos in societatem consilij sui pertraxissent, etiam longiùs à se dissitis BOIIS, qui, vti diximus, Noreiam nuper oppugnârant, eandem cupiditatem migrandi injicere laborabant: Erat jam olim Helvetijs nota BOIORVM virtus; nam & ipsi quondam Rhenum transgressi, Boiohæmo proximas sedes coluerant, factorúmque fortium insignia ab illa Gente documenta edita, optimi ipsi virtutis, fortitudinísq; æstimatores & arbitri, sæpe collegerant. Nam vt vetera excidissent, nupera, à Cimbris Boiohæmo pulsis, relata victoria, vti ingentem excitârat admirationem, ita recenti circumferebatur memoriâ. Neque fuit operosum, eam BOIIS mentem injicere, vt quibus iter ad gloriam nullum durum esset; quos si non piguit, immortalitatis amore, toto orbe victo-

Cæs. l. 1. bell. Gall.

BOII CVM HELVETIIS IN GALLIAM MIGRANT.

Tacit. Germ.

rias quærere, nunc certè in veterem patriam ipse humanitatis rapiebat affectus. Igitur L. Pisone & Aulo Gabinio Coss. quingentesimo & ampliùs, post primam in Boiohæmum susceptam expeditionem, anno, Rheno transito, in patrium
A.V.C.696.
Galliæ agrum triginta duo hominũ millia pedem intulere; armatorum numerum exprimere difficile est, cùm conjuges, liberíq; vnà comitarentur. Vbi cum Helvetijs, sociísq; coniuncti, solenni sacramento fœdus iniere, Helvetij expeditionis illius auctores, & principes, vt omnem sibi reditus spem cupiditatémque præciderent, oppida sua omnia, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, cum privatis ædificijs omnibus inflammant, frumentum etiam, quod necessarium commeatui supererat, comburunt; molita cibaria trium mensium sibi ferre singulos jubent, rebúsque omnibus instructi dant se in viam. Erant omnino, quod ex tabulis postea cognitũ est, quæ in castris repertæ sunt, Græcis literis confectæ, hominum CCCLXVIII. millia; ij v. Kal. Aprilis ex compacto ad Rhodani ripam convenere. Cęsar habere se cau-

ſæ ſatis vel credidit, vel finxit, cur homines armatos progreſſu arceret. Promittentibus ſine maleficio ſe illac tranſituros, iter negavit. Vnde illi Rhodani trãſitu omni arte tentato, cùm hoſtium vi prohiberentur, neceſſariò ad aliud conſilium deſcenderunt. A Sequanis, datis etiam obſidibus, impetrant, vti per illorum fines, abſque cuiuſquàm iniuriâ, ſibi iter facere liceat: quod cùm Cæſar impedire non poſſet, maioribus vndecunque adductis copijs, illos inſequi cœpit; maximè cùm ad illum Ædui, Ambarri, & Allobroges triſtibus querelis deferrent, agros ſuos ab ingratis advenis vaſtari, ſéque vim ægre ipſis oppidis defendere: pervenerant commodùm Boii, ſociíque ad Ararim flumen, illúdque ratibus, & lintribus junctis tranſibant; jámque reliquis copijs tranſportatis, quarta tantùm pars, quam Tigurinus Helvetiorum pagus efficiebat, alterâ conſiſtebat ripâ; eam ſolam, & omnis ignaram periculi, repentino adventu, Cęſar obruit, &, pręter eos, quibus ſilvæ fuga petitæ ſaluti fuere, omnes concîdit. Ararim deinde tumultuario ponte junxit, & copias om-

Iis Cæsar armatas copiasq; reicit.

nes vno die transportavit, quod vix hominis opus hostibus visum est; vno eum die fecisse, quod ipsi ægre diebus integris viginti potuissent; eâque ex celeritate reliquum ingenium Ducis æstimātes, per legatos cum eo agere, antequam arma experirentur, maluere; sed nihil effectū, colloquentium pertinaciâ; dum conditiones vtrique dare volunt, neutri accipere; cùm ingenia propè paria convenissent, nulli ante vim cessura. Igitur cástra indè mota hostilibus animis; & fuit, cùm, indulgentiâ Fortunæ, quingenti Helvetiorum Equites, quatuor millia Romanorum itidem equitum repulerūt; quod illi in totius belli omen, blando præsagio, nequicquam traxere. Tandem post dies complures, ad Bibracte oppidum de summa rei pugnatum est. Priores Helvetij sui copiam fecere, quibus equitatum Cæsar obiecit, vt aciem tantisper instrueret; nostri, equitatu Romanorum rejecto, cōfertissimi in primam etiam aciem irruêre; quam vbi vrgeri Cęsar vidit, consilium magnitudine animi eius dignum capit; primus ipse ex equo desilit in pedes, idémque facere reliquos jubet, vt nulli

PVGNA INTER BOIOS SOCIOSQVE ET CÆSAREM.

nulli nisi in forti dextrâ esset fiducia, fugæ spe abscissâ. Locus Romanis æquior erat, vt qui de colle pila spargerent in subeuntes; quibus cùm plura subinde scuta transverberarentur, conserti inter se hærebant, facultate pugnandi amissâ, & ad sola vulnera accipienda opportuni. tandem victi malis ad montem propinquum se recepere; quibus cùm Romani instarent, BOII, & Tulingi, quorum quindecim millia agmen claudebant, in Romanos ex latere invecti, non modò ipsi egregiè pugnarunt, sed & Helvetijs animos adauxere; vt damnatâ fugâ, desertóque monte, novas in hostem iras referrent. Tum demum Romanus omni vi connisus signa tripartitò intulit, & nostris omnia conantibus, omnia ausis, victoriam extorsit. Helvetij iterum in montem reiecti; BOII, & Tulingi ad impedimenta, & carros suos se recepere: etiam illic pugna fuit; cùm nostri ex loco superiore tela jacerent; alij inter rotas, & quà cuique opportunum fuit, tragulis, matarísque Romanos vulnerarent; multâ demum nocte, Romani etiam castris, & impedimẽtis potiti sunt.

Noſtri, præter Fortunam, accuſare neminem potuerunt; nam, ipſorum confeſſione hoſtium, tantâ virtute pugnatum eſt, vt, cùm ſeptimâ horâ prçliũ cœptum ſit, die toto nemo hoſtis tergum viderit. Hominum centum triginta millia prçlio ſuperfuere; ij properato itinere, die quarto in Lingonũ fines pervenere; qui cùm Cæſaris literis territi illos re nullâ juvarent, inopiâ coacti ad Cæſarem Legatos de deditione miſerunt. Cæſar cùm illos conſecutus eſſet, omnes armis & perfugis traditis redire in deſertam patriam juſſit, eámque incenſam reſtituere, ne Germani in vacantes ſedes, tranſito Rheno, ſeſe inferrent, magnum Romanorum provinciæ negotium faceſſituri. Supererant Boii, qui cùm hoc bello fortibus factis hoſtem ipſum in ſui admirationem rapuiſſent, & veterem famam, quam in Galliam attulerant, præſentibus documentis auxiſſent, Ædui, qui partes Cçſaris ſequebantur, vltro petiere, vt in ſuis finibus collocarentur, Gergobinâ vrbe illis ad habitandum attributa, &, niſi codices fallunt, alterâ etjam, quam de ſuo nomine Boiam dixe-

BOII INTER AEDVOS SEDES RECIPIVNT.

Cæſ. l. 7. de bell. Gall.

rc:

re: id eo fecere consilio, vt Germanis, quos hostes patiebantur, BOIORVM auxilia, pari robore, possent opponere: Galli enim cùm pravo more, & exitiabili, factionibus gauderent, non modò privatæ domus in dissidia scindebantur, sed integri etiam populi in contraria studia distrahebantur: sic illi sibi potentiam, & magnas clientelas quæri putabant, aut, si verum volumus, ad intestina bella perpetuum exercitum. Hic furor tum Galliam omnem invaserat, civitatésque inter se fatalibus odijs colliserat: Æduos aliæ, Sequanos aliæ sequebantur: cúmque diu Æduorum potiores partes, & firmior potentatus fuisset, Sequani toti Galliæ pernicioso consilio, Ariovistum Germaniæ Regem magnis jactutis, & pollicitationibus in Galliam pertraxere; per quem id quidem consecuti sunt, vt Æduos de principatu dejicerent, & miserrimis cladibus deformatos, & nobilitate omni, Senatu, & Equitatu amissis eò redigerent, vt non modò clientibus nihil in ipsis spei esset, sed ipsi jam alieno patrocinio viderentur indigere. propiùs tamẽ à periculo vltimi exitij ipsi

Sequani, qui vicerunt, fuere; nam malis quæsitum artibus imperium, in turpissimam brevi servitutem degeneravit; vt qui antea civili æmulatione offensi fuerant, nunc avarum, & crudelem dominum suis cervicibus impositum gemerent; & ne hoc quidem palàm; mussitandæ erant Regis iniuriæ miseriora passuris, si se miseros esse quererentur; quæ cùm ad Cæsarem delata essent, Æduos, & Sequanos de salute jam magis, quàm principatu solicitos impulit, ab Ariovisto vti desciscerent, à quo cùm nihil, præter ingens, & formidandum sibi imminere bellum facilè intelligerent, opportunè sanè Æduis BOIORVM ad se accessio fuit, quorum viribus res suas egregiè videbāt constabilitas. Quarto ab hac pugna anno BOIIS jam non Romanorum hostibus, sed socijs, virtutis fideíque probandæ insignis oblata est occasio. Vercingetorix Celtilli filius rerum novarum cupidus, specioso libertatis nomine jactato, apud nondum satis domitos Gallorum animos, magnos motus concitarat, jámque copias contraxerat provehēdis turbidis consilijs pares, quàs Gergobinę Bo-

A. V. C. 702. Cæs. l. 7. de bell. Gall.

IORVM

IORVM inter primas censuit admovendas: ea res magnas Cæsari peperit difficultates: nam si socios desertum iret, infamiã; si juvare maximè vellet, inopiam timebat: nondum enim mitigatâ hyeme difficilem rei frumentariç subvectionem fore, facilè prævidebat. tamen socios laborantes destituere, verecundia fuit. Igitur ad BOIOS præmittit, qui de suo adventu eos faciat certiores, durarent, & fortia hostibus pectora opponerent; sibi curæ fore, ne diuturnâ obsidione premerentur. Neque vana promissio fuit; simul ac enim Vercingetorix intellexit, Cæsarem adventare, obsidionem solvit. BOII deinde magnam, quãtumvis in re tenui, Cæsari operam præstitere; frumento pro modo agri recenter coli cœpti, largiter in ipsius castra convecto. Sed cùm haud multò pòst Gallia omnis ad libertatem armis repetendam exarsisset, consensu tot populorum victi, cùm detrectaturis imperium extrema quæq; impenderent, etiam illi in societatem belli descripti, jussíque, vnà cum Rauracis triginta millia conferre, contra Cæsarem, qui tum maximè Alexiam obsidebat, profecti sũt. BOII GERGOBINÆ OBSIDENTVR.

Exercitus omnis octo millibus equitum, CCXL. millibus peditum cōstabat, quem tamen incredibilis Cæsaris felicitas totùm concîdit, vel fugavit; ipsúmque Vercingetorigem, qui toti bello facem subjecerat, de rebus privatis, publicísq; desperare coëgit; qui cùm Cæsari volens ipse dederetur, phaleris, armísq; ad eius genua projectis, Virum inquit fortē, vir fortissime, vicisti. Certè hic hominum sensus fuit, tantas ad Alexiam à Cæsare res gestas, quantas audere vix hominis, perficere penè nullius, nisi Dei fuerit. Victoriâ insuper clementer vsus, Æduis, quibus plurimum semper indulserat, nihil durius imperavit, & captivos restituit; vt facilis æstimatio sit, BOIIS Æduorum clientibus & stipendiarijs, non dissimilem à patronis fortunam obtigisse. Illud certum est, cùm Æduorum neque hodie nomen supersit, BOIORVM res magnis auctas incrementis, non vno tantùm Galliæ loco conspicuas fuisse; quando & in extrema Aquitania, ad Garumnam fluvium, sitos Paullinus Christianus Poëta decantat; & inter novem populos eius provinciæ ipsi etiam recensentur;

BOII ITERVM A CÆSARE VINCVNTVR.

Paull. Epist. 3. Massonius.

ſentur; & quod mihi quidem in hac re palmarium, & inter decora BOICÆ Gentis inprimis illuſtre videtur, ipſum Regni Gallici diadema, ſummúmq; imperium ad BOIOS defluxiſſe, Gallici ipſi Scriptores propè conſenſu tradunt, dum Borbonios, qui tot Galliæ Principes, imò & Reges dederunt, à priſcis noſtris BOIIS deſcendere, tanquam indubitatum affirmant; vt primæ cladi per Cæſarem acceptæ ignoſcere liceat, quæ tam ſplendidæ Fortunæ locum fecit; cuius munera tum demum clara ſunt, quando invitæ, & colluctanti, inter vulnera, & ſanguinem extorta ſunt; quales coronæ omnes fuere, quas BOICA Gens in Italia, Boiohæmo, Aſia (tot enim locis hucvſque eam monſtravimus imperaſſe) tulit; nulla illarum Fortunæ potiùs beneficium fuit, quàm ſtipēdium Virtutis; quid enim adhuc niſi bella ſcripſimus? & in his ipſis quoties accuſanda Fortuna fuit, ob pravum jvdicium, quo fortibus viris, & victoriam meritis ſola vulnera, & acerbas mortes impegit. Sed in viam revertamur. BORBONII BOIORUM PROPAGO.

VNO, antequam à Cæſare ad Alexiam pugnatum eſt, anno, Romani triumphi VIII. A.V.C. 701.

ingenti clade interpellati sunt. M. enim Crassus, quem Divitem omnis Roma dicebat, vni sibi adhuc pauper visus, ad Parthicum aurum, per hominum Deorúmque iras properans, exitum nactus est, qualem avaritia merebatur, quæ illum in hoc bellum miserat; aurum coactus est jam mortuus bibere, quod illi Orodes Rex, acerbo ludibrio, in rictum infudit. Hunc ad infaustam expeditionem abeuntem, & per Galatiam tendentem, Deiotarus TOLISTO-BOIVS, omni humanitatis genere, pro sua erga omnes Romanos fide, coluit: is jam ætate senectâ novam vrbem moliebatur; id intempestivum Crasso visum, de vrbe hominem cogitare, quem cani ad vrnam juberent respicere; & suaviter cavillatus, Vmbra te credo, Deiotare, fefellit; longum negotium post horam duodecimam aggressus es. Sensit Rex, quò tenderet, eundém que illi jocum remensus est: Et tu, mi Crasse, ad antelucanũ opus, post meridiem proficisceris; & occidente jam sole, in Orientem properas. Vterque alteri verum dixit; debebant ambo juveniles curas ætatis excusatione rejicere; nam & Cras-

CRASSI CVM DEIOTARO FAMILIARIS CONGRESSVS.

Plut. in Crass. Appian. Parth. 1.

Craſſus ſexageſimum annum exceſſerat, poterátque honeſtiorem mortem in patria opperiri, ſi illi per avaritiam id licuiſſet. Biennio poſt Craſſi cladem, Cicero Proconſul in Ciliciam venit, ibíque propter res geſtas Imperator appellatus eſt. Huius Eloquentiæ omnis principis, & maximi in Repub. viri advẽtum in Aſiam inter ea pono, quæ vnquam BOICÆ Genti glorioſiſſima contigerunt; ſic enim acerrimo virtutum omnium æſtimatori, Deiotari propiùs cognoſcendi oblata occaſio eſt, ne illum alieno potiùs judicio amaret, quàm ſuo. Enimverò in Ciceronis literas, & divina irrepſiſſe ſcripta, & illius ore, manúque laudari, neſcio, an non Deiotaro regno ipſo charius fuerit; prę ſertim cùm in illo non modò inſignis armorũ peritia fuerit, quod illi cum tota Gente BOICA, quam hucvſque armatam ferè laudavimus, commune fuit, ſed etiam ingenij cultus, & literarum amor; cuius ex eo facere conjecturam poſſis, quod Diophanes Magonis Carthaginenſis, de re ruſtica libros, in compendium redactos, illi conſecrarit. Atqui Deiotaro cum Cicerone & familiari-

CICERONE DEIOTARVS FAMILIARISSIME VSVS.

Varro de re ruſt. l. 1. c. 1.

liaritas intima intercessit, & illius disertissimâ linguâ super omnes Reges elatus est, vt ille quidem laudum præconē nulli, omnes illi invidere possint. Sic ille ad Senatum omnem Romanum, sic ad gravissimum virum Catonem, sic ad Atticum scripsit, vt nihil ijs testimonijs Regi posset accidere honestius. Cicerones etiam, suum, & Q. fratris filium, Deiotari Regis filio, qui non ita pridem à Senatu Rex erat appellatus, dum ipse in æstivis esset, in regnum dedit deducēdos, quòd illum pueris locum esse bellissimum duceret. Erat Deiotarus hic matre ancillâ natus; nam Stratonice Patris vxor, cùm sterilitate laboraret, rem rari in fœmina exempli, & quæ illo seculo laudem habuit, fecit; marito auctor fuit, quęrendæ, ex quacunque fœmina, prolis, ne suo vitio Regnum hærede careret. Electram etiam emendatissimæ formæ virginem, ex ancillarum tamen grege, eidem conciliavit; huic vxor, Regina, amans, non modò locum, & jus suum concessit, sed natos ex ea liberos pro suis educavit, digna certè, quæ non tantùm affectu mater esset. Porrò Deiotarus pater quadringenarias

l. 15. Epist. ad Fam.

l. 1. Epist. ad Att.

Plut. de claris Mul.

narias

narias cohortes triginta, & bis mille equites Ciceroni adduxit, vt dimidium totius exercitus Rex conficeret, quod Cicero ipse ad Atticum ſcripſit, ſe adventu Deiotari ſuum exercitum duplicaturum. Quibus auxilijs fretus Cicero res maximas geſſit; nam cùm eadem ipſa caſtra haberet, quæ olim contra Darium inſederat, apud Iſſum, Alexander, Imperator, vt in ſe Cicero vrbanè jocabatur, haud paulò quàm ipſe melior; direpto per quinque dies, & vaſtato monte Amano, ſempiternum hoſtem, ſic ipſe loquitur, indè deturbavit; Parthos etiam imminentes, Panico timore conſternatos, repulit; Pindeniſſum cepit; adeò vt & Imperator appellatus, & triumphum ſperare auſus ſit. Secuta ſunt deinceps tempora, de quibus queri Deiotarus poſſet, ſi vnius hominis infelicis rationem, in ruina publica, haberi fas eſſet; cùm ineptum votum ſit, orbe terrarum in exitium tracto, nolle cum vniverſo rapi. Sic enim fuit, cùm Cæſar, & Pompeius patriam ſuam Romã, quam ipſi orbis dominam fecerãt, quaſi pietatis ſuæ eos pœnituiſſet, totius Imperij, id eſt omnium terrarum

lib. 5.

Cicero avxilio Deiotari res maximas egit.

Deiotarvs partes Pompeii seqvitvr.

rarum viribus lacerare, & conficere aggressi sunt; totus orbis in partibus stetit, & pro duorum Ducum ambitione collisus est; vt hunc vnum liceat appellare maximum, qui vnquam fuit, terræ motum. Tunc ergo etiam Deiotaro Romana societas, quæ illi eousque ornamento fuerat, cœpit esse perniciosa. Castra secutus est, in quibus melior causa, quàm Fortuna fuit; Pompeio se applicuit; quippeni? optimè de se merito, quem Cato, quem Cicero, quem sanior Senatûs pars animis armísque juvarent: difficile fuit ab his omnibus dissentire; cùm etiam desipere cum Catone, sapientia videretur; à cælo insuper, & Deo huc impelli se credebat; ita enim tum auguria interpretabantur, in quibus multus omnino Deiotarus fuit, vt qui nihil nisi auspicatò gereret; tantâ ad omnem avium garritum credulitate, vt sæpe ex itinere reverteretur, jam multorũ dierum viam progressus, si mala avis triste aliquid occinuisset; quæ hominis superstitio fortuitis subinde eventis alebatur; nam conspectâ quondam aquilâ domum redijt, veluti jussus; & sanè conclave, quod illum exceptu-

DEIOTARVS NIHIL NISI AVSPICATO AGGREDI SOLITVS
Cic. 1. & 2. de Divin.

cepturum erat, proximâ nocte corruit: tunc ergo super Pompeij, totiúsque belli fato augurium captanti, felicia omnia aves addixere; Igitur sexcentos equites ipse adduxit, homo jam magno natu, & qui per vires in equum conscendere ipse nequibat, & plurium manibus in eum levatus, sic etiam admirationi erat, quòd in eo hærere posset. Tarcundarius Castor gener Regis, & Donilaus, ambo Galatæ, octingentos equites Pompeio submisere; sed Tarcundarius Castorem filium, ex Deiotari filia genitũ, cum Donilao, pro se ire jussit. Belli illius successus nihil attinet hîc persequi; Philippicos campos, & Pharsalicas acies, quibus vrbis, imperij, & generis adeò humani fata commissa sunt, etiam pueri decantant: huc enim tandem infelicis superbiæ magna molimina erumpunt, vt, quod tam seriò actũ, deliratúmque est, declamatio fiat: Pompeius victoriâ, & planè etiam cognomine amissis, vt turpiùs periret, & cervicem alibi vilissimo spadoni, & desertori suo Septimio præberet, fugâ se abripuit; comes illi Deiotarus hęsit cum paucis, quos illi Fortuna eripere non potuit; vnde Lucanus

Cæsar l. 3. de Bell. Civili.

DEIOTARVS POMPEII ETIAM IN FVGA SOCIVS.

canus illum, quòd fidem à Fortuna suspensam non habuisset, pulchro nomine, fidissimum Regum appellavit. Et ille quidem hunc Fortunæ impetum spiritu tam generoso concoxit, vt sæpe diceret, auspiciorum, quę sibi ad Pompeium proficiscenti facta sint, non posse se pœnitere; Senatus enim auctoritatem, & Populi Rom. libertatem, atque dignitatem imperij, suis armis esse defensam; sibíq; eas aves, quibus auctoribus officium, & fidem secutus esset, bene consuluisse; antiquiorem enim sibi fuisse laudem & gloriam, quàm regnum, & possessiones suas; quam illius constãtiam mirificè Cicero, ex quo ista sũpsimus, deprædicat, eúmq; non avium, sed Virtutis auspicijs vsũ ait; quæ vetat spectare Fortunam, dum præstetur fides; cui cùm abundè satisfactum esset, tandem tempori cessit, stultum ratus, pro Pompeio pugnare occiso, & longæ spei vmbram sequi. Accessit ergo Cæsari, cuius causam jam belli eventus probabiliorem reddebat, & clementia insuper commendabat; cùm gladium, nisi in acie, nunquam cruentasset: igitur cùm Cæsarem bellum Alexandrinum excepisset,

pisset, nulla in re ipsi defuit, omnibus illius vtilitatibus paruit. Interea Pharnaces Mithridatis filius, illius temporis fiduciâ, quo sceleribus concessa impunitas videbatur, finitimos Reges vexare aggressus, Armeniam minorem, quæ Deiotari erat, & Cappadociam, quam Ariobarzanes tenebat, populabatur; Deiotarus Cn. Domitij Calvini, quem Asiæ Cæsar præposuerat, opem imploravit, quam nisi afferret præsentem, non posse se imperata facere, aut Cæsari promissam pecuniam persolvere: Domitius cùm legationibus, quibus Pharnacis animum tentârat, nihil proficeret, armis illum aggressus est; legiones quatuor ducebat, quarum duæ Deiotari erant, ad Romanæ militiæ disciplinam instructæ; his equites centum adiecit, totidem Ariobarzanes; sed pugna nostris adversa fuit, & Deiotarianæ legiones magnam partem concisæ sunt. Pharnaces victoriâ insolentior factus, crudelitate, quam in Romanos exercuit, ipsum in se Cæsarem provocavit; qui more fulminis in Pharnacem illatus propè momento venit, percussit, abscessit; vnde illius vera vox fuit, hostem à se

A. V. C. 707. *Appian. in Mithrid. Hist. bell. Alex. Florus, &c.*

DEIOTARI BELLVM CVM PHARNACE.

DEIOTARVS CÆSARI SVPPLEX.

priùs victum, quàm visum esse. Deiotarus vbi Cæsarem propiùs ad fines Galatiæ accessisse intellexit, vt eius in se animum mitigaret, quem offensum noverat, quòd Pompeij partibus favisset, abjecto Regio cultu, non modò ad privatæ mediocritatem fortunæ, sed ad ipsum reorum squalorem se submisit, & vir eâ ætate, honore, & in Romanos fide, Cæsari pro seipso supplex factus, veniã errori suo petijt, à quo in illud fatale bellum esset immersus; hominem se longinquum, & alienigenam, falsis rumoribus deceptum, qui totâ Asiâ pro veris valuissent, arma pro Rep. corripuisse; hoc enim solum nomen jactatum fuisse; cui sicut reliquam vitam omnem consecrârat, ita caniciem suam, & vltimas vigoris pristini reliquias impendendas esse existimasse: eo se in Remp. animo semper fuisse, vt cùm periclitari eam intelligeret, neque satis sciret, vnde, aut quomodo, voluisse se in vltimo officio mori; vt ferrum, in illam, nisi per latus & jugulum suum, ire non posset. Cùm hæc aliáque multâ, miserandus senex pro se diceret, Cæsari tamẽ purgare se non potuit; quódque vnum ad misericordiam valere debebat,

bat,in odium vertit. Cętera enim ſe agnoſcere,imò & ignoſcere Cæſar dicebat; ſenium illius contra ipſum cauſam dicere, quod excuſationem imprudentiæ, & erroris non admittat; & non modò nimis pertinacis erga Pompeium ſtudij,ſed etiam in ſe odij ipſum arguat; vt cui ſatis non fuerit, auxilia mittere, iiſque filium præficere; ſed ipſummet ætate non modò feſſum, ſed fractum etiam, quæ illi honeſtiſſimam miſſionem jam pridem dederit, tamen properaſſe ad ſigna, & in tam longinqua caſtra profectum, vetulum militem adhuc jactaſſe vires ſuas; nempe contra Cæſarem pugnaturum,ſatis adhuc juvenem fuiſſe. Ingreſſus deinde commemorare ſua erga ipſum beneficia, non ita malè ſe de Deiotaro meritum querebatur, vt talem ſibi gratiam rependeret; tamen ſuo ingenio vſurum, & clementiâ probaturum, indignum ſe fuiſſe, quem Deiotarus aliquando armis perſequeretur; nolle ſe novo hoſti iraſci, ſed veteri hoſpiti ignoſcere. Sed cùm inſuper Tetrarchæ reliqui nimiã illius potentiam criminando apud Cæſarem traducerent; nullo neq; veteri, neque adeò

bono more factum esse, vt ille totâ ferè Galatiâ solus potiretur; eius controversiæ cognoscendæ aliud tempus fore respondit; legionem vnam ad Romanos mores instructam, & equitatum omnem ad se adducere jussit. Sed quàm bonâ fide cum ipso in gratiam redijsset, paulò pòst declaravit, cùm illi minorem Armeniam abstulit, eámque Ariobarzani dedit; Trocmorum etiam Tetrarchiam Mithridati Pergameno asseclæ suo adjudicavit; vt Deiotaro magna pars maiestatis, & gloriæ sit detracta; quam ille jacturam, si Ciceroni credimus, adeò placidè tulit, vt Cæsari non modò non succenseret, sed benignè secum actum putaret, quòd difficili procuratione liberatus, cum magno imperio magnas curas amisisset; & datum sibi à Cæsare arbitraretur, quidquid non eripuerat. Sed subsecuta brevi tempestas est, quæ Deiotarum non in fortunarũ modò, sed etiam capitis discrimen prorsus immerentem impulit; quæ quidem eò acerbior fuit, quòd ijs auctoribus conflata est, qui cùm Deiotaro vitam deberent, illi nunc ereptum ibant suam, crudelissimo invẽto; vt parri-

DEIOTARVS DIMINVTIONEM POTENTIÆ ÆQVISSIMO ANIMO FERT.

Orat. pro Deiotaro.

A.V.C. 709.

parricidæ esse possent, illi homicidiū impegerunt. Castor Deiotari ex filia nepos, Castoris filius, pessimam in senis Avi caput fabulam composuit, ipso fortasse immortali illius senio offensus, quod ad hæreditatem properantibus etiam in patre molestum est: Nôrat Deiotarum gratiâ Cæsaris excidisse, non optimâ fide receptum, ægre hærere, & facilè expungi posse, si specioso mendacio in illum arietasset. Id ad hunc modum concinnat. Deiotaro in mente fuisse, Cæsarem occidere; insidias ita composuisse, vt, cùm in castello Luceio Cæsar diuertisset, lautus in locum certum deduceretur, velut ad inspicienda munera, quæ Rex hospiti parasset; eodem abditos milites fuisse, in Cæsaris perniciem armatos. Illum Deorum beneficio, & æternâ fortunâ suâ, cùm eum vivere terrarum orbis interesset, præsenti periculo ereptum, crudelis hospitis manus effugisse. Addita erant mendacia minuscula complura, criminationis appendices; quædam etiam tam stolidè consuta, vt nullo impellente ruerent; quale illud fuit, Deiotarū, quibusdam Cæsaris cladibus nunciatis, adeò ge-

DEIOTARVS INSIDIARVM CÆSARI STRVCTARVM FALSÒ ACCVSATVS:

ſtijſſe, vt & vino ſe obruerit, & nudus in convivio ſaltârit. Hæc indicio Philippi medici ſervi regij ſibi comperta, eſſe, quem precio corruptum, abductúmq; ab avo, Romam ſecum traxerat, ad conciliandam mendacio fidem. Regis cauſam Cicero egit tam diſertâ oratione, adeóque effuſa in Regis laudes, vt putem Deiotaro huius invidiæ falſæ atque iniquæ tempeſtatem ſubire, tanti fuiſſe. hoc ille patrono abſolutus, non tamen ſuſpicione criminis liberatus eſt; tot enim hominibus Cæſar vitam eripuerat, vt de ſua ſolicitus eſſe cogeretur: ſed nimirum non habuit ſuſpectas illas manus, quæ viginti & tria vulnera ipſi in curia inflixerunt: Deiorarus in ijs non fuit; etſi conjuratorũ nemo Cæſari, Rege ipſo juſtiùs iraſci potuit; omnia huic eripuerat, illis omnia dederat; & tamen eoſdem, nuper commilitones ſuos, Pompeio pridem occiſo, expertus eſt Pompeianos. Legati interim Regis Romæ ſubſtiterant, in omnem rei bene gerendæ occaſionem intenti, vt Deiotari res afflictas iterum erigerent; illos Antonius Conſul, is qui Ciceronis Philippicis peiùs, quàm Cęſar gladijs

Cic. Orat. pro Deiotaro.

DEIOTARI INNOCENTIA A CICERONE DEFENSA.

Philipp. 2.

gladijs

gladijs compunctus est, ad se vocat, decretum ijs vendit, quo Cæsar mortuus Regi ea, quæ vivus abstulerat, reddebat; id homini illi facile fuit; nam cùm testamentum Cæsaris occupasset, infinitis commentarijs insertis, & innumerabilibus chirographis ementitis, omnia omnibus vendebat, velut ex Cæsaris voluntate. ita acervi nummorum apud Antonium construebantur, vt pecuniæ illic non numerarentur, sed appenderentur; & syngrapha quidem illa H S centies facta est; quanquam Deiotarus mendacem illam tabulam non expectavit, quâ in integrum restitueretur; sed simul atque Cæsaris interitum audivit, suo Marte res suas recuperavit, antiquissimo jure vsus, quo ea, quæ per Tyrannos erepta sunt, ijsdem interfectis, recuperari posse omnes Gentes sentiunt. Castorem etiam egregium illum generum suum, quo dictante, criminatio illa apud Cæsarem conficta erat, cum vxore illius, filiâ sua, interfecit. Rectè eum hominem, quisnam esset, antequam gener Regis fieret, nescitum fuisse Cicero dixit, & post illas tam beatas nuptias demum in lucem esse protractum.

DEIOTARVS SVA RECVPERAT.

Pro Deiot.

Nam etiam de patria illius dubitatũ fuit; cùm alij Galatã, alij Rhodium, Massiliensem alij dicerent: Literator tamen fuit, & fortasse eo nomine in tãtam Regis humanissimi venerat dignationem. Philo-Romæi nomen ipse sibi adsciverit, an ab alio acceperit, haud satis constat; famam etiam libris vulgatis quæsivit, quorum Suidas haud paucos recenset. Eiusdem odio etiam Gorbeium, quæ illi sedes fuerat, dirutum, magnâ quoq; pagi parte vastatâ. Cæterùm Deiotari Fortuna domesticis calamitatibus pluribus contaminata est, vt præstabilius fuerit, patrem non fieri. Elocaverat alteram filiam Brogitaro cuidam, impuro itidẽ & nefario, quod postea compertum est, homini, quem satis infamavit, qui Publij Clodij amicum dixerit; is enim fani Pessinuntij, toto orbe celeberrimi, sacerdotium Brogitaro pecuniâ addictũ tradidit; Regem etiam, vnà cum Deiotaro, vocari voluit; quanquam Deiotarus Pessinuntem ex illius manibus eripuit, nec passus est, ceremonias ab omni vetustate acceptas, à monstro illo pollui. Neque in filijs felicior fuit, quos, sive quòd noxæ essent, sive

VARIÆ DEIOTARI CALAMITATES.

Suidas v. Castor.

Cic. de Arusp. respons.

ſive, quòd in Deiotarum filiorũ chariſſimum propenſior, magnum illi certúmq; relinquere imperium cogitabat, nefario conſilio, quo vnó tot veras laudes corrupit, de medio ſuſtulit. quanquam Regnum, quod filio, hac immanitate, pulchrè ſtabilitum credidit, ad illum ne transmiſit quidem. Duos enim poſt Deiotarum Tetrarchas novimus, Caſtorem alterum, illum ipſum fortaſſe, qui, criminando apud Cæſarem, vitæ illius inſidias ſtruxit; qui cùm rerum quadriẽnio potitus eſſet, ſumma imperij ad Amyntam olim Deiotari ſcribam, & copiarum præfectum eſt devoluta, de quo pluſcula tradenda videntur. Cùm poſt Cæſaris necem, qui vnus Romanæ libertati officere credebatur, neque ipſi eius vindices Caſſius & Brutus ſecuri eſſent, & Roma pro vno, eóq; non immitiſſimo, triplex jugum, Triumviros accepiſſet, iterum civilia arma, & furioſiùs etiam mota ſũt, orbíque terrarum cum Roma fuit inſaniendum: tractus etiam in partem Deiotarus, à Caſſio primùm ſolicitatus, qui tamen auxiliorum nihil impetravit; ſed Bruto eadem impenſiùs flagitanti negare

FILIOS SVOS DE MEDIO TOLLIT.

Plut. de Stoicor. repugn.

A.V.C. 712.

Dio. l. 47. & 49.

DEIOTARVS BRVTO AVXILIA MITTIT.

erubuit, memor, illum ſuam apud Cæſarem cauſam fideli patrocinio juviſſe. Igitur hunc, quem diximus, Amyntam cum copijs miſit, hominem verſatili ingenio, quíque Fortunam libētiùs, quàm fidem in conſilium adhiberet; vnde mox à Philippenſi pugnâ ad Antonium tranſijt. Deiotaro ne fraudi eſſe poſſet, Antonij inimicos coluiſſe, opportuna mors interceſſit; cuius Regnum Caſtor, quem dixi, quadriennio obtinuit; & proximè poſt illum Amyntas, Antonij, ſine dubio, beneficio: ſed ille dominos ex vtilitate mutare ſolitus, vbi etiam illius res nutare ſenſit, non expectato Actiacæ pugnæ eventu, Cæſarem Octavium ſecutùs eſt. Vbi ex Romanis ſe bellis extricavit, per Galatiam, Pamphyliam, atque Lycaoniam latè imperavit, nullámque augendæ rei familiaris rationem neglexit; ipſe etiam Deiotari exemplo, atque vti ego exiſtimo, ex conſuetudine omnium Galatiæ populorum, diligentiſſimus pecuarius, vt qui ad vicum Garſoboram ſupra trecentos ovium greges haberet, ex quibus de reliquis æſtimatio fieri poteſt. Salem ex Tattæ lacu petebat, & copioſum,

CASTOR ET AMYNTAS POST DEIOTARVM TOLISTOBOIIS IMPERANT.

AMYNTÆ OPES ET BELLA.

Strab. l. 12.

ſum, & nullius propè operæ; tanta enim eorum fontium ſpiſſitudo eſt, vt cuicunque rei adhæſerit aqua, mox denſata in grumos, aliter non decoquatur; Avibus ob id nunquam ſine periculo tentata; vbi enim alis aquam ſummam temerè plauſerint, eæ mox ſale incruſtatæ, neque pro libitu contrahi, neque explicari ad volatum poſſunt. Salem ipſum Plinius oculis vtilem eſſe ſcripſit. Amyntas his naturæ opibus dives, etiam manu fines regni ſui proferebat; in Iſauros cùm moviſſet, Derbe expugnatâ, Antipatrum veterem Ciceronis hoſpitem, loci illius dominum interemit. Iſauram cùm beneficio Romanorum poſſideret, inſtaurare novis ædificijs aggreſſus, operi eſt immortuus: fatū illi ignobile obtigit; nam cùm in Homonades moviſſet, qui vni homines nulli vnquam de ſe triumphum conceſſere, vt vulgo inſuperabiles haberentur; multis eorum locis vi potitus, & tyranno interfecto, cùm viros debellaſſet, mulieris fraude, quæ tyranni vxor fuit, captus, conſentaneā vitæ ſuæ mortem nactus eſt, fide toties proditâ meritus, vt dolis fœminæ, quæ alia arma non novit,

Plinius lib. 31. cap. 7.

novit, perfidia ipsius succumberet. Post Amyntam Galatia in provinciæ formam redacta; eíque ab Augusto Cæsare Proprætor primus Lollius datus est: neque tamen aut Galatæ loco, aut omnibus honoribus pulsi; cùm etiam Augusto Cæsare, magno quosdam loco & auctoritate fuisse, reperiam: juvat illustrandæ rei admirandum omni ævo exemplum adducere, quod si solum esset, non vni modò familiæ, sed Genti etiam iniuriosum barbariei cognomentum, quod Græca Romanáque superbia populis plerisque affinxit, detrahere posset, & contumeliam suis auctoribus impingere.

GALATIA IN PROVINCIÆ FORMAM REDACTA.

Strab. l. 12.

VIII.

ILLVSTRE FRATERNÆ CHARITATIS APVD GALATAS DOCVMENTVM.

ERAT Heracliæ, quæ vrbs ad Ponticam provinciam pertinet, Colonia Romanorum in partem vrbis, & agri admissa, cui paulò ante Actiacam pugnam, Adiatorix Demeneclij Galatarum tetrarchæ filius ab Antonio præesse jussus est. qui cum eò furoris prolapsus esset, ut nihil sani neq; facere ipse, neq; jubere quidem posset, Adiatorigi repentè imperat, vt in Romanos omnes illius coloniæ ferro grassetur; ille quantumvis crudelis mandati obedientiam ad suam fidem perti-

pertinere, neq; concessum sibi de herili sententiâ judicium, ratus, in eos, quos Antonius gladio subjecisset, vt hostes, ferrum strinxit. Verùm cùm Augustus rerum potitus esset, Adiatorix ab eodem in triumphum ductus est, tribus filijs, & vxore, ad eandem miserabilem pompam damnatis. Cùm deinde à curru pater, cum majore filio, ad supplicium, jubente Cæsare, raperetur; medius natu, in illa infami via, inter carnificum turmas, extremâ, & fatali horâ, quæ, ob tristissimum divortium, non tantùm ex oculis lachrymas, sed propè animam è corpore extrahebat, fortissimum consilium reperit, quomodo ex charissimis sibi mortalibus duobus, neutrum amitteret, alterum etiam servaret. Cùm jam lictores ferrum expedirent, & fratri manus colligarent, vociferari, & de injuria sua, & de Imperatorij mandati prævaricatione, plenus irarum queri cœpit. Credebant astantes, illum inanibus lacrymis precibúsq; pro patris, aut fratris vitá laboraturum; cùm ille vltro cervicem nudare, & se carnifici offerre, sibíque, non fratri suo moriendum, clamare; mortem sibi imperio

Cæsa-

Cæſaris, & beneficio ætatis deberi; ſe enim natu eſſe grandiorem. Quid frater, ad manifeſtum, ſed vtiliſſimum ſibi mendacium? nimirum ſua etiam confeſſione, aut certè ſilentio illud juvit? Nihil minus; ſed potiùs fratris interceſſionem deteſtari, obteſtari parentes, ne paterentur ab illo jura naturæ confundi; prorſus vt crederes, velut in cernenda hæreditate, vtrumque, privilegio ætatis, ſibi majores opes quærere. Inaudita ambos cauſa eloquentes faciebat; certabatur, vter mori poſſet; & in hoc argumenta colligebantur, quibus ille mendacium, ille ſententiam Cæſaris, & jus naturæ tueretur. Hæc prima inter illos fratres diſcordia fuit; novâ odij causâ inventâ, nimio amore. Cum lis finem non inveniret, itum eſt ad parentes, qui ſoli eſſe judices poterant; ſed erat miſerabilis cauſa, neque agitanda ad tam mite tribunal. Tum demum miſeri conjuges agnovêre, quales genuiſſent; & vel ob hoc certamẽ vtrumque dignum eſſe, qui viveret. quem nominaret triſtis pater ſecum moriturum? quem mater vellet perdere? vtrumcunq; ſervaret, videbat

bat alterum ad gladium ſe dare, neque piam eſſe poſſe, niſi ſimul eſſet crudelis; certè ſi novo mendacio color ſupereſſet, diceret, ſe à Cæſare damnatam; & pater tum maximè cuperet bis poſſe mori. Prenſabant interim duo mortis candidati, & parentum ſuorum ſuffragium, novo genere ambitûs, contra quem nulla lex lata eſt, emendicabant; & ſinceriſſimis lacrymis vterq; amoliebatur repulſam. Sed apparebat, majorem natu ad aliud tribunal provocaturum, ſi pater contra ſe pronunciaſſet; & tamen, quanquam cor illi propè rumperetur, quod hujus litis arbiter eſſe cogeretur, propenſior erat in juniorem, qui prior fraternas acies commiſiſſet; nimirum contentioſus hic litigator, & tam piè mendax, viſus eſt illi morte dignior. Exorandus tamē filius major fuit, vt patris judicio eſſet contentus; hoc vltimùm petebat, vt plus ſuam, quàm Cæſaris ſententiam poſſe pateretur; tutiùs offendi Auguſtum, quàm fratrem, & patrem; ſibi certè glorioſum fore, filium à gladio liberaſſe, quem Cæſar damnaverat; quæcunq; deinceps matrem, & ſuperſtitem alte-

alterum ex filijs fortuna excepiſſet, ſpei in ipſo plus eſſe; vſu rerum gerendarum, matris ipſum fortunas fortaſſis erectu-rum; ſibi ad ſocietatem mortis non opus eſſe filio prudentiore; minorem, amoris magiſterio, ad vnum ictum excipiendum, ſatis eſſe doctum. Reluctanti nihilominus, manus violenti amoris injectæ; & patris, matris, fratriſque precibus victus eſt; cùm præſertim vterq; parens, pro fratris mendacio, valituram poſſent ſententiam dicere; vt ille tribus potentiſſimis teſtibus obrueretur: deſperatâ ergo certiſſimæ cauſæ victoriâ, fratri jure ſuo ceſſit indignabundus, illíque carnificem, & ferrum, & mortem, &, quod triſtiſſimum fuit, patrem invidens, chariſſimis funeribus lachrymas affudit, libentiùs, ſi per vtrumque parentem licuiſſet, ſanguinem daturus. Hoc pij certamen amoris vbi ad Auguſtum perlatum eſt, indoluit, ſe triſti ſententiâ mutuò tam amantes diviſiſſe, & tum demum ſe moneri, quando in ea nihil corrigere poſſet: tantæ enim virtuti, etiam in acerbiori hoſte, non potuiſſet iraſci. Quod potuit, fecit; ſuperſtites omni humanitate proſecutus eſt,

est, maximum natu, qui Dyteutus à quibusdam dicitur, mendosè, vti existimo, splendido sacerdotio, in Cumanis Ponticis, honoravit, quod ijs ferè concedebatur, qui Reges sanguine contingerent. Minoris nomen non proditur; factum tamen immortale erit; cui vt vetustas aliquid conferat, ad Castoris & Pollucis fabulas currendum erit; in quibus tamen, vt omnia largè credamus, nihil est ad nostros Commorientes.

IX. BOIORVM QVI INTER TAVRISCOS CONSEDERANT BELLA CVM RÆTIS ET DACIS *Strab. l. 4.*

BOIOS interim, qui ex Italia ad Tauriscos abierant, perpetua bella exercebant, duarum potissimùm Gentium, Rætorum & Dacorum odijs conflata. De Rætis hoc solùm Strabo cõmemorat, quòd fortasse etiam ad Vindelicos potest pertinere; illos, cùm in omnem partem incursiones facerent, & à Meridie Italiam, à Septentrionibus Germanos, ab occidente Sole Helvetios & Sequanos, ab Oriente BOIOS haberent, bella cum his omnibus gessisse; quorum eventum, tacẽtibus vbiq; literis, tantò post nati, frustra indagemus. Odiorum tamen erga BOIOS causas veteres habuisse, non nescio; nam maiores suos olim, à BOIIS, fe-

Liv.l.5.Dec.1. liciſſimo Italiæ ſolo pulſos, vt ſera magnæ omnis iniuriæ oblivio eſt, poterant etiam tunc meminiſſe. Jam ſi ex eorum ingenio coniecturam facere licet, nihil verebor affirmare, Boios truculentiores hoſtes vix alios vnquam habuiſſe: nam moribus illorum receptũ fuit, nulli hominum parcere, non modò quem pubertas timendum faceret, ſed ne infantiæ quidem, in quam ſæviendi cauſam neque ipſa barbaries inveniret. imò parum erat, cunas ferro ſcrutari, quærere hoſtem heri natum, & nondum dignum hoc nomine, ſed ex ipſis matrum viſceribus execabantur morituri, antè, quàm naſcerentur, in qua crudelitatis indagine, ne fallerentur, coniectores & ariolos circumducebant, qui præmonerent, vter ſexus gravido ventre lateret. De Dacis perpetuis BOIORVM hoſtibus auctorem eundem habeo; ſed præter bellum vltimum, quod BOIIS exitium attulit, nihil hodie extat; illud in Auguſti ætatem incidit, quo tempore BOIIS Critaſirus Rex præerat, circa centeſimum octogeſimum annum, poſtquam ex Italia ad Tauriſcos commigraverant. Porrò Daci jam

Strab.l.4. *Dio l.54.*

RÆTORVM IMMANITAS.

Strab.l.5.

CRITASIRVS BOIORVM REX.

jam olim Gallica arma, à prima Brenni in Græciam expeditione, exercuere, magnis ſæpe ab illis cladibus affecti, quarum illa inſignis fuit, quam à Baſtarnis, etiam ipſa Gallica Gente accepere; ob quam Olor, ſive Oroles, qui Dacorum, eâ tempeſtate, Rex fuit, Dacos omnes inuſitatâ contumeliâ notavit: nam quoties capturi ſomnum erant, capita ad imam ſpondam, qui pedum antea locus fuit, transferre, & in Gynæceum abditos ancillari vxoribus ſuis juſſit, donec nocturnâ, diurnâque ignominiâ fatigati, prioris ignavię notam illuſtri fortitudinis exemplo edito, expungerent. Id quando potiſſimùm factum ſit, non habeo dicere. Illud conſtat, ſub hæc tempora, quibus Bærebiſtes in eos imperium accepit, neque magnâ famâ, neque viribus, opibúſque celebres fuiſſe: ille torporem exercitatione perpetuâ, maximéque adſtrictioris temperantiæ legibus excuſſit: ſciebat neminem faciliùs vinci, quàm ebrium; imò vinum ipſum fortium virorum venenum reputans, cogitabat vites omnes exſcindere; quod vt Populo volente faceret, hac ratione eſt conſecutus. Jam

Iuſtin. l. 32.

BÆREBISTES DACOS TEMPERANTIA IN BELLA ACVIT.

vetere Gentis consuetudine receptum erat, Regis consilijs temperãdis, socium & penè collegam admovere vnum aliquem, qui Deos propiore commercio familiariùs novisse, & eorum, quæ illi ad homines mandarent; interpres esse, quíque ipse, Dijs silentibus, fundere oracula posse crederetur; primus Zamolxis eum locum tenuerat, Pythagoræ quondam assecla, & servulus; in cuius contubernio cùm aliquid supra vulgus sapere, & loqui didicisset, de rerum causis, & ijs etiam, quæ supra nos sunt, tanquam olim in cęlum admissus, differebat, eò confidentiùs, quò nemo refellebat; neque mentiebatur semper, cùm siderum defectiones, aliáque barbaris incognita prædiceret. Ex qua illi re fama ingens collecta, eiúsque sapientia propè divina visa: vnde primùm cultui Dei, qui apud Getas maximus est, præfectus; paulò post, cùm Sacerdotij satur, Deus esse mallet, nemine refragante, nomen illud assumpsit, & in antrum abditus hominum congressu, venerationis augendę causâ, abstinuit, cum Rege tantùm colloquia miscens; rudem populum sibi deditum edictis in omnem partem

partem impellebat; mons, in quo antrum Zamolxin Deum abscōdebat, Cogæonus dictus: huic, Bærebistâ imperante, Decæneus successerat, eâdem vanitate homo, qui aliquamdiu in Ægypto, ipsissimâ superstitionum patriâ, peregrinatus, cùm omnia illius Gentis monstra collegisset, ad suos reversus, veterem Zamolxis famam renovavit, eius propè etjam divinitate occupatâ. Cùm ergo Bærebistæ ipsas cum temulentiâ tollere vites in mentem venisset, veritus, ad tam charas populo eripiēdas delicias, auctoritatem regiam parùm valituram, consilium cum Decæneo communicavit, vt ex antro illo sobrietatis lex, & vini proscriptio proferretur; ita, nemine contra Dei illius edictionem hiscere auso, in vites impetus factus, & pulcherrima res impetrata est, vt in Gente illâ barbarâ nemo ebrius esse vellet, aut posset. facile deinde Berebistę fuit, sobrios ad omnem militaris disciplinæ patientiam traducere, útque illi paulò antè ignavi, nunc armis, quàm poculis libentiùs certarent. Igitur plenos jam virilium animorum per Istrum transportat, qui mox in Thra- Strab.lib.7.

 cia,

cia, Illyrico, Macedoniá ea roboris sui documenta reliquerunt, vt facilè appareret, illos crapulam pridem exhalasse, fortiorémque ab aqua manum attulisse. Atque hæc expeditio BOIIS fatalis fuit; adeò, vt Gente totâ ijs in locis excisâ, ager pascēdo pecori attributus, nihil præter nomen veterum incolarum retinuerit, BOIORVM Deserta dictus.

BOII QVI INTER TAVRISCOS RESEDERANT, FVNDITVS A DACIS DELETI.

X.

BOII BOIOHÆMO PVLSI A MARCOMANNIS.

NVNC in Bojohæmum, quò & annorum ordo, & similitudo fatorum nos vocat, ad alterum BOICÆ Gentis excidium concedamus. Possumus inter tristia spectacula duris assuescere, & ad hæc nostra tempora non tantùm bonum animum, sed etiam vultum afferre, de quibus nemo intemperanter queri potest, nisi qui sui tantùm ævi annales legit, vitæque incommoda, & calamitates heri secum natas putat. Igitur quod satis constat, Maroboduus Rex circa hæc tempora in Germania inclaruit; qui cùm ingenium quantivis imperij capax à natura accepisset, illud omnibus imperandi artibus juvenis adhuc excoluit; Romam enim delatus, & ab Augusto indulgenter habitus, maximam difficillimámque

Tacit. lib. 2. Ann. Strab. l. 7. Vell. Paterc. lib. 2.

rem,

rem, quæ aut in illa aula, & vrbe, aut nusquam doceri potuit, didicit, Imperare. Vrbs ipsa orbis domina, Cæsar dominus vrbis, maximi ambo magistri, scientiâ illum, & exemplis poterant augere: Româ ad Marcomannos reversus, hinc enim oriundus erat, brevi non suæ tantùm Gentis sibi principatum peperit, sed Luios insuper, Zumios, Butones, seu Gutones, Mugilones, Sibinos, & Suevorum Semnones, quos omnes nominare hodie, sed monstrare non possis, sibi subiecit, non precariò ad alienum arbitrium imperaturus, nullísque exceptionibus; sed jure maximo, & planè regio, cuius ipse nominis maiestatẽ animi magnitudine facilè implebat: suffragabatur etiam corpus, & digna imperio species, clarum genus, vires, ingenij vigor Romanâ exacutus disciplinâ, &, quæ vel singula illæ Gentes mirari possent, decora hic collecta habuit. Rebus domi stabilitis, ex magno regno maximum facturus, arma, terrorémque armorum, per finitimos populos circumferens, annuentes pariter, abnuentésque in potestatem redegit; eóque potentiæ & audaciæ prove-

MAROBODVVS REX MARCOMANNORVM, ILLIVSQVE MILITARIS PERITIA.

ctus est, vt vix Romanos sibi timendos putaret, timendus ipse: ita certè ferebat, ita legatos instruebat, vt medijs responsis, cùm pacem, bellúmque sinu ferrent, vtrumque tamen occultarent, in tempore, quod ex vsu videretur, prōpturi. Bellum interim, cùm etiam nullum gereret, meditabatur tamen; nam cùm septuaginta peditum millia, equitum quatuor ferè semper in armis haberet, facilè apparebat, magnarum ipsum rerum occasionem grándibus præludijs venari. Germaniæ quidem hic sensus fuit, aut hoc duce Romanis resisti, aut alio nullo posse; confluebant ergo passim ad illū omnes, quos Romani imperij satias, aut odium cepisset. Ipse interim nihilo ferocior fieri, neque quæ in præsentia gloriosa essent, prima ducere, sed consulere in longitudinem; Germaniæ incommoda pro disciplina, & præceptis habere, ad quæ se ipse expenderet; multa denique antecapere, , quæ olim vsui futura sciebat: inter quæ illud mihi palmariū est, quòd, cùm animadvertisset Romanos, latiùs quotidie serpentibus victorijs, non procul à suo regno grassari, jámque se vicinis af-
flari

flari incendijs, omnem ipſe Marcomannorum Gentem, patrijs ſedibus motam, in tutiora tranſtulerit loca, quæque longiùs à fulmine abeſſent. Nihil porrò ad tutelam opportunius Hercinijs ſaltibus viſum, ijs ipſis, quos BOII, jam indè à Sigoveſo, annis plus minus ſexcentis, incoluerant. Quantas illuc copias traxerit, vetuſtate obliteratum eſt: illud vnum ex Tacito conſtat, Boios ab ijs pulſos, ídq; Marcomannis ad gloriam eximium fuiſſe; nam qui nuper ſoli ferè Cimbrorum impetum non modò ſuſtinuerant, ſed etiam cum eorundem clade retuderant, illos iam Marcomannis de principatu, & ipſa adeò Patriâ ceſſiſſe, ingentem Marobodui potentiam, & militaris rei vſum arguit. Huius cladis ſeries, vti à nemine vno Scriptorum ordine tradita eſt, ita, ſi quæ ab alijs ſparſim conſignata ſunt, ſedulò colligas, temporum maximè ratione habitâ, cogent ſecundum hanc narrationem pronunciare. nam qui factum hoc ad Julij Cæſaris tempora promoverunt, miſerè Strabonis auctoritate jugulantur, qui Maroboduum Romæ cum Auguſto vixiſſe planè aſſeverat. Dome-

Tac. de Morib. Germ.

Strab. l. 7.

ſticus verò Scriptor, qui portentosâ inſcitiâ hæc ad Tarquinij Priſci ævum rejicit, ſexcentos annos, inexpiabili delirio, vno ſaltu tranſmiſit.

QVAS SEDES BOII BOIOHÆMO PVLSI OCCVPARINT.

Sed nos vt cladem hanc ingentem fateamur fuiſſe, ita illa etiam maior cenſeri debet, quâ conſpirantes cum bellicis infortunijs literæ, clariſſimũ in hanc vſque diem BOIORVM nomen, & illuſtri famâ per totum circumlatum orbẽ, longiſſimâ ſilentii nocte ſepelierunt; vſque adeò, vt ne illud quidem liquidò cõſtet, pulſi à Marcomannis BOII quò terrarum conceſſerint; nam quod fluminibus ſubinde contingit, vt terrarum hiatu epota, momento alveum, aquas, noménq; perdant, donec rupto alibi oſtio novam ſibi viam vi faciant, iterum aſpicienda; ita Gens tota BOIORVM ſublata ex oculis, deſtituta luce literarum, etiam nos, deficientibus veſtigijs, ad conjecturas, quod errantium viatorum vltimum prçſidium eſt, detrudit; quibus quia cum hiſtoria nunquam bene convenit, & ipſe ijs timidè inſiſto, ſecuturíſque denuncio, præter bonam fidem, nihil me poſſe prçſtare. Vidit hunc labyrinthum exactiſſimæ diligen-

ligentiæ Scriptor Marcus Velserus, cùmque filum ad exitum nullum reperiret, proximum consilium secutus, Boios in Boiohæmo, inter Marcomānos reliquit; Tacitique verba, qui disertè pulsos scripsit, eò accipit, vt Regno, & dominatu deiectos, non eiectos patriâ interpretetur. Nos etsi fortasse non multò certiora allaturi sumus, non possumus tamen in hanc sententiam pedibus ire, Metaphoræ duritiâ, præter Latini vsum sermonis, audaciùs extortâ absterriti; præsertim cùm idem Tacitus alibi, eodem libello, scripserit, mansisse Boiohæmi nomen, quamvis mutatis cultoribus. Jam & Posidonius æqualis horum temporum, cùm apud Strabonem, Boios Herciniam silvam priùs habitasse dicat, sanè his ipsis verbis emigrationem indicat. At enim à Meridie illos Danubius arcebat jam Romani juris, ab ortu Bærebista Dacus imminebat, qui cùm Boios indigenas nuper ad internecionem delevisset, nimirum in novos advenas mitiore animo erat futurus? Horum sanè Velsero neutrum negamus; sed quà Septentrionem, & occasum nobis obstruit, hac

lib. de morib. Germ.

Strab. l. 7.

IN NARISCIS CONSEDISSE BOIOS VT CERTIVS AFFIRMATVR.

l. de reb. Geticis.

hàc nos, eruptione factâ, incolumes BOIORVM copias educemus; verosimillimum enim videtur, ad Nariscos, vbi hodiéque Transdanubiani BOII incolunt, etiam non repugnātibus Marcomannis, abijsse. Id ex eo potissimùm colligimus, quòd, qui longo post hæc tempora intervallo, primus tamen BOIORVM iterum claram mentionem fecit, hoc eos loco collocârit. Is est Iornandes, qui Anni post Christum Natum quadringentesimi septuagesimi secundi res prosecutus, cùm Suevorū fines describeret, eos ab oriente BOIIS, ab occidēte Sole Francis, à meridie Burgundionibus, à Septētrione Thuringis claudi demōstravit. Porrò ne quid dissimulem, ea seculi illius inficeti ruditas fuit, vt semi-barbarus hic Scriptor neq; suum Gēti BOICÆ nomē dare sciverit; Bajobaros enim vocavit, ex qua deinceps appellatione, varia, vti suis locis videbimus, & monstrosa nomenclatio pullulavit; vt minùs molestè ferendum sit, rerum gestarum memoriam intercidisse, cùm ipsum etiam BOII nomen suū, per iniquitatem temporum, amiserint. Porrò vir cæteroqui neque indiligens, neque

neque indoctus, in proprio de Vindelicia & Norico libello, eviciſſe ex Strabone ſe putat, Boios à Marcomannis pulſos, rectà in Vindeliciam abijſſe, quod ille Vindelicos BOIIS finitimos, eorumque campis imminentes ſcribat: verùm graviſſimè fallitur, eo maximè deceptus, quòd de quibus BOIIS illic ſermo eſſet, non animadvertit; neque enim de Bojohæmo exulantibus, ſed ijs, qui Italiâ pulſi, circumjacentes Iſtro locos cum Tauriſcis incoluere, Strabo loquitur, quos paulò antè à Dacis funditus deletos, eodem referente, audivimus. id quod clariſſimè ex alio Strabonis loco perſpicitur, in quem ipſum bonus iſte vit hîc quidem digitum intendit, alibi verò totum exſcribit, & (ſi Superis placet) etiam emendat: is verò eſt ejuſmodi: Lacum (Brigantinum) Ræti exiguâ ex parte, maximâ Helvetij, ac Vindelici attingunt: indè BOIORVM Deſerta, vſq; ad Pannonios. neque enim ipſe neſcit, ea Deſerta, campóſque ab Italicis BOIIS nomen habuiſſe, qui à Bærebiſte ad internecionem ſunt cæſi; quam rem pluribus probare ſuperſedeo, cùm id ab ipſomet

cap. 5. *lib. 4.* *Strab. l. 7.* *cap. 5.*

met ſui planè immemore diligentiſsimè hoc eodem loco videam factitatum; mihi ſatis eſt, hominem propriâ confeſsione indutum, ſuo ſibi gladio jugulaſſe. At enim commemoratas huc vſque clades lætiore diluere nuncio libet, & querelas plauſu obruere; nam circa hæc ipſa tempora, armis vbique quieſcentibus, & pace toto orbe partâ, Ianoqúe gemino clauſo, Cn. Corn. Lentulo, M. Val.
A.V.C.751. Meſſalino Coſſ. feliciſsimæ noctis ſilentio, IESVS Dei filius, ex Virgine Maria natus, aureum ſæculum, in præſepi & fœno inchoavit; qvo vnico æterni Patris VERBO, Boicæ hiſtoriæ ex hoc tempore per annos aliquammultos interruptæ jacturam ſolabimur.

IX. SALVTIS è cœlo in terram delapſæ Evangelium cùm divini præcones quaquaverſum differrent; Galatæ etiam inter primos accepere, & ab ipſis quidem
1. Petri 1. Chriſtianæ Gentis Principibus, Petro &
2. Petri 3. Paulo, quorum ille Galatas per Epiſtolas
Act. 18. docuit; hic verò & vivâ voce præſens,
Galat. c. 1. & abſens immortalibus literis eorum nomini inſcriptis, ad Cœlum & Deum aureâ eloquẽtiâ rapuit. Divum Creſcentem

tem ad eosdem missum, factam â Paulo sementem piâ operâ excoluisse, Paulus ipse testis est. *2.Timoth.4.* Porrò cùm principem inter Galatarum populos locum TOLISTO BOII habuerint, credi non potest, illos tanti muneris fuisse expertes; vt inter ea, quæ BOICO nomini gloriosa vnquam contigêre, hoc eò illustrius censeri debeat, quò divina humanis antistant; certè post partos toto orbe terrarum triumphos, id demum omnibus victorijs clarius fuit, Christi jugum, & cum liberrimâ servitute, nomen Filiorum Dei, & jus cœli accepisse: sed reliqui per Germaniam, Galliámq; sparsi BOII â veri Dei cultu, & agnitione adhuc longè aberant, adeò quidem, vt septuagesimo primo post Christum Natũ anno, Maricus quidam è plebe BOIORVM, quos Iulius Cæsar in Æduorum finibus collocavit, hominem se esse oblitus, stultissimâ vanitate, Deus salutari affectarit; & reperit tamen asseclas, quibus divinitatem suam probaret; octo hominum millia, qui libertatem Galliæ, & magnas sibi opes ex sterili illius Dei manu speraverant, Maricum sequebantur. Romæ ipsi minantes,

GALATÆ DEI FILIVM INTER PRIMOS AGNOSCVNT.

Tacit.l.2. Hist.

MARICVS BOIVS DIVINITATEM AFFECTAT.

quippe ni? tali Deo freti: cúmque jam etiam proximos pagos commovisset, Æduorum civitas armatâ juventute suâ, acceptis etiam à Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disjecit. Maricus eo bello captus, pabulum feris obiectus est; sed ille etiã in theatro, præstigijs, vulgatam de se opinionem tuebatur, cùm feræ ab illo abstinerent; velut divinitatis conscientiâ; jámque erant, qui inviolabilem crederent, donec Maricus ipse in oculis Vitellij interfectus, vnáque illius Apotheosis, & stulta vulgi persuasio confossa est.

A.C.171.

BOII MARCOMANNICO BELLO CONTRA ROMANOS PVGNANT.

Circa annum demum CLXXI, cùm Germania omnis in armis esset, & cum Marcomannis & Quadis in Romanorum perniciem conspirasset; Boios etiam, quos inter Nariscos consedisse, vt verius diximus, in communis societatem consilij venisse, vel ex eo tutò creditur, quòd populis Transdanubianis omnibus (inter quos Capitolinus Nariscos disertè numerat) arma corripientibus, illis, quocunque tandem loco degerent, in publico motu, quietis esse non licuerit. Bellum id ab auctoribus Marcomannicum dictum,

dictum, sub Marco Aurelio Antonino exarsit, qui Antonino Pio adoptionis jure in Imperio successit: quem, cùm paternum genus ex Transalpina Gallia duxerit, & Boionij nomen tulerit, ferè ausim, cum Velsero, Boiis transcribere; neque verò paternum, avitúmque cognomen abludit, quod etiam ipse assumpsit, Fulvius appellatus, quando etiam, inter Rætici limitis præfectos, Valeriani ævo, Fulvius Boius recensetur; quò fit, nisi insubida ex vocum allusione divinatio est, vt optimi duo Imperatores, Pius, & Philosophus, Boionij nomen Boiis debere videri possint. Ingens eius belli apud Romanos expectatio fuit; ad omnia oracula decursum, & Imperator peregrinis etiam superstitionibus, sacrificulísq; conquisitis, ne inauspicatò rem tantam aggredi videretur, ad deliria vsque delapsus est; inter cætera risu digna, Alexander quidam impurissimus præstigiator, victoriam Cæsari pollicebatur, si leones duos in Danubium immisisset; atque ij quidem in adversam ripam enatarunt, sed tantum abest, vt Marcomannis formidini fuerint, vt ignotas belluas, eodem

Lucian. in Pseudomant.

quo canes, aut lupos, loco æſtimantes, Herculeo more, ſudibus & clavis compeſcuerint: neque tamen Romanis aquilis leones illi quidquam contulere; quin viginti circiter hominum millia eo prælio amitterent. Quinquennio pòſt, cùm jam eadem Romanis pernicies immineret, victoria Chriſtianorum precibus, qui ſub Romanis ſignis militabant, impetrata eſt; cùm ij & opportunas ſibi pluvias, & adverſa in hoſtes fulmina cælo elicerent, quæ nova pugnandi ars Cæſari miraculo fuit; & Chriſtiana legio novo cognomēto Jovi Tonanti exæquata, Fulminatrix dicta eſt. Mitiùs etiam deinceps Chriſtiani habiti, vetante Imperatore, quemquam hoc nomine ad tribunal rapi; quam libertatem nacta Pietas magna mox incrementa cepit, totóque ſparſa orbe, etiam Germaniam complexa eſt, vt in hac communi patriæ noſtræ felicitate, etiam de BOIIS bene ſperare liceat; etſi, quod propriè illos ſpectet, ſacri, profanive, nullis fidis annalibus tradatur. Nam domeſtici noſtri nunquam ſilent, ſempérque quas narrent fabulas habent; putant enim ſibi neceſſe eſſe loqui, veriti, ſi annos

Xiphilinus in M. Antonino, Tertullian. apologet. 5. ex literis M. Aurelij Imperat.

Iren. l. 1. c. 3. Tertul. adverſus Iud. c. 17.

annos centum indictos relinquant, totumBOIORVM nomen ſuo ſilentio,velut olim Amyclas, periturum : Ephorum, *Strab. l. 13.* ſaltem veterem Hiſtoricum imitarentur, qui cùm aliarum vrbium res perſcriberet, nec quidquam in patria celebrãdum reperiret,ne nihil de ea dixiſſe videretur, id ſaltem verecundè, & ſine mendacio ſcripſit, Cumanos eâ tempeſtate quieviſſe. Quod Aventinum inprimis decebat, qui BOICAS res narrare profeſſus, ijs deficientibus,ſtipem ex tota Germania, longiúſque colligit, & ſemeſa verba ex omni lapide exſculpit, vt perpetua per omnes Cæſarum annos ædificetur hiſtoria, quocunque tibicine fulta; ſæpe etjam reluctantes in Populorum album BOIOS inſerit, in quo nunquam ſtetere; *Avent. l. 3. Initio.* quod tandem ipſe ſanior effectus non diſſimulat, faſſus,per quingentos triginta quinque annos, ne nomen quidem BOIORVM apud aliquem Scriptorum ſe offendiſſe; quo tamen ipſo oſcitantiam ſuam prodit,cùm,vti ſuprà oſtendimus, ex Jornande liqueat , quas oras BOII quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo poſt Chriſtum Anno inſederint. Ad-

FABVLÆ DOMESTICORVM ANNALIVM EXPLODVNTVR.

de, quòd isti nugivendi nostri, cùm sibi laborandum scirent, populo vt placerẽt, quas dedissent fabulas, neque ad mentiendum quidem satis felix ingenium attulerunt; hanc enim miseram artem qui sibi necessariam putant, ijs, quibus probare figmentum suum volunt, os præcidant, & oculos eruant, oportet; his enim reclamantibus nulla stabit recto talo fabula: quod quidem nostris curæ non fuit; quibus etiam, cùm argutissimi sunt, aqua hæret, & inopia ingenij laborantes in vado destituit. Vt suam illis discordiam condonemus; quâ integra nobis sæcula confundunt, séque ipsi jugulant, cùm vel maximè de eadem re mentientium Collegio, ex compacto, colludendum sit; illud certè nimis quàm simpliciter ab ijs factum est, quòd non nisi alienis compilatis scrinijs, suos nobis dedolare, exornaréque Heroes potuerunt; vt ijs etiam furtivo colore, & pennis, ad concinnandam venustam narratiunculam, opus fuerit. Sic nobis, vt reliquos sileam, Adalgerus obtruditur, qui Severi Imperatoris ævo, eius, qui à Galerio Maximiano Cæsar appellatus est, BOIIS præfuisse

DE ADALGERO FABVLOSA NARRATIO.
A. C. 307.

fuiſſe dicitur. Hunc, cùm ſub Romanis ſtipendia faceret, apud Severum capitis poſtulatum, diu incertum hæſiſſe, an judicio ſe committeret; ægrè tandem ab amico perſuaſum, in jus ambulaſſe: ibi pernegandi conſtantiâ, capitalem quidem ſententiam evaſiſſe, turpi tamen ignominiâ notatum, veſte genuum tenus ſuccisâ, & capite attonſo, nudatóque; nam illud tunc ſolum formæ decus creditum, ſi flueret capillus, pérque humeros quàm denſiſſimus jactaretur; quemadmodum generoſæ feræ jubam quatiũt: ſic amicorũ oculis, ſic etiam hoſtibus ſuis credebant ſe comptos: eò altiùs ille contumeliam demiſerat in pectus, æquiùs laturus, ſi ſanguinem imminuiſſet. multa illi æger animus, pro vindicando crine, ſuggerebat, triſtia Cæſari futura, niſi familiaris amicus ſaniora ſuaſiſſet, & aptiora tempori. Altero die, cum popularium turba in publicum progreſſus, omnium in ſe, ſuúmque gregem oculos convertit. Erant omnes ad exemplar herilis ignominiæ deformati; comæ decus, cultúmque veſtis, ſpontè ſordidati, poſuerant, turperati, domino quenquam eſſe

pulchriorem. Severo causam facti quærenti respondit Adalgerus, id esse BOIORVM ingenium; vnum in totâ Gente esse animum; nec secundi quidquam singulis accidere, nec adversi; omnia omnibus esse communia; vnum qui læserit, grandem hostium exercitum sibi parasse, & ægre tot gladios vitaturum, quos vnius hominis injuriâ in se acuerit. Severum tum homini potestatem redeundi in patriam fecisse, fido illo consiliario pro obside accepto, qui absens etiam hero suo vtibilis fuerit. Nã cùm à Severo Adalgerus rursum evocaretur, atque is ambigeret, tutóne se illius fidei esset permissurus, suúmque ea super re Achatem consuleret, Apologum ille recitavit, qui hero vicem responsi esset. Hortulum, inquit, paterfamilias, delicias suas, suâ colebat manu, felicium herbarum, florum, radicum feracem; indè obsonium in frugalem mensam, & animo etiam condimentum accersebat: fortè ita evenit, vt cervus in omnes grassatus areolas, & vernam horti elegantiam populatus, in flagranti facinore deprehenderetur; inhonestóque caudæ, auriúmque vulnere infamis

famis horto tamen emitteretur; at enim Cervus neque calamitate suâ cautior, per eadem vestigia, quæ nuper suo sanguine cruentarat, ad earum prandium irrepsit; ídque tandem importuno convivæ vitâ stetit. Vulpecula, quæ morti intervenerat, cervo jacenti cor ademit; quod cùm deinde paterfamilias frustra quæsîsset, vxor non inscitè eius diligentiam arguit, ecquid speraret in cervo cor se repertu-rum, qui nisi excors fuisset, ad tam infelicem hamum, semel tam fœdè mulctatus, nunquam fuerit recursurus. Ex his ambagibus Adalgerus facilè intellexit, nihil se sapere, nisi aliquid supra cervum saperet. Severum ipsius pervicaciâ nostri deinde offensum narrant, Boios bello appetijsse; sed virtute Adalgeri repressum; eiusdem deinde auspicijs Boios de Brennio Suevo, Osnucho Bojohæmi Rege, & Hunnis illustres victorias reportasse: ipso tandem mortuo etiam BOIORVM gloriam exspirasse. Quæ ego omnia in eundem fabularũ acervum rejicio; nam illa ex cervi stultitia hausta sapientia, neque in istorum quidem, qui hæc conflavere, cerebro nata, sed pauculis, dissimu-

 landi

Aim. l. 1. c. 10. Idac. l. 3. c. 9.

landi facti causâ, mutatis, ex Aimoino & Idacio sublecta est; vt proinde malo vngue tam manifestè notato, frustra nos sibi jubeant credere. Adde, quòd de hoc ipso Adalgero tot sententiæ sunt, quot Scriptorum capita; dum illum alij trecentis annis faciunt vetustiorem, alij neque BOIVM quidem, sed Romanum, & BOIORVM hostem; adeò, cùm à veritate discessum est, non in errores tantùm, sed in præcipitia itur.

Nicolaus Olahus in Atila. c. 17.

KREINHILDIS ATILÆ VXOR BOIA GENTE.

Paulò sincerior Boici nominis lux in Kreinhilde revixit, quã quidam Vngariæ AnnalesBOIORVM Reguli filiam faciunt, & Atilæ nuptam; ex quo ille matrimonio Aladaricum sustulerit, qui vnus ex omni Atilæ filiorum numero, aut populo veriùs, Chabæ majori natu cruentam de imperio litem movere ausus, innumeras propè, gentes, in agris Sicambriæ, collisit. Hunni Chabæ cupiditatibus favebant; Germaniæ populi maternæ originis respectu Aladarico adhærebant; fratres ipsi ingentium exercituum, quibus Atila orbem terrarum obtriverat, studijs, in patrocinium superbiæ suæ abusi, tanti sanguinis impendio regnum quæsivere, quem

quem, si saperent, etiam vitæ nimis carum pretium debebant credere. Haud alia facilè dirior pugna reperiatur, cui quintus decimus dies ægre finem imposuit; tamdiu, in levissima causa, furor, & sangvis suffecit, quem terra omnem bibere nõ potuit, nam & Danubius quantus quantus est, à Sicambria ad Potentianam vsque vrbem rubidus fluxit. Aladaricus in pugna cecidit; Chaba aliquamdiu victor, mox & ipse à Detrico, sive Arderico fusus fugatúsque, hoc solo fratre felicior, an infelicior fuit, quòd suis cladibus superstes diutius in Fortunæ ludibrium oberravit. His tantis stragibus Atilæ parentatum est, vt qui in perniciem generis humani vixerat, tales ludos funebres sanguinarius rex haberet; vt filiorum cadaveribus, & non vnius populi ruinâ sepeliretur; qui communis infelicitatis turbo etiam Marcomannos, qui & ipsi inter Atilæ auxilia numerabantur, involvit; ab hoc enim tempore omnis eorum memoria sepulta est, neque vnquam ampliùs revixit; Bojohæmum, quod ipsi BOIIS ademerant, & propè quingentos annos, magnâ nominis famâ

insederant, Sarmatæ occuparunt, qui Zecho duce huc delati, ab illo nomen tulere; etsi neque vetus, quod BOII indiderant, exolevit; nam in hanc vsque diem regio Bohemia, incolæ Bohemi, à plerisque gentibus appellantur, raro & singulari Bojorum gloriæ privilegio; Plin.l.35.c.2. quale ferè olim Romanarum ædium fuit, quæ aliquando triumphalem dominum habuissent: nam illæ etiam cùm in alienas manus venerunt, tamen victoriæ titulos, & affixa circa limina hostium spolia non amittebant; neque ea emptori refringere licuit, vt, qvantumvis mutatis possessoribus, ipsæ tamen domus triumpharent.

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER QVARTVS.

Breviarium.

I.

BOIARIÆ *Situs & Limites. Nativæ opes, & patria Bona. Noricorum, Vindelicorum, Rætorumque Veterum Colonorum Origo, & ultima cum Romanis Bella. Rei Militaris Civilisque forma sub Augusto Cæsare, qui regionẽ omnem in Provinciarum formam redegit, & Colonijs exornavit.*

II. *Rerum Vindelicarum, Noricarumque facies, sub Tiberio, Galba, Otho-*

thone, Vitellio Vespasiano Augg. D. Laurentius Apostolorum Discipulus legem divinam in Norico, primo Christiano sæculo, explicat. Sub Hadriano Imp. mutata in Provinciis forma Reip. Res in iis, M. Aurelio Antonino, & Lucio Vero imperantibus gestæ. Commodi ævo Lucius ex Britanniæ Rege Pietatis Magister novum Vindeliciæ & Norico sidus illuxit. Alemanni & Germani, sub Caracallæ, Gallieni, Aureliani, Probi, Bonosi Imperio Rætiam infestant.

III. *Diocletiano & Maximiniano sævientibus, Christiana Religio, in Norico & Vindelicia, flammâ ferróque exagitata. Triumpharunt Maximilianus Celejæ. XL. Milites Laureaci. Florianus in Anasso. Quirinus in Sabaria, Fluminibus: Afra cum Assectis Augustæ Vindel. Sua omnes morte Immortales facti. Constantinus tandem gladios condidit.*

IV. *Iu-*

IV. *Iuliani Apostatæ per Vindeliciam & Noricum Iter. cujus ævo Cassianus Sabionensis Episcopus stilis puerorum confixus creditur. Rhomedius Tauriensis Comes magnis Virtutibus inclarescit. Clades Arcadio & Honorio imperantibus acceptæ, Alarico Gothorum Rege, per Noricum in Italiam irrũpente; hæresibus nihilo mitiùs grassantibus, quibus à D. Valentino Passaviensium Episcopo animosè obviam itum. Lucanus Brixinensium Episcopus Innocentiã calumnijs appetitã cælo teste probat.*

V. *Malorum seges ab Atila in Noricum & Vindeliciam invecta; quæ opportuno D. Severini adventu vel abstersa, vel mitigata; cujus divinæ Virtutes, & immortalia in Noricum beneficia, ingenti apud impios juxta piósque famâ fuere; quando verissimè, Rempublicam perpetuis hostium incursionibus vexatam convulsamq́, triginta quatuor*

tuor annis, unus hic Vir sustentavit.

VI. *Theodorico Gotho rerum in Italia potito, & Norico Vindeliciæq; jura dante,* BOII, THEODONE *Duce, trajecto Danubio, ex Nariscis in Vindel. & Noricũ immigrant; Gothis primùm addicti, donec consenescente eorum gloriâ, Francos respexere, à quibus etiam Leges acceperunt.*

VII. *Langobardos à Narsete in Italiam excitos* BOIORVM *etiam copiæ secutæ, ibidem ab Alboino Rege sedes habitandas impetrant. Garibaldus* BOICÆ *Princeps Tridentino Duci filiam elocat. Ea affinitas suspecta Francis bellorum seminarium fuit.*

VIII. *Garibaldus nihilominus etiam Theodelindam Authari Langobardorum Regi despondet; qui Sponsæ visendæ studio, privati habitu, in Boicam proficiscitur. Theodelindâ in Italiam, cum Gundoaldo fratre, deductâ, Garibaldus*

baldus Francorum armis appetitus Principatu excidit.

IX. *Theodelinda Authari mortuo, regni jus retinet, cujus, uti & thori consortem Agiluphum adſciſcit; eúmq́, cum tota Langobardorum gente, ad ſincerum Dei cultum traducit; eximiè eam ob rem, & pacis cum Romanis conciliatæ ſtudium, à Gregorio Magno Pont. Max. collaudata.*

X. BOII *Slavos Bello vincunt; ab Hunnis invicem cladem paßi. Theodelinda Gentem Langobard. D. Ioanni Baptiſtæ, feliciſſimo conſilio, in tutelam dat, & devovet. Prole maſcula augetur; Gundoaldo Fratre Aſtenſi Duce orbatur. Thaßilo Garibaldi in* BOICÆ *imperio ſucceſſor Giſulphi ForoIulienſis Ducis Filiam ſibi jungit, Pudicitiæ, memorabili conſtantia ſervatæ, Triumpho, in omne ævum nobilem.*

GESTA ſunt pleraque ſex Primis Chriſtianis Seculis.

TRIBVS non maximis libris, quæ à BOIIS, Sex, ante Christianum Ævum, sæculis, gesta sunt, explicavimus, neque omnia, neque potissima etiam fortassis persecuti; sed qualiacunque tamen, è tantæ vetustatis naufragijs, enatayerunt; qvibus si illa tantùm mersa haustáque essent, quæ indigna luce, merebantur sic sepeliri, gratulari rebus humanis liceret, de tam felici jactura; cùm omnia scelera, quæ exemplo nocere poterant, in mare vltro deportanda sint; at enim nunc longè secus est; nam velut dissiliente navigio, tabulæ & scruta semper eminent, & inter fluctus etiam decumanos secura, inveniunt aliqvod littus, quo excipiantur; auri contrà, & gemmarum miserrima conditio est; & quidquid cum gemitu perditur, perit inter prima; ita temporum injuriâ ea maximè periclitantur, quibus æternitas debetur; pluresque virtutes, quàm vitia oblivio obruit; nempe hæc vna maximáque omnis ævi plaga est, meritò conquerentis, majora hodie ad suam infamiam, quàm laudem argumenta su-

ta ſupereſſe. quæ communis calamitas quanquam etiam in Boicum nomen graſſata eſt, tam iniqua tamen eſſe non potuit, quin ex illuſtrium factorum reliquijs, quæ à nobis collecta ſunt, maximus BOICÆ Gentis in vtráque fortuna animus, animóque conſentientes manus, & tantæ etiam virtutes, quantarum illa ætas ferax & capax fuit, clarè elucerent. Admiratio interim animum ſubit recogitantis, per tot ſecula, toto propè terrarum orbe BOICA arma circumlata, æterna quidem vbique virtutis veſtigia impreſſa reliquiſſe, quæ omnis poſteritas venerabitur; certam tamen ſtabilémque ſedem neque dum reperiſſe; In tribus partibus, quas orbis habet, BOIOS vidimus; quas omnes non levitate animi, ſed propagandæ gloriæ ſtudio, & proprio illorum temporum populorúmque genio impellente, adiere; cùm illa fortis viri nota cenſeretur, non vnius civitatis, ſed orbis totius civem eſſe, &, quidquid cœlo tegitur, communem patriam arbitrari; & tamẽ Italiam à BOIIS, poſt annum quadringenteſimum, deſertam ſcimus; Bojohæmum, poſt ſexcen-

tesimum, Marcomannis relictum; obscuratum in Galatia nomen, & magnitudine Romana obrutum vidimus: à Christo Nato annis totis quingentis, in hoc literarum silentio, dubitamus, qvas illis terras demus; quò lætior nobis ab his erroribus, & penè exilijs, ad destinatum fatis sæculum, transitio, vel potiùs saltus esse debet, vt demum post mille & ampliùs annos, in certam possessionem inducere fortissimam Gentem liceat, qvam ominari fas est, fore æternam. Ea omnis illa regio est, quæ partem Rætiæ, Vindeliciæ, Noricíque complexa, prioribus nominibus ferè expunctis, diu Noricum, tandémq; tractâ à dominis appellatione, BOIARIA dicta est; quod ipsum nomen, per monstrosissimas inflexiones, quæ delicatas hodie aures vulnerent, in BAVARIÆ vsitatius vocabulum detortum est: Nam, vt modestiores corruptelas sileam quas sibi Paulus Diaconus, Metellus antiquissimus inter BOIOS poëta, & Venantius Fortunatus permisere; quis ferat illos, qui propemodum saxa locuti VVaivvariam, VVavvariam, Baugariam, Bavvariam, indolato ore rugierunt? At-

que

que hæc terrarum portio BOICÆ Genti quodam fato debita, jam olim ostentata, & veluti promissa, anno demum post Christum Natum quingentesimo octavo, bona fide sub eiusdem Gentis imperium concessit. Nam, vt hæc ipsa nostra legēti animadvertere promptum est, vetustissimi BOIORVM, gloriæ & propagandi nominis ardore, Bojohæmo exciti, Pannoniam, Illyricum, Thraciam, Macedoniam, ipsámque tandem Asiam triumphis suis impleturi, Danubio trajecto, jam ante tot sæcula, pedem in Norico posuere; ex quo deinceps, ducibus avibus, si Justino credimus, per barbarorum strages profecti, formidanda populis arma ostentarunt. Eadem fata expulsos Italiâ BOIOS in Noricum detulere, in quo etsi illis tunc perennare concessum non fuit, centum tamen & octoginta ferè ijs anni, iure hospitij indulti; quibus elapsis, Dacorum, quemadmodum narravimus, armis obtriti, id saltem ex hac ipsa Fortunæ inclementia consecuti sunt, vt in Norico solo, quod jam tum Genti BOIORVM, serísq; destinatum nepotibus fuit, commune sepulchrum acciperēt, quod

NORICVM VETERIBVS BOIIS ADITVM, HABITATVMQVE

Strabo l. 5.

Iul.Cæſ.de bell. Gall.l.1. olim etiam hæredes ſequeretur: Jam & illi BOIORVM tribules, qui, Julij Cæſaris ævo, Bojohæmo egreſſi, Noreiam vrbem infeſtis ſignis adorti ſunt, ſtationem certè in Norico habuerunt, donec quoquoverſum cadente illa expeditione (nam de ſucceſſu nihil liquidò conſtat) adſciti ab Helvetijs ſocij, in interiorem Galliã, primęvam BOICÆ Gentis patriam, penetrarunt: Neque temerè illud etiam, & ſine omine factum eſt, vt Bojodurum, illuſtre perpetuúmque BOIORVM veterum monimentum, ad Norici, Vindeliciæque confinia ſtatutum, in hæc vſque tempora, de quibus agimus, nomen ſervaret, quod novos incolas admonere poſſet, eos jure optimo avitam hæreditatem adijſſe. Nos ergo BOIOS, poſt tot caſus, rerúmque diſcrimina, quibus orbe toto jactatos narratione noſtra ſecuti ſumus, tandem in hunc veluti patrium portum inducamus, minimè ambitiosè illum Romanæ Fortunæ verſiculum mutuaturi,

Tantæ molis erat BOIORVM *condere ſedes.*

Verùm res ipſa poſtulare videtur, vt de regione omni, quæ ſub BOIORVM, circa

hæc

hæc tempora, jura concessit, paullò distinctiùs, altiúsque petitâ narratione dicamus, præferamúsque necessariam hanc reliquæ Historiæ facem. Igitur quàm procul, longéque literarum memoria porrigitur, progressi, omnem his terris famam suam, qualemcunque olim collegerunt, circumdabimus, vt quam Boii patriam suam vocant, eandem totam noverint; néve in sua, quod dicitur, domo peregrinentur.

I. LIMITES primùm terminósque ad quatuor orbis plagas pangamus: Ij ad Septentriones, in Germania magna, Silva Hercinia; ad Meridiem, Alpes Italiæ; ad Solis ortum, Anesus vel Anassus; ad occasum, Lycus, flumina sunt: quanquam hi ipsi limites, vti videbimus, sæpiùs moti sunt; nam quę hodię BOIARIA dicitur, quantò angustior est, Meridiem maximè, & Orientem versus contracta, vbi amisso nomine BOICO, Austria & Tirolis, alio imperio reguntur? Provincia omnis, sua si bona numeret, comparanda optimis, sine ambitione; nullâ relictâ adversus Naturam querelâ, neque fastidiosis quidem; rebus omnibus non modò ad

BOICÆ SITVS ET FINES.

BONA ET OPES.

necessitatem vitæ spectantibus largâ manu eò congestis; sed quæ satisfacere delicatis, & si quidquam avaris satis esset, etjam istos explere possent. Prima à frumento commendatio, incredibili illius proventu; sufficítque non suæ tantùm Genti; vicinis etiam è BOICÆ horreo vitæ subsidia petentibus, eámq; Nutricem suam consalutantibus. Neque parcior messe vindemia; olim certè, cùm Tirolis, quæque hodie superior Austria dicitur, vno BOICÆ nomine censerentur, eiusdem imperio contributæ. vt proinde veteres BOICÆ fines obeunti liceat idem verbum vsurpare, quod de Campania jactatum à priscis est, summum hîc Cereris & Bacchi esse certamen. Proxima hortorum gloria; nam felicem arborem, præter oleam, vix desideres; aliarum fœcunditate hanc quoque jacturam compensante. Ferarum silvas inhabitantium haud alibi temerè major sive varietas, sive copia, nullis venationibus exhausta; ducenarias cohortes cervorum gregatim pabulantium, interim etiam altero tanto majores videre, quotidianum hîc spectaculum est, neque habet admiratio-

nem.

nem. Defoſſæ montibus latent opes, irritamenta vitiorum, & nobilis avaritiæ illecebra; aurum quidē probatiſſimum, & jam olim Polybio laudatum: argenti montes monſtrantur, excavati jam longo ſtudio mortalium, huic vni labori nunquam ſuccumbentium. Æs verò & ferrum Noricum, veterum Poëtarum carminibus, in hoc genere ferè primas obtinuit. Jam vbi hæc defecere, ſuccedũt marmora, alibi colore perpetuo candida, nigra, vel rubentia; alibi maculoſa: tum deinde ſtibium, ſulphur, alumen, chalcanthum, magnes, aliáque naturæ & fertilis ſoli bona: neque minor amnium fontiúmq; vbertas, quibus tota perfunditur: in his princeps Danubius, qui BOICAM ingenti alveo mediam ſecat, rerum in toto orbe naſcentium mercator ditiſſimus; in quem intra ipſam provinciam aliј plures ſe exonerant, navium, ratiúmque patientes; quorum quidam auri ramenta vehũt, quidam etiam margaritas, vt nihil neceſſe ſit, Indis ſuas opes invidere. Ijdem, vti & lacus, quorum ingens copia, piſce lectiſſimo abundant, in apparatum menſarum: ſanitatē etiam,

præcipuum ex humanis bonum, aquarum aliquæ propinant, vel ſubterraneis excalefactæ focis, aut alioqui in auxilia morborum occultis viribus pollẽtes. Salis denique vberrimi fontes, quorum beneficio vicinæ etiam Gentes fruuntur; vnde ingens Principibus vectigal; Felix omnio regio, neq; indigna, in qua BOII, poſt luſtratum orbem terrarum, certas, ſtabiléſque ſedes figerent.

INCOLÆ NORICI &c. ANTE BOIORVM IMMIGRATIONEM.

Porrò ante BOIORVM in hanc regionem adventum, eam terræ portionem, quæ vltra Danubium, in Magna Germania ſita, BOIIS acceſſit, Nariſci olim tenuere; quo ipſo loco, poſt M. Antonini principatum, Armalauſi collocantur, neſcio Genténe, an nomine tantùm mutato; Nortgoiæ is tractus hodie vocabulum obtinet, quod Germanicum eſt, & Borealem terram ſignificat. cui, propter affinitatem nominis, perperam hodie Norici appellatio à ſemidoctis impoſita eſt. Jam ad citeriorem Danubij oram, à Lyco ad Oenum vſque, Vindelici, Ræ tique antiquas ſedes habuere; ab Oeno ad Anaſſum vſque Norici: etſi horum, vti & Rętorum, Vindelicorúmque, mul-

tò

tò latiores fines fuerunt; sed nos illorum hîc rationem duntaxat habemus, qui BOIARIAM incinxerunt. Minorum Gentium nomina, vt Isarcorum, Licatium, Belaunorum seu Genaunorum, Breunorum, aliorúmque, quæ ab Autoribus tradita sunt, & pictis regionum tabulis confidenter inserta, stationem eam habent, quam Geometræ voluere, hæc inquam talia modestiùs collocare hîc supersedeo; quòd & de eorum finibus lis est nullo certo arbitro finienda; & quia compertum habeo, trium, quos initio nominavi populorum, veluti tribus fuisse, aut, vt Plinius vocat, civitates. Rætis Tyrrhena seu Tusca origo est, eo tempore Italiâ pulsis, quo BOII cæteríq; Galli, vt suprà vidimus, illorum agrum armatâ manu occuparunt; vt appareat, vtriusque Gentis historiam miro inter se fato connexam; cùm à BOIIS Ræti primùm Italiâ, deinde etiam Rętiæ parte, bis miseri, fuerint exacti. Nomen Ræti, quod ferè convenit, à Duce Ræto sortiti sunt, nam Cassiodorus, qui à retibus dictos voluit, quòd contra feras, & agrestissimas Gentes (illius verba sunt) velut plagarum

Plin. l. 3. c. 20.

RÆTORVM ET VINDELICORVM ORIGO.

Liv. l. 5.
Plut. Camillo.

Cass. Var. l. 7. ep. 4.

quædam obſtacula diſponantur, ſine dubio ingenio indulſit. Vindelicos aliqui ſobolem Amazonum fecere, raptâ ex Horatio anſâ fabulæ, qui illos Amazoniâ ſecuri obarmare dextras alicubi ſcripſit; veriùs vel Illyrici genere ſunt, vel Rætis, vt loco, ita & ſanguine affines; in quam ſententiam Polybius dixit, Tranſalpinos (quo nomine eos intellexit, qui ab Alpibus vſque ad Danubium porriguntur) ab Alpinis non genere, ſed loco tantùm diſtingui. Vindelici â Vindonis & Lyci confluentibus dicti ſunt. Norici, quod ſuprà à me affirmatum eſt, à Noreia vrbe, fortaſſe regni arce, quam Boii ante Chriſtum Natum oppugnarunt, appellationem invenere. Ipſi Regibus paruerunt, ex quibus Voccionem Cæſar nominat, qui Arioviſto Germaniæ Regi ſororē ſuam nuptui collocavit, quíq; ipſe, bello civili, Cæſari trecentos circiter equites auxilio miſiſſe creditur. Omniū trium populorum res geſtæ vetuſtate interciderunt, vſque dum Romanis appetiti armis ſunt, quæ illis, vt cætero orbi, fatalia fuere; qui cùm jam pridem ſubactus, penè quantus quantus eſt, Romani juris

Serv. in 1. Aeneid.
Hor. 4. Carm. Ode. 4.
Polyb. l. 2.
NORICI VNDE DICTI.
Cæſ. l. 1. Bell. Gall.
l. 1. Bell. Civ.

juris esset, neque hos puduit vinci; satis ijs ad gloriam fuit, cùm Romæ proximi habitarent, solo Alpium muro ab Italia divisi, inter vltimos tamen fuisse, qui triumpharentur: Post Africam, Asiam, post extortam in Europa Gallis, & Hispanis parendi confessionem, nulla verecũdia fuit, tam illustre exemplum sequi, & Romanas Aquilas adorare. Priores Norici victi sunt, paulò ante Christum Natum: Pannonijs conjuncti irruptione in Istros factâ, in Silium Romanum ducem, eiusdémq; legatos incurrerunt, eásque indomitæ ferociæ pœnas dederunt, vt caput deinceps erigere non sint ausi; præsertim cùm illos neque Alpes, neque nives, quò bellum ascendere posse non credebant, tuerentur. Paulò pòst, nimirum Anno Vrbis IↃCC XXXIX. M. Liv. Druso Libone, L. Calpurnio Pisone Cæsonino Coss. Ræticum, Vindelicúmque exarsit bellum, cui Augustus vtrumque privignum suum Tib. Claudium Neronem, & Neronem Claudium Drusum Duces præfecit. Prior Drusus Rætos ad Alpes Tridentinas assecutus, prælióque congressus, vicit. Sed Ræti Vindelicíque

NORICI A ROMANIS DEBELLATI.

Dio.l.54.

Flor.l.4.c.12.

BELLVM RÆTICVM ET VINDELICVM.

ab

ab Italia rejecti, tantò impotentiùs Galliam vexabant; cui malo avertendo demum etiam Tiberium Druso addidit. Hi ambo ferocissimam Gentem, si solis viribus ageretur, haud facilè cessuram rati, multiplici consilio vsi, sparsis hinc indè copijs, per singulos, vti Alpibus inhærebant, populos, bellum circumtulere; navali etiam prælio, ne quid intentatum Romanarum artium relinqueret, in lacu Brigantino, seu Acronio, cum Vindelicis Tiberius decertavit; quibus tandem rebus factum est, vt ferrata Ræ- torum, Vindelicorúmque agmina, ita enim illa Horatius appellat, Romanis viribus succubuerint. Virorum virtutem ex fœminarum dirissima constantia arbitrari licet, quæ impendentis servitutis metu efferatæ, cùm non modò maternos exuissent affectus, sed omnem insuper humanitatis sensum projecissent, deficientibus telis, infantes ipsos ad saxa allisos, in adversa militum ora misère, vt vicem saltem armorum essent, qui per ætatem armis vti, pro communi libertate, non possent. Porrò victoriæ de his Gentibus reportatæ tanta dignatio fuit, vt

Strabo l.7.

Horat. l.4. Carm. Ode.14.

Flor. l.4. c.12.

vt Augustus eam à principe illius çvi Poëta Horatio (nam Virgilius jam fatis concesserat) celebrari voluerit; vnde is tribus carminum libris quartum ex intervallo coactus est addere, cuius æternis versibus plus penè laudis victis, quàm victoribus accessit; nam, prætcrquam quòd palàm fatcatur, victoriā non tam manu, quàm consilio reportatam, illud certè encomium supra æstimationem est, cùm in populis nostris, Devota morti pectora liberæ, libero ore prædicavit. S.P.Q.R. Horatij præconio non contentus, nono aut decimo post victoriam anno, nobile trophæum in Alpibus Augusto erexit, quòd eius ductu auspiciisq; Gentes Alpinę omnes, quæ à mari supero, ad inferum pertinebāt, sub imperium Pop. Rom. redactæ essent: Gentes in trophæo descriptas Plinius recitat; pauculas hodie ex nomine agnoscas; vt neque, si syllabum earū huc transferam, facturus operæ precium sim. Denique ne apud victos, qui animum ab ipso ferro & cædibus ducturi videbantur, dirius bellum renascceretur, robur militiæ & Juventutis flos in Italiam translatus, rustica duntaxat

Acron. Porphyrio Suet. in Horat. vita.

Plin. l. 3. c. 20.

Dio. l. 54.

plebe

Paterc. l. 2. plebe ad aratrum relictâ. Regiones in hunc modum domitas Augustus in formam provinciarum redegit, quarum vnam Noricum, alteram Rætia & Vindelicia constituit. Ijs præsides dati; præsidia militum certis locis imposita; quæque alia in provincijs, Romano more, fieri consuevere: coloniæ etiam deductæ, quarum sine dubio Augusta Vindelicorum princeps fuit, quam Tacitus splendidissimam Rętiæ provinciæ coloniam appellat; de qua, quia in BOIORVM potestatem nunquam venit, abstineo pluribus hoc loco dicere. In eadem Vindelicia, Reginoburgum multi coloniam credunt, Tiberiæ cognomine adjecto; & ne infirmæ sententiæ fulcrum desit, numum jactant ita inscriptum, Col. TIBERIA AVGVSTA: Leonis insuper III. Pont. M. diploma producitur, inque illo hæc verba; Juxta muros Tiburniæ civitatis, quæ à Tiberio Cęsare Augusto ædificata est, quæ modò vulgò appellata est Reginaspurch: sed numus ille in Judęam vel Thraciam ablegandus est, quo vtroque loco dictas à Tiberio vrbes inveniet Nam Ptolomæum, Antoninũ,

COLONIÆ ROM. IN VINDELICIA ET NORICO.

Tacit. de Morib. Germ.

Niceph. Call. l. 1. c. 17.

&

& Notitiam Imperij, vnum hunc errorem, velut ex composito, errasse, apud quos de Colonia hac nullum extat verbum, erubesco affirmare. Reginum tamen, vel Regina castra, siquidem Reginoburgum ea hodie sunt, quod multis video placere, jam olim clara fuisse, ex tabula constat, in qua primariæ Vrbis notas habent. vti & illud, BOIIS huc transgressis, sedem hanc veterum Ducum fuisse; & Othoni Frisingensi Norici Ducatus (vti tum loquebantur) metropolis dicitur; & de eadem vrbe etiam Guntherus Poëta cecinit.

De reb. gest. Frid. I. l. 2. c. 6.

——— Hac Noricus vrbe Ducatus
Præcipuâ gaudet.

De sola ergo in Vindelicis Colonia Augusta, res est indubitata; in Noricum plures deductæ; celebris in primis Aureliana Laureacensis fuit, ad ostia Anassi fluminis sita, quæ pridem in ignobilem vicum, vulgò Lorch dictum, degeneravit. Ovilia item seu Ovilabis, M. Aurelij Antonini, quod ex veteri inscriptione constat, opus, in Antonini itinerario variè scribitur; etiā de loco certatur; ad Lampachense Monasterium alijs hoc decus

trahen-

trahentibus; & sunt multa, quæ suffra-gantur, anxiâ otiosorum diligentiâ conquisitâ: alij Welsium, celebre hodie ad Anassum oppidum, substituunt: neque enim opportunior alia pugnātibus conjecturis seges. Tertia Juvavia est, Hadriani, an M. Aurelij Antonini Impp. colonia; pro vtroque lapides sunt, & inscriptiones; à juvando sine dubio auspicatum nomen traxit, quod tamen pridem amissum est; nam Caroli Magni ævo, Salisburgum vocatum constat; & verius est, D. Rupertum, qui multò antè locum restauravit, id Vrbi nomen dedisse. Plures præterea ab alijs colonias nominari scio, ijs argumentis, in quibus maius ego pondus requiro. Reliquarum vrbium, oppidorúmque longâ molestâque nomenclatione supersedeo, etsi id facere promtum; cùm ipsæ nos res eò ducēt, dabimus illis nomina sua, neq; vlli famam invidebimus. Quæ, cōstitutis in hunc modum, per Rætiam Noricúmque, provincijs, vel juris dicundi, vel rei militaris ratio fuerit, non ita manifestū est; id cùm ex Strabone constet, Augusti instituto, pacatas provincias Populo Romano regendas

Extant apud Aventinum & VVolf. Lazium.

IVRISDICTIO.

Strab. l. 17.

datas,

datas; quæ barbaris finitimæ erant, ipsiusmet imperio coërcitas fuisse; perspicuum fit, cùm Danubius perpetuis contra Germanos firmandus excubijs esset, vtramque prouinciam Augusto cessisse, ab eóque per Præsidem administratam, quocunque tandem nomine aut jure is esset; nam & Legatos, & Procuratores, & Judices Rætiæ legimus, cui id cum Noricô commune fuisse, non est dubitandum. *Velserus l. 2. Rerum Vindel.*

FORMA REI MILITARIS. Militare præsidium diu alis, cohortibus, auxilijsq; constabat; licet Aventinus Laziúsque integras legiones suo sumptu conscribant; nam Tacitus XXV legionibus, quas, neque plures, Augustus & Tiberius sub signis habuere, stativa per Romanas provincias, nullâ Rætiæ, Noricíq; factâ mentione, assignat; assultantibus Germanis; quibus omnis Danubij ora prætexebatur, vti & Gallis nondum perdomitis octo quidem legiones objectæ; at illæ non in Rætia aut Norico, sed juxta Rhenum collocatæ. *Dio. l. 55. Tac. Ann. 4.* Iam alæ, cohortésque, quas diximus Norico & Rætiæ impositas, quo se loco tenerent, non minùs incertum; cùm, autore Tacito, vsu tem- *Tac. ibid.*

temporis huc illuc mearent, gliſcerent numero, & aliquando minuerentur: id ſolùm ratione ipsâ convincitur, proximè Danubiũ tetendiſſe, qui limes, vti Rufus retulit, inter Romanos & barbaros, ab Auguſto per Vindeliciam, per Noricũ, Pannoniam & Mæſiam eſt conſtitutus.

II.
RES IN VINDELICIA SVB TIBERIO GESTÆ.
Tac. ann. 2.

ATQVE hæc Auguſto imperante rerũ facies fuit; quo rebus humanis exempto, imperium Tiberius excepit; cuius ſecundo anno Germanicus Arminium Cheruſcorum Principem ad Viſurgim flumen inſigni prælio vicit, forti fideliqúe operâ Rætorũ Vindelicorúmq; adjutus; & minimo minùs abfuit, quin capti Ducis decus eo prælio ipſi referrent; nam cùm inclinatam aciem Arminius nec manu, nec voce, nec accepti adeò vulneris decorâ oſtentatione erigere poſſet, tentatâ per ſagittarios eruptione, Rætorum, Vindelicorum, Gallicarúmque cohortium ſigna objicientium viribus, in præſens adductus eſt diſcrimen; víxque extrema omnia tentans, incitato equo, ſuóque ſanguine, ad diſſimulationem vultus, pictus, toto denique corpore adniſus,

nisus, ex eorum manibus elapsus est. Indè vsque ad Neronis mortem, altum de Vindelicis, Noricísque silentium. Tres proximi Principes Galba, Otho, Vitellius, qui breve imperium memorabile sceleribus fecerunt, cùm biennium, neque integrum quidem, illis, ad lacerandum orbem terrarum, concessum esset, tempore suo vsi, nihil vsquam passi sunt conquiescere; nam pro horum furore orbi pugnandū fuit, nullo alio victoriæ emolumento, vtcunque res caderet, quàm, vt nequior imperaret: In eo rerum motu, abrepti ad Vitellij partes Ræti, initio LXXI anni, in illius verba juravere, Porcio Septimio præeunte: statímque oblata occasio est, fidei erga qualemcunque Imperatorem probandæ. Cæcina Vitellianarum partium Dux, cùm in Italiam proficisceretur, Helvetios infestos habuit; arma ij corripuerant pro Galba jam occiso, pro quo neque vivo pugnandum fuisset; quorum iras vbi Cæcina sensit, ad Rætica auxilia nuncios misit, vt Helvetios ipsi à tergo adorirentur. Adfuere alæ Ręticæ, cohortésque, & voluntaria insuper Iuventus, sueta armis, & ad mo-

SVB GALBA OTHONE, VITELLIO.

Tac. l. hist. 1.

rem Romanæ militiæ exercita; quibus ingruentibus, nulla Helvetijs salutis spes, nisi in fuga, quâ montem Vocetium petiere; vnde tamen iterum detracti à Germanis Rætísque, in silvis, ferarúmque lustris sunt contrucidati. Norici interim addictiores Othoni, Vitellium aversabantur; Petronius Provinciæ Procurator auxilia conciverat, &, siqua vis ingrueret, videbatur à pugna non abhorrere; pontes etiam sciderat, arcendo hosti. Quæ res nunciatæ Cæcinæ, anxium reddidere, dubitantem, an Ræticis jugis in Noricum flecteret, an in Italiam recto itinere properaret; quod posterius demum placuit, cùm reputaret Noricos in cętera victoriæ præmia accessuros: Othone mortuo, Fl. Vespasianus Vitellio oppositus est, illi potissimùm imperium orbis terrarum destinantibus Superis, qui in exscindendâ invisâ Judæorũ Gente, & vindicandâ Servatoris nece, fidelem operam, fortémque manum Deo commodârat. Ille inter primas curas, animo in Rætiam verso, suis eam partibus adjungere laboravit; missæ eò literæ ad labefactandam fidem Vitellio datam; adjuncti

ACTA SVB VESPASIANO.

Tac. l. 2. hist.

juncti Centuriones, militésque, qui animos Vitellianorum tentarent, quorum aliqui comprehensi, diligentiam suam apud Vitellium capite luerunt; plures fefellere, suâ alienâve industriâ tuti; Rætia nihilominus in fide permansit; Norico interim Vespasianum omnibus opibus, viribúsque fovente; apparebátque confines duas provincias, diversarum studio partium, pro suis Imperatoribus pugnaturas: nam vtramque Oeni ripā, qui Rętos Noricósque interfluit, miles impleverat; hinc Sextilius Felix cum ala Auriana & VIII. cohortibus, ac Noricorum juventute jurata Vespasiano; indè infesti eidē Ræti à Porcio Septimio Procuratore, incorruptæ erga Vitellium fidei, evocati excubabant; priùs tamen, quàm summo discrimini res committeretur, fortuna partium alibi transacta est, Vitellio occiso; tum demum Rætia, Vespasiano sine æmulo imperante, consensum orbis terrarum secuta, eius se potestati subiecit. Aliquam-multis deinceps annis nulla illustrior, quæ quidem in literas venerit, Rętiæ aut Norici extat memoria; vnde mihi neq; Cæsarum seriem necte- *Tac. l. 3. hist.*

nectere animus est, quorum præter nuda nomina, quod quidē ad res nostras spectet, afferre nihil possum; Illud satis constat, primo seculo Christiano, veram Religionem pietatémque, immortali Dei beneficio, in Noricum immigrasse: primus hos Divinæ lucis radios B. Laurentius intulit, longè antiquior eo, qui in craticula tostus est; nam noster hic, sive Apostolorum Principis, sive D. Marci, sive adeò Hermagoræ Aquileiensis Episcopi missu, in Noricum profectus, Laureaci legem Christi Domini Deíque nostri interpretatus est; cuius nomini honoríque grata plebes, Templū vitâ functo religiosè dedicavit, post tot etiānum secula superstes. Hadriano imperante, qui CXIX anno, Traiano successit, magna rerum in Retia & Norico facta mutatio, privato illius Principis ingenio, pleraque, sive vsus, sive animus ita ferret, in Imperio innovantis: sed quod provincias nostras propriè spectat, Retiam in primam & secundam divisit; éstque omnino credibile, secundam Retiam iisdem terminis circumscriptam, quibus olim Vindelicia fuerat, quod nomen ab eo tempo-

Brusch. l. 1. de Batau. Molan. appēd. ad Vsuardum. Hūd. metrop. &c.

LEX CHRISTI NORICO ILLATA.

Ex Notit. Imperij. Et M. Velsero l. 6. rerū Aug. Vind.

tempore penè extinctũ. Rei militaris administratio in vtraq; Rætia Duci permissa, qui Rætici limitis Dux deinceps dictus est; qua dignitate Fulvium BOIVM sub Valeriano functum, suprà ex occasione retulimus. Præsides singuli singulis Provincijs dati, quarum alterũ Augustę Vindel. alterum Curiæ sedẽ fixisse, hinc manifestũ videtur, quòd hæc Rętiæ primæ, illa secundæ caput perpetuò habitæ sint. M. Aurelio Antonino Philosopho, & Lucio Vero simul imperantib. (anno CLXIII. iniere) Catti in Rætiam, irrupere; de eventu nihil cõstat, nisi quòd Aufidium Victorinum, ad illorum vim retundendam, missum Capitolinus prodidit. Anno CLXXI. L. Vero mortuo, Marcus solus imperavit; quo tempore cùm iterum Barbari in Noricum & Rætias penetrassent, P. Helvius Pertinax, qui post Commodum Imperator fuit, prætorijs auctus ornamentis legionem, primam adduxit, & utrámque provinciam ab hostibus vindicavit; ex quo, eminente industria, studio Marci Imp. consul est designatus. Cúmq; Marcus usu comperisset, opportunas barbaro-

SVB HADRIANO DVCES RÆTIÆ CONSTITVTI.

BARBARORVM IN NORICVM ET RÆTIAS IRRVPTIONES. *In M. Antonino.*

Capit. in Pertinace.

rum infestationibus provincias præsidij satis in ordinarijs auxilijs non habere; & seram subinde opem esse, quæ de confinibus provincijs peteretur, novas legiones duas instituit, Secundam & Tertiam Italicam, quarum prior in Norico, posterior in Rætijs stativa haberet. Marcus cùm orbi terrarum re hac vnâ nocuisset, quòd hæredem post se reliquit, vivere & imperare A. CLXXXII desijt; ei Commodus filius, monstrum hominis, suíq; incommodum seculi successit; quo tamen rerum potiente, ingens Rætiæ & Norico felicitas obtigit: Lucius Britanniæ Rex, Patre Coillo, avo Mario, aut Manio, proavo Arvirago, insigni Christiani nominis fama excitatus, ejusdémque propiùs agnoscendi studio inflammatus, ab Eleutherio Rom. Pontif. per legatos petijt, vt Divinæ Legis periti interpretes ad sese mitterentur; profecti Fugatius & Damianus Pontif. jussu, Regem ad Christiana sacra suscipienda induxerunt; qui simul ac melioris regni hæres scriptus est, rerum omnium mortalium contemtor, diadema, sceptrum, regiásque opes generoso pede calcans,

Dio l. 55.

Martyr. Rom. 3. Decemb. & 26. Maij. Andr. Ratisp. Brev. Curiens. Petr. de Natalib.

LUCII BRITANNIÆ REGIS IN NOR. & VIND. ADVENTUS ET RES GESTÆ.

&

& rem ausus etiam hodie ſtupendam, voluntarius exul, ad Cœlum magnis paſſibus properavit, Deum ſecutus; hoc Duce Noricum, Rætiam, Vindeliciámque ingreſſus, Cæleſtis diſciplinæ ludum nuper Rex aperuit, & noſtræ Rudimenta Fidei optimus magiſter tradidit; útque illuſtri documento comprobaret; agere juxtà atque pati fortia, Chriſtianum eſſe, Auguſtæ Vindel. impia manu pulſatùs, appetitus lapidibus, & in puteum deturbatus; indéque velut effigies quædam ſpirantis mortui extractus, ſibíque reſtitutus, Reginoburgum, Iuvaviam, quæ hodie Salisburgum eſt, ac demum Curiam Rætiæ demigravit; vbíq; ſui ſimilis, & nihil præter Deum amans, aut loquēs, cui tandem illum beata mors junxit. Exemplum viri tantum apud poſteritatem valuit, vt Regum deinceps multi centonem purpuræ præoptarent, & nudi Chriſtiano orbi probarent, nihil minùs eſſe erubeſcendū, quàm paupertatē Chriſti. Septimius Severus, qui A. CXCV ad imperium acceſſit, vias & pontes, vnà cum filijs, Auguſtâ Italiam verſus reſtituit, per paſſuum millia CX. & am-

 plius

plius fortasse; cujus rei testes, cippi plures cum inscriptionibus hodiéque supersunt. Septimio Severo patri CCXIII Anno mortuo Antoninus Caracalla successit; hic circa Rætiam, Spartiano teste, non paucos barbaros interemit; & ob Alemannos devictos, Alemannici cognomen assumpsit. Dirior clades, à Germanis, sub Gallieno accepta est; cujus pater Valerianus, cùm Rætię & Norico olim præfuisset, ex eâ præfecturâ ad Imperium pervenerat; verùm eo à Persis A. CCLXII capto, Gallienus à seipso degenerans, in omnem vitæ fœditatem prolapsus, atq;, vt Trebellius Pollio loquitur, aut nullas, aut luxuriosas, aut ineptas, & ridiculas res agens, Imperium Romanum stultitiâ suâ perdidit: Triginta certè tyranni sub eo orbē lacerarunt; &, ne quis miretur viros hoc ausos, fœminæ etiam duæ (adeò omnis consumptus erat pudor) Zenobia & Victoria, in contemptum Gallieni, partem imperij ad se rapuerunt; & sanè Cæsareum nomen, omnésque principis numeros, meliùs, quàm semivir ille, impleverunt: qui cùm neque ad tot probra sua evigilaret, mirum

Spart. In Carac.

Eutrop. l. 9.

GERMANI RÆTIAM VASTANT.

rum nihil eſt, Germanos occaſione tam bellâ uſos, ſe moviſſe; igitur per Rætiam & Alpes, in Italiam, Ravennam uſq; evaſere, miſerrimis ubiq; editis vaſtitatis exemplis, quæ neq; poſterius ſeculum abolere potuit; cùm Oroſius, qui centum & quinquaginta annis pòſt vixit, extitiſſe adhuc tempore ſuo fateatur, per diverſas provinçias, in magnarum vrbium ruinis, parvas, & pauperes ædes, ſigna miſeriarum, & nomina ſervantes; Mox poſt Germanos, iterum Alemanni Vindeliciam vexaverunt, ipsámq;, quod ex Vopiſco intelligitur, Auguſtam obſidione preſſerunt; quos tamen Aurelianus Imperator, qui A. CCLXXI imperium ſuſcepit, circa Danubij fontes aſſecutus, conſerto prælio, magna copiarum parte multavit; unde à morte, inter illius elogia, hoc quoque cum grata recordatione, in ſenatu jactatum eſt, Ille Vindelicis jugum barbaræ ſervitutis amovit. Mox tamen bellum recruduit, aut certè belli metus, quod Probus penitùs extinxit, is qui A. CCLXXIX. Imperator ſalutatus eſt; hic enim in Illyricum tranſiens, Rætias ſic pacavit, vt ne ſuſpicionem

Oros. l. 7. c. 22.

Item Alemanni.

Zosim. l. 1.

Vopiscus in Aureliano.

Vopisc. in Probo.
BONOSVS RÆTIÆ DVX POSTEA IMP.
HELLVO.

nem quidem vllius terroris reliquerit, hic ipse Bonosum etiam, qui tyrannide Imperium invaserat, prælio vicit. Bonosus Rætici olim limitis Dux fuerat; cujus famam res nulla celebriorem fecit, quàm quòd vnus ipse biberet, quantum nemo hominum; vt de illo Aurelianus Imp. dixerit, natum eum, non vt viveret, sed vt biberet; quantumcúnque tamen hausisset, bonâ fide remetiri solitus, nihil interim ne cerebro quidē vacillabat; imò, vt Onesimus scriptum reliquit, in vino prudentior fuit; quæ res illi ad barbarorum arcana exploranda magno vsui erat; horum enim Legatos cùm grandioribus poculis invitasset, facile silentij fidem lenibus vini tormentis expugnavit: hic tamen helluo, & omnium conviviorum modimperator, imperium orbis sperare ausus est, & rapere: sed cùm illud, instante Probo, tueri non posset, jus ipse sibi laqueo dixit, fœdo mortis genere professus, quid vivendo bibendóq; meruisset; in quem jam pendulum scitè illud jactatum est, Amphoram pendere non Hominem.

III. Diocletianus deinde & Maximianus ab

ab anno Christi CCLXXXIV. Imperatores, immani in Christianos sævitia id meruere, vt hodie etiam vtriúsq; nomen velut detestabile abominemur, vtq; ne benefactis quidem gratia sit, si quæ in Remp. vnquam contulerunt; quale illud Maximiniani in rem nostram fuit, qui Alemannos perpetuos Rætiæ hostes, capto etiam Gentis Rege, & latè vastato agro, exhaustáq; adeò penitùs Alemannia, fortiter repressit, veterem Rætiæ limitem ad Danubij fontes restituit, imò etiam longiùs protulit, promovítque. Hujus, aliarúmque, si quæ fuerunt, victoriarum decora, quibus cæteroqui plaudendum fuit, Christianorum funeribus obruêre, inter quorum cadavera cùm incederent, & propè sanguini innatarent, id demum & rem regiam & formosum spectaculum credidere: Erubuerunt hoc carnificinæ profluvio etiam nostræ provinciæ; & quia innocentiæ jugulum in omni sexu hominum, & ordine petebatur, numerare Episcopos, milites, fæminas possumus, iniquo horum Cæsarum gladio cæsos. Illustris inter triumphantium agmina Maximilianus

DIOCLETIANI ET MAX. IN CHRISTIAN. SÆVITIA.

AN. CH. CC. LXXXIV.

MAXIMILIANI M. ACTA ET MORS.

Martyr. Rom. 22. Octob. Batauen. chr. MS. Cuspin. in Aust. Hund. Metrop. Molan. Usuard.

Maximinus fuit, Anno CC LXXXVIII vel IX. ex Laureacensi Episcopo laureatus Martyr; Celejæ Pannoniæ oppido in magnas opes natus, vnicam ijs rectè utendi fruendíq; artem, liberalitatem in egenos à puero amplexus, sub Oranij presbyteri magisterio, ad omnem morum profecerat honestatem; Decio in Christianum nomen grassante, profugus domo, Romam ad Xystum II. Pont. M. venit; cujus suasu, jussúve, patriam repetijt, laboranti & sub Cæsaris impij gladio fatiscenti, auxilio aut certè solatio futurus. potissimùm autem Noricum Ripense excolendum sibi sumpsit; & Laureacensem agrũ, jam olim à B. Laurentio plantatum, viginti propè annos pio sudore rigavit, etiam sanguinem impensurus nutriendæ fovendǽq; Religioni. Sed hujus illum voti Deus in patria damnavit; nam eò tandem reversus, cùm Ejulasium Præfectum ad nefanda sacra cogentem cives suos vidisset, impijs edictionibus liberrimo ore intercessit; etsi apud scelestum animum neque ratio, neq; divina facundia quicquam potuere: recta monentem Ejulasius, cùm aliter non posset, gladio refu-

refutavit: Et Maximilianus quidem cervices ultro porrexit; veritatem tamen, etiam lingua tacente, suo sanguine obsignavit. Dies, quo in patria sua feliciùs cœlo natus est, IV. Id. Octob. fuit, æternæ illius memoriæ sacer. Circa annum deinde CCXCVII. quadraginta laureas, nihilo inferiores ijs, quæ cœlo lapsæ quadraginta Sebastenos Martyres coronarunt, idem Laureacensis ager quadraginta militibus imposuit. Hos, Christianæ pietatis causâ, Aquilinus Norici Riparij Præses, Laureaci comprehensos in carcerē conjecerat; quod cùm Florianus, qui Ceciæ oppido Tribunus milit. præerat, cognovisset, ad spem tam nobilis triumphi excitatus, indignum censuit, peiori se, quàm commilitones suos jure vivere, qui eadem sub Christo stipendia fecisset; ratus, si quisquam ad coronam vocandus esset, neque se præteriri posse; certè frontē suam nunquam ad IESV nomen erubuisse. Ergo in publicum progressus, vltro lictoribus se obtulit, & heus, inquit, carcer numerum suum non habet, qui si Christum colentibus debetur, ego primus ligandus fui;

XL. MARTYR. LAVREACENSES.

Proprium SS. Batavens. Surius 4. Maij. T. III. Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. IV. Maij.

D. FLORIANVS EX TRIBVNO MARTYR.

obse-

‹ obſequio & fide in Imperatorem meum
‹ nunquam ceſſi militibus Tribunus; &, ſi
‹ ex merito agitur, aliquid ſupra vincula
‹ merui, aut certè meruiſſe videri volo;
‹ ſacramentum, quod Chriſto dixi, idem
‹ nunc votum meum eſt; vri, vinciri, fer-
‹ róque necari, deliciæ ſunt Chriſtiano-
‹ rum; & adoranti Crucem turpe eſt, non
‹ poſſe vulnus oſtendere. Hæc cùm plenus animi, ſuíque prodigus ſanguinis diceret, raptus ad Aquilinum Præſidē, quòd in ſententiâ perſeveraret, fuſtuarium ſemel iterúmque, ſcapularum etiam laccrationem, & candentes vncos Chriſtianâ conſtantiâ paſſus, Anaſſo tandem flumine merſus eſt. Ferunt lictorem, qui, ſuſpenſo de cervice ſaxo, Martyrem in aquas pręcipitavit, illico oculis orbatum; corpus Martyris neque mole ſua, neque molaris pondere depreſſum, fluctibus etiam poſt mortem innatavit, ſaxóque applicitum tantiſper hæſit, donec religioſa fœmina, Valeria nomine, alitis ſacrum pignus inumbrantis tuentíſque indicio proditum corpus tumulo intulit. Ita fortiſſimus vir per flammas & vndas Deum ſecutus, nunc quoque vtrique
elemen-

Elemento imperat; nam & jugis salubriũ aquarum fons, ad tactum sacri corporis prosilijsse fertur, & ignium furori in tecta grassantium Floriani nomen hodiéque opponitur: multísque documentis, omni ævo, ostensum est, tutelam hanc ædibus contra flammas saluti fuisse: quadraginta eius commilitones, per varia crudelitatis exempla tracti, laceratis corporibus, fidem integram invictósque animos ad triumphum secum asportarunt. Neque Vindelicia similium expers victoriarum. Nam CCCIII Anno, Afra, cuius præter formam laudari quondam nihil poterat, cùm à S. Narcisso felicis exilij erroribus Augustã delato, sanctioris vitæ normam accepisset, & repudiatis amoribus cæteris, in vno Deo acquiesceret, à Gaio Judice ad rogum damnata, datam Deo fidem in igne probavit; quam mater & ancillulæ tres, eodem genere lethi extinctæ, secutæ sunt; quo ipso die, viginti quinque alij, in optima causa accusati impietatis, capite plexi sunt. Octavo eiusdem seculi anno similem in Norico palmam nactus est Quirinus, Laureacẽsis, post D. Maximilianum, Episcopus,

D. AFRÆ & SOCIARVM MARTYRIVM.
Ex actis apud Surium.

ITEM ALIORVM XXV.

S. QVIRINI EP. LAVR MORS.

Prudẽt. Martyrol. Rom. Beda, Vsuard. Brunschius, Baron. &c.

&, si veteri famæ credimus, Philippi Imperatoris filius, qui Christũ, magnorum testium asseveratione, ex Cæsaribus primus coluit; ita providente Deo, vt millesimus æternæ Vrbis Romæ annus, qui in Philippi Imperium incidit, Christo potiùs, vt Orosius loquitur, quàm Idolis consecraretur: hic igitur Quirinus, Galerio Imperatore, lapide molari de collo suspenso, in amnem deturbatus diu mergi non potuit, aquis pietati famulantibus, & virum saxúmque sustinentibus, donec Martyr id pro beneficio à Deo impetravit, vt cedente sub pedibus vndâ, mori posset; huic Prudentius nobili carmine parentavit. Sed enim quòd cognomines sibi plures haberet, vita & morte illustres, idem illi, quod quibusdam alijs, vsuvenit, vt acta illius cum alienis confusa, errore perplexabili non vno, Lectorem offẽdant. Sed me festinatio hîc non patitur consistere; illud obiter moneo, D. Quirinum, qui in Tegerensi Monasterio, insigni veneratione colitur, immortalibus beneficijs non soli Boicæ notus, alium ab hoc nostro esse. Secuta sũt deinceps tempora, quibus gladij, per

Orosius.

tria

tria ſecula in pietatis jugulum ſtricti, jubente Conſtantino, conditi ſunt, tandémque impunè licuit eſſe innocentibus; & Crux odijs orbis terrarum appetita, in frontibus Regum ſtetit; didicítq; magnus Imperator, in quo Signo vinceret. In hac ergo tranquillitate publica, noſtræ provinciæ reſpirarunt, & libera Religio paſſim palámque caput extulit; etſi illius triumphos in alta pace actos, literæ nimis illa tempeſtate parcæ, ſilentio transmiſerunt; nimirum quæ Vrbium ferè omnium conditio fuit, vt non niſi inter gladios & bella inclareſcerent, cùm pacatis interim otium ſuum famæ ſepulchrũ fieret; idem etiam Chriſtianæ Reip. obtigit, quam Martyrum ſanguis, qui ipſiſſimus heroicæ virtutis color eſt, conſpicuam adeò fecit, vt illuſtrior nunquã fuerit, quàm cùm purpuram ſuam in ſuorum civium cruore tinxit. Conſtantinus CCCXXXVII anno moriens, tribus filijs imperium reliquit, Conſtantino, Conſtantio & Conſtanti; atque huic quidem, in reliqua hęreditatis portione, noſtræ etiam provinciæ ceſſerunt. Sed terrarum orbis tribus ſufficere non potuit; &, quod

CONSTANTINI IMP. ÆVVM. A. CH. CCC. VI.

quod turpius est, ne fratribus quidem; ita proferendi Imperij cupiditas etiam naturæ affectibus potentior, fratres primùm in mutua odia, deinde etiam in arma trusit: & Constantinus quidem Constantis ditiones aggressus est, quódq; indè conjicere proclive est, Rętias & Noricum; sed hic impij concitator belli, CCCXL anno prope Aquileiam cæsus est; post decennium, etiam Constans Magnentij dolis appetitus occubuit. Magnentius, tertio anno post, à Constantio apud Mursam vrbem victus, gladium in se vertit; Decentius frater, quem ipse Cæsarem creârat, ne feliciùs periret, laqueo sibi gulam fregit. Interim Alemannis ex Imperatorum discordijs aucti animi, ad lacerandas Imperij Romani provincias: Rętia maximè opportuna injurijs, nunquam satis firmo contra illos limite munita, ferè anniversarios hostes passa est: sed quia interiora Vindeliciæ, multóque magis Norici ab ijs intacta fuere, alienam rem ab instituto fecero, si hîc sim longior.

Ammian. l. 15.

IV. ANNO CCCLXI, Iulianus, qui ob ejuratam Religionem, infame nomen na-

ctus est, Alemannis non vno prælio victis, Augusti appellatione assumpta, contra Constantium moturus, divisis copijs, viginti millia terrestri itinere Sirmium ire jussit; ipse cum tribus millibus Danubio secundo delatus, vndecimo die eodem appulit. Vrbes Danubio adsitas vitabundus, eo consilio prętervectus est, ne cui raritate comitatus contemptui esset; quanquam Mamertinus Rhetorum more inflatiùs omnia in majus augens, iter illud velut Numinis cujuspiam, perpetuâ adorantium populorum frequentiâ, vtroque celebratum littore jactat: Longissimo, inquit, cursu ' Istrum placuit navigari: proh sancta di- ' vinitas, quæ navigationis illius fuit pom- ' pa, cùm dexteriorem (Vindelicam, No- ' ricam, Pannonicam) incliti fluminis ri- ' pam, vtriusque sexus, omnium ordinũ, ' armatorum atque inermium perpetuus ' ordo prætexeret! despiceretur ad lævam ' in miserabiles preces genu nixa barbaria; ' omnes vrbes, quæ Danubium incolunt, ' aditæ, omnium audita decreta, levati ' status, instaurataque Fortunæ; innume- ' rabilibus barbaris data venia, & munus '

Ammian. l. 21.

IVLIANI PER DANVBIVM NAVIGATIO.

Ammian. l. 21.
In Panegyr. Iuliano dicto.

'pacis indultum; qui properationem il-
'lam contemplabitur, nihil egisse præter
'viam Imperatorem putabit; qui gestarum
'rerum multitudinem considerabit, pro-
'perasse non credet.

D. CASSIANI EPISCOPI MARTYRIVM.

Vels. l. 3. Boic. rer. Hund. in metrop. Sigon. hist. Bonon. Andr. Lil. de persecut. Eccl. l. 3. Alphon. Vilega de Vit. SS. Volaterran. l. 4. Anthrop. Brev. Brixin.

In hunc ipsum aut sequentem annum illustris Cassiani M. mors à plerisque refertur, quem constat Sabionæ inter Brixentas Episcopum, & Christianæ Legis Doctorem fuisse; quæ cùm non æquis omnium animis acciperetur, carcerem & vincula passus, & tandem Brixentum agro pulsus, cùm Romam peteret, ex itinere Forum Cornelij, quæ vrbs Imola hodie dicitur, divertit; ibiq; divinæ gloriæ propagandæ studio, aperto literario ludo, balba infantiæ ora formare aggressus, elementarius senex inter puerorum greges repuerascebat; in hanc vnam rem ingeniosus, vt, dum primos discipulis literarum apices præmandit, vnum etiam Deum ingereret; cuius nomen non tam in ceratas tabulas, quàm cerea puerorum corda inscribere, omni ope satagebat, ita cum animo suo reputans, agnoscendi amandíque Dei scientiam si pueris tradidisset, olim etiam viris senibúsque adhæsuram;

ſuram; quemadmodum & teſta odorem ſervat, quo recens imbuitur; neque color elui poteſt, quem lanæ primum bibe-runt. In hoc quantumvis exiguo theatro, cùm virtutem doctrinámque ſuam, applaudente cęlo, optimus magiſter, ſine ambitione, explicaſſet, indignum illi ab ingrata juventute Minerval eſt perſolutum: nam cùm impietatis in Deos accuſatus eſſet, atque ipſe vltro fateretur, falſorum ſe Numinum etiam nomina è ludo ſuo proſcripſiſſe, neq; ipſam infantiam eoúſque delirare paſſum, vt Iovem Tonantem, aut omnino Deorum talium quemquã timeret; crudelis Iudex illum deſpoliari veſtibus, & ad ludibrium carnificinámque diſcipulorum exponi vinctum juſſit; quo mandato non injucundo, & veteribus odijs, (quæ magiſter, quantumvis parcus ferulæ, apud gregem ſuum facilè colligit) irritati, illis ipſis armis, quæ Caſſianus tradiderat, optimè de ſe meritum invadunt; & primùm tabulas ſuas in ore Martyris diffringunt; graphia deinde & ſtilos expediunt, & per nudum Præceptoris corpus cæſim punctímque pro libidine graſſati, acerbiſſi-

mum in illo epigramma exarant; insultantes obiter, corrigeret errantem manum, aut laudaret dociles discipulos, qui tam bellas pingere literas, sub illius disciplina, didicissent. Interea Martyr, cùm mille vulnera accepisset, vivebat in dolores suos, optabátq; fortiorem manum, quæ viam animæ faceret; cùm tandem Deus spectatum satis, & nimium quantum literatū, ex illo immani Gymnasio ad se evocavit. Et hunc quidem exitum Cassianus habuit, ipsis Idib. Augusti: sed de Anno non ita liquet; visum enim est nonnemini, rem ad cruenta Diocletiani tempora pertinentem, eâ conjecturâ ad Iuliani Imperiū retractam, quòd ille Lege promulgata, quam Ammianus quantumvis impius inclementem, & perenni silentio obruendam vocat, Christianos liberales artes docere vetuerit; vnde plures magni nominis Christiani Professores Scholas deseruere, in quibus *a* Musonius, *b* Proæresius, & C. Marius Victorinus nobilium Senatorum doctor, vt S. Aug. loquitur, qui ob 'insigne præclari Magisterij, quod Cives 'hujus mundi eximium putant, statuam in

Am. l. 22. & 25.

a *Ennap. Sard. in vita Phil.*
b *S. Hieron.*
Aug. l. 8. Conf.

in Romano foro meruerat, & acceperat. Cùm ergo Cassianum, aperto ludo, literas professum Acta ipsius testentur, hinc fortasse factum, vt posteri crederent, hoc potissimùm tempore, lege Juliani damnatum, Fidei magisteriiq; pœnas dedisse; cùm interim multò antè passum vel ex eo colligi possit, quòd Prudentius, qui Juliani ævo vixit, cùm in Foro Cornelij, ad S. Cassiani aram advolutus, totam crudelis carnificinę scenam in tabula pictam inspiceret, neque quorsum omnino pertineret, intelligeret, æadituo demum referente didicerit, non inanē aut anilem esse fabulam, sed historiam eâ picturâ referri, quæ libris tradita veram vetusti temporis fidem monstret. Atqui vix Prudentius nescire, quod vivo se, quamvis puero, factum fuerat; neque æadituus vetustatis nomen adscribere rei tam recenti potuit. Verùm ego litem hanc in medio relinquo; cùm neque Baronius Ecclesiasticæ historiæ omnis scientissimus, certos Casſiano annos assignare sit ausus. Ad Annum deinceps CCCLXXX usque, rerum publicarum, quod nostras provincias spectet, præter Alemannicas

Prudent. in Hymn. in S. Caſsian.

In Martyrol.

incursiones, nihil traditur; quibus immorari vel ideo minùs libet, quòd Marcus Velserus, cujus ferè vestigia premimus, nullum nostræ diligentiæ hac in re locum reliquit. Domesticum interim decus ingens in Vindelicia inclaruit; nam Rhomedius, seu, vt alijs appellatur, Remedius, in Oenana valle, in Taurienſi castro suo, quod inter Oenipontem & Halam celebrem Salinis vrbē, situm est, natus, Summontorij insuper, quæ hodie Alta * Specula dicitur, dominus, &, vt nunc loquimur, Comes, jam illo seculo, quo tam pauca digna visa sunt literis, tam clara virtute fuit, vt quanquā maximè vellet, latere in obscuro non posset, magnus etiam ipse testis, gloriam fugiendo quæri. Divitiarum primùm contemptu ora oculósque hominum in se convertit, quas cùm ferè omnes ament opténtque, pulchrius tamen creditur, illas abjecisse; Romam indè, Abraha & Davide comitibus, profectus, trophæa Martyrum salutavit. Tridenti D. Vigilio Antistiti similitudine morū intimè conciliatus, Anaunienſibus se demum montibus condidit; illos præoptans virtutum

In l. 7. Rerum Vindelicar.

D. RHOMEDII RES GESTÆ.

Monum. antiqua Submontoriana.

Io. Pyrrhus Pincius l. 1. rerum Tridentin.

P. Canis. in Martyrol.

Philip. Ferrar.

* Hohenwart.

tum

tum suarum conscios, quàm homines testes habere: Sed mulra nihilominus illum prodiderunt; feræ ipsæ agnovisse visæ sunt, qualis, quantusque vir in sua lustra immigrasset. Vrsus certè cùm equum Rhomedij interemisset, illius vicē subire jussus, neque pœnam, neque obsequium detrectavit. Ædiculam sacram molienti etiam aves famulatæ dicuntur. Sed & dæmon ab insesso corpore emigrare coactus, stationem deseruit. Mortem illius sonantia spontè æra significarunt; adeò magnæ virtuti nunquam deesse præco potest.

Tertio deinceps anno ab illo, quem proximè nominavimus, novus Rætiam hostis vexavit; Iuthungi insolita illius anni fertilitate attracti, prædas ex opimo agro agebant; testis rei Ambrosius, cujus hæc verba sunt; Fæcunda Rætia fertilitatis suæ novit invidiam; nam quæ solebat tutior esse jejunio, fæcunditate hostem in se excivit. Valentinianus Imper. Juthungis Hunnos & Alanos opposuit, qui tamen ipse paulò pòst, id est, anno CCCLXXXVII, à Maximo tyranno, Italiâ & his nostris provincijs exactus est, quas

ANN. CCCLXXXIII.

Ambr. resp. ad Sym. relat. & epist. 27.

quas illi Theodosius, debellato Maximo, proximo anno restituit.

Initio quinti seculi Christiani, novæ & insignes iterum clades acceptæ; nam Theodosio rebus humanis erepto, inclinatóque in Honorij, & Arcadij impares humeros orbis imperio, exorientibus vndique in ejus perniciem barbaris, Fortuna Romana passim vultum mutavit; calamitatum omnium compendium Roma Capta fuit, vt Vrbe principe sub jugum missa, nihil mirum sit, si provinciæ nostræ, velut capitis illius membra, infelicitatum contagione laborarunt. Quid enim salvi esse potest, (verba Hieronymi sunt) si Roma perit? Noricum primum impetum excepit; nam cùm illac Alaricus Gothorum Rex ingentem exercitũ traduceret, nihilo sanè mitiora passum esse credi potest, quã reliquas Romano nomini devotas provincias, cùm Romæ ipsi tumidus Rex extrema omnia minaretur. Certè patriæ suæ, quæ hoc tempore bustum & horror facta est, ingemiscens D. Hieronymus scripsit; Testis Illyricum est, testis Thracia, testis, in quo ortus sum, solum, vbi præter cœlum & terram,

Zosimus l. 5. alij.

Hieronym. in 1. cap. Sophon.

terram, & crescentes vepres, & condensa sylvarum, cuncta perierunt. Interim tantæ tempestatis in Italiam invectę fiduciâ, etiam barbari Rætijs aliàs infesti, & imminentes, fædera nuper, paciscente Stilicone, cum Honorio Imperatore inita ruperunt; ita enim disertè Claudianus, qui bellum hoc Geticum nobili carmine ad fidem historiæ celebravit, RÆTICÆ CALAMITATES CIRCA A. CDI.

——— Iam fædera Gentes *Claud. de Bell. Getico.*
Exuerant, Latiiq; audita clade feroces,
Vindelicos saltus & Norica rura tenebant.

Ex quo planum fit, vtrinque, sive Alemannorum incursionibus, sive Vandalo novo hoste in has oras grassante, graviter fuisse laboratum: Stilico tamen, quidquid fuit, adventu suo dissipavit; pacatísque provincijs, exercitum insuper in Italiam deportavit, quo fretus, Alaricum, ad Pollentiam, memorabili prælio fudit, & Italiâ depulit. Cogitabat ille quidem copiarũ reliquias vel in Galliam, vel Rætiam transferre; nam vt Claudianus ait:

——— Occulto tentabat tramite montis *In 6. Hon. Consul.*
Si quas per scopulos subitas exquirere posset
In Rætos Gallósq; vias. ———

Instante tamen Stilicone, conatus illius irriti

irriti fuere, itérq; ſuum in Illyricum deſolatus & expes eſt remenſus. Hoc ipſo tempore, quo maximè Gothicus furor ſentiebatur vel metuebatur, inteſtino malo haud paulò periculoſiùs Vindelicia, & fortaſſe confines etiam provinciæ conflictabantur. Integritatem adeò Philoſophiæ Chriſtianæ nondum adultam temeraverat impia Arij lingua, vt, ſerpente veneno, totus demum orbis terrarum (verba D. Hieronymi ſunt) ingemiſcens, ſe miraretur Arianum; certè Batavium, quod Paſſavium hodie eſt (Batava olim caſtra dictum) ea peſte hoc ipſo tẽpore laborabat; verùm, quæ Dei bonitas eſt, non defuit malo medicina, quíq; illam doctiſſimè faceret, ab ipſis uſq; Oceani finibus accitus eſt. Is D. Valentinus fuit, qui ad hunc Vindeliciæ angulum excolendum, cùm omne ſtudium operámque contuliſſet, & tamen cum immitibus ingenijs ægrè colluctaretur, ſemel iterúmq; Romam profectus, ſummo Reip. Chriſtianæ Antiſtiti ſe ſtitit; à quo Epiſcopatus honore auctus, cùm ad Spartam ſuam ornandam redijſſet, & agendo patiendóque, quæcunque bonus

S. VALENTINI EPISCOPI PII PRO PIETATE LABORES.
Surius. Faſti Bataveſes.

nus animus poteſt, nihil proficeret; inſanabili Arianorum furori cedere coactus, per reliquam Rætiam, magno operæ precio, contemptam in Batavis caſtris veritatem explicavit; Ad alpes tandem Majas, Meraniæ (quæ Tiroleos Vrbs eſt) imminentes profectus, etiam illa aſpreta mollijt, & ad virtutis elegantiam manſuefecit; cujus mortui ad Batavenſes reditum ſuo loco narrabimus.

Alaricus interim cum ſuis, vt Oroſius loquitur, ſæpe victus, ſæpe concluſus, ſemperq; dimiſſus, dum à Stilicone clàm fovetur, ab Honorio Imperatore palàm contemnitur, ex Epiro, anno CDVIII, in Noricum reverſus eſt, novis viribus ferox; indè literas ad Stiliconem miſit, quibus ſtipendium non belli, ſed moræ, quam in Epiro traxerat, minitabundus petijt; quódque indigniſsimum eſt, cenſente Senatu Romano, impetravit; vnus enim omnino in illa curia Senator, eo loco & nomine dignus, Lampadius, fortem auſus dicere ſententiam, Non pacem illam, ſed pactionem ſervitutis eſſe, libero ore profeſſus eſt. Alaricus acceptâ pecuniâ è Norico tamen exercitum non

Zoſimus l.5. Sigon.de Occid.Imper. l.10.

ALARICVS NORICO INFESTVS

non deduxit. Interim Arcadius Imper. vitâ cessit; ibi demum Stilico, quasi pænitentia rectè factorum ductus, cùm obsequentem Fortunam eousque habuisset, vt soli Imperatori nomine cederet, gloriâ verò anteiret, repentè à virtute & bona mente descivit: nam dum imperium Romanum, quod forti manu penè vnus sustentarat, in Eucherium filium devolvere conatur, illud planè pessum dedit, atque, vt Orosius loquitur, vt vnũ Puerum purpuram indueret, totius generis humani sanguinem dedit; quem ne impunè barbarorum gladijs propinasset, ipse cum filio, iubente Honorio, occisus est, digna intemperantis ambitionis Victima. Alaricus tamen è Norico iterum legatos de pace ad Honorium amandavit, obsides petijt, & vicissim promisit, sed nihil impetravit; cùm Honorium à pace cum barbaro incunda pudor, à bello timor deterreret. Alaricus ignavas ferias perosus, sequente anno, refractis Noricarum alpium claustris, in Italiam irrupit; eóq; vastitatem, luem, mortes, & reliquum bellicarum calamitatum examen invexit, ipsámq; Romam obsidione

Sozomen. Zosim. Oros.

cinxit,

cinxit,quâ cùm cives ad vltima humanæ patientiæ exempla compuliſſet, ægre ab avaro crudelíque hoſte,qui inter pacis leges præter animas ſe Romæ nihil relicturum profeſſus erat,has ipſas, exhauſto ærario, & privatis profuſis patrimonijs, redemerunt:adijcienda etiam veſtis omnis generis fuit;tunicarum quidem è filo ſerico quatuor millia, pellium coccinearũ tria millia, & piperis adeò pondus,quod ter mille libras æquaret; cuius infamiam facti S. Hieronymus his verbis deploravit; Quis hoc credet, Romam in gremio ſuo non pro gloria, ſed pro ſalute pugnare; imò verò ne pugnare quidẽ, ſed auro & cuncta ſupellectile vitam redimere? Rebus ita conſtitutis, Alaricus ex agro Romano in Tuſciam retroceſſit: Noricum interim & Rætia vtraque lætâ pace fruebantur, Generidi maximè induſtriâ, quem Dalmaticis copijs vniverſis, quæque apud Pannoniam ſuperiorem,&in noſtris provincijs erant,Honorius præfecit; Erat hic patriâ, non item ingenio barbarus, & in quo reprehendere nihil poſſes,præter damnatæ religionis ſtudium; nam à Chriſtianis Sacris vſque

NORICI ET RÆTIÆ SVB GENERIDO TRANQVILLITAS.

Zoſim. l.5.

adeò abhorrebat, vt cùm Honorius, latâ lege, militari cingulo omnes ſpoliaſſet, qui Chriſtiani non eſſent, cingulum vltro poſuerit; cúmque legis illi gratiam Imperator, ob præclara in Remp. merita faceret, negavit ſe inter diſcinctos ambulaturum, aut honoris privilegio vſurum, quod ad omnium reliquorum injuriam pertineret; quâ pertinaciâ evicit, vt vniverſa illa lex abrogaretur: tum demum provinciam ſuam aggreſſus, revocato militaris diſciplinæ rigore, quæ ſub ignavis Ducibus elanguerat, otium deſidiæque adiumenta omnibus caſtris proſcripſit, neminem etiam in pace quieſcere paſſus; ita omnia agebat, vt nihil apud ſe remiſſum, nihil apud hoſtes tutum eſſet; ipſe interim adverſum divitias invicto animo, ſi quem eximiâ virtute militem haberet, neque aliunde, quod daret, eſſet, donabat de ſuo; egere, vel eſurire in exercitu quempiam, infame ratus, ſtipendia integra in tempore, & annonam ſine fraude repræſentabat, id vnicè ſolicitus, vt nihil ipſe cuiquam, illi omnes deberent: quibus artibus juxtà militi charus, atque hoſti formi-

BONI DVCIS EXEMPLAR.

formidolosus evasit, vt in illa laborantis Romæ tam sæva tempestate, barbarorum tamen, Rætijs aut Norico nemo infestus esset. Sed Norico aliunde malum imminebat: Alaricus enim cùm infirma adhuc pace, vel inducijs potiùs factis, Rempub. nihilominus tereret, terrerétque, eâ demum lege fœdus sancire cum Honorio voluit, si Noricum sibi vtrumque, Venetia, & Dalmatia incolenda darentur; à quibus conditionibus cùm alieniorem Imperatorem cerneret, tantum de illis remisit, vt, præter Noricum, provinciam aliam nullam peteret. Eius postulati modestiam æquis omnibus se probaturum tantò certiùs confidebat, quòd constaret, Noricum barbarorum injurijs opportunum, pecunias in ærarium inferendas plerasque ad sarciendas domesticas clades insumere, eóque Imperio non magno vsui esse: at vbi neque hoc impetravit, Agite, inquit, ad suos; ‘ mali, vt videtis, oratores sumus; ferreâ ‘ eloquentiâ opus est, vt æqui aliquid ab ‘ Imperatore extorqueamus: vtamur nostro jure, quod in gladio ferimus: Noricum, quid nisi vltimum Imperij limbum? ‘

ALARICVS NORICVM AMBIT.

Zosim. l. 5.

'negantibus, moveamus de ipſo capite
'litem; ſi viri eſtis, Romæ meliùs habita-
'bitis; eam nuper vendidimus; ergo vinci
'poteſt; aurum omne extulimus; ergo re-
'dimi non poteſt: præter ferrum jam nihil
'habet, quo vidiſtis neminẽ illic vti poſſe:
ſic ad alteram vrbis obſidionem prope-
ravit, cuius ſingula perſequi non eſt no-
ſtri inſtituti; deditam primùm, ac deinde
captam, omniáque paſſam incommoda,
quæ in Troiano excidio Poëtarum inge-
nia invenere, ex S. Hieronymi lacrymis
'liquet. Dum hæc aguntur, inquit, terri-
'bilis de Occidente rumor affertur, obſi-
'deri Romam, & auro ſalutem civium re-
'dimi, ſpoliatóſque rurſum circumdari,
'vt poſt ſubſtantiam, vitam quoque per-
'derent. Hæret vox, & ſingultus interci-
'piunt verba dictantis; capitur Vrbs, quæ
'totum cepit orbem; imò fame perit, an-
'tequam gladio, & vix pauci, qui caperen-
'tur, inventi ſunt: ad nefandos cibos eru-
'pit eſurientium rabies, & ſua invicem
'membra laniarunt; dum mater non par-
'cit lactenti infantiæ, & ſuo recipit vtero,
'quem paulò antè effuderat.

ROMA CAPTA.
In Marcella Vid. epitaph.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos,
Plurima perque vias sparguntur inertia passim
Corpora, perque domos; & plurima mortis imago.

Hucusque Hieronymus; qui quanquam ab optimo Poëta tristissimos versus in subsidium evocavit, nihil tamen supra fidem Historiæ dixit: tanta enim in Vrbe, quantumvis post deditionem respirante, rerum omnium inopia fuit, vt ille jam verissimus metus esset, fore, vt homines passim in sese mutuò impetum facerent: adeò vt Circensibus ludis populus exclamarit, Pretium pone humanæ carni. *Zosim. l. 5.*

Sequenti anno Alaricus mortuus est, qui captæ vrbis Romę vix alium fructum cepit, quàm, vt titulum sepulchri glorioso nomine augere posset: hac quidem in re BOIIS cæterísque Galliæ populis nihilo inferior, qui ante annos propè octingentos, Romam itidẽ ferro captam auro vendiderunt. Norico tamen, quod sibi suísque Gothis destinaverat, excidit, BOIIS id Fortunâ bonóque Deo reservante. Tredecim à morte Alarici annis, Sabionensis, sive vt translatâ sede nunc
A. CH. CCCCXI.
A. CH. CCCCXXIV.

XIII. Kal. Aug. Philip. Ferar. de SS. Italiæ. Chartæ Belunens.

LVCANI EPISCOPI BRIXIN. ACTA.

loquimur, Brixinensis Episcopus Lucanus fuit; cuius innocentia & virtus hodiéque lateret in obscuro, nisi illam injuria nobilitasset; Accusatus erat apud Cælestinum Pontificem violatæ veteris disciplinæ, quódque gregem suum indulgentiùs haberet, & Christianum rigorem nimiâ lenitate infringeret. hanc porrò infamiam inde contraxerat, quòd per eos dies, qui sacræ abstinentiæ dicati sunt, lacte lactariísque vescendi, ijs, quibus præerat, copiam fecerat: nam cùm id vnicum ferè obsonium tenuiores haberent, si illud etiam subduxisset, non jejunium, sed propè mortem videbatur hominibus imperaturus. Evocatus ergo ad dicendam causam, silens ipse, advocatione innocentiæ suæ, & muto virtutis patrocinio absolutus est: Nam cùm humidam penulam ad Solis radiũ, quem paxillum rebatur, homo candidissimus suspendisset; radius vtrumque præstitit, penulam sustinuit, & siccavit; sanctitatem verò Lucani sic illustravit, vt nemo vnus deinceps ausus fuerit dicam impingere illi, qui famulum Solem haberet, eiúsque radijs adeò familiariter abuteretur.

tur. Sed causâ Romæ probatâ, tamen domi adversarios tam infestos habuit, vt illorum furori in vallem Agordiam sibi cedendum putarit. Illic voluntario exuli Avatia religiosa fœmina victum ministravit. mortui corpus Belunum, cui vallis illa subest, migrare noluit, nisi capite pignoris loco Agordiæ relicto.

ANNO deinde CDXXIX. Atila Hunnorum regnum in perniciem orbis terrarum adijt; quod ille adeò non dissimulavit, vt ferali hoc epigrammate passim sese jactaret, Atila Mundizici filius, & magni Nembrothi nepos, educatus in Engaddi, Dei gratiâ Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum atque Dacorum, pavor orbis, & Flagellū Dei. Porrò cùm Engaddi nomen in titulo doctissimus vir Lælius Bisciola legeret, suspicatus est, inter Vennones Rætorum Gentem, qui hodiéque Enggadini dicuntur, nutritum esse hoc monstrum; ad cuius rei fidem aliquid fortius conjecturâ requiro. Tyranno huic, præter insitum generis humani odium, ad infanda, quæ postmodum ausus est, aggredienda, gladius potissimū animos adiecit, qui Martis quon- dam

V. *ATILÆ INITIA.* *Bonfin. dec. l. 3. Seb. Munsterus. Michael Ritius & alij.* *Tom. 1. Horar. subsec. l. 20. c. 14.*

dam creditus, & à Scytharum Regibus æquali cum Deo honore cultus, miro casu in illius manus devenit. Paſtor cùm pro more pecus cogeret, buculam claudicantem ex vulnere ſibi notavit, cauſæque indagandæ cupidus, omnia vaccæ veſtigia, quæ defluens ſanguis inſignia fecerat, curioſè relegit, tandémque in huncipſum gladium incidit, ſola cuſpide extantem; quem, altiùs molitus terram, eruit, & Atilæ donum tulit; qui eâ ipsâ nocte ſibi in ſomnis armari præcingíque à Marte viſus eſt: ita veluti certus, imperium orbis terrarum ſibi cum gladio offerri, eidem poſtea humani generis ſanguinem propinavit. Rem vti à me narrata eſt, Priſcus, qui Theodoſij Imperatoris ad Atilam legatione functus eſt, primus hiſtoriæ ſuæ inſeruit, ex quo Iornandes, pluréſque alij exſcripſere; credibiliorem hanc famam inſecuta bella, imò latrocinia fecerunt; nam cùm velut in macello publico, in omnes mortales Atila ſæviret, potuit ſanè videri, gladium illum, ſub inferorum incudibus, ad hanc lanienam fuiſſe procuſum: Idem tamen enſis etiam à poſteris aſſeruatus, tandem in

in BOIARIÆ Principum potestatem venisse, in Herveldensi Chronico dicitur, quod pluribus suo loco narrabitur. Furorem Atilæ fulminis more omnia obterentis, tum maximè nostræ etiam provinciæ excepere, cùm CDLI anno, ex Pannonia in Galliam copiosissimum exercitum raperet; nam cùm Procopius affirmet, ab Atila propugnacula eversa esse, quæ ab Imperatoribus Danubio imposita fuerant, ad barbarorum impetus coercendos; planum indè fit, etiam per Noricum & Vindeliciam, quibus Danubius prætexitur, Atilæ tremenda signa volitasse. fidem etiam Augustanæ vrbis privati annales faciunt, in quibus perscriptum est, vrbem ipsam flamma & ferro ea tempestate deformatam fuisse. Porrò cùm in annum quartum vsq; Galliam Italiámq; sanguine inundasset, eóque ebrius, neque dum tamen satur, in Pannoniam rediret, omen mortis in ipsa Vindelicia tale accepit; Licum amnem transeunti fanatica mulier occurrit, & voce incondita ter inclamavit, Retro Atila! sed quomodo efferatum animum insana mulier ad saniora consilia dedu-

l. 4. de Aedif. Iustiniani.

NORICVM ET VINDEL. AB ATILA CLADEM PASSA.

Callimachus & Olahus in Atila.

ceret? & erant tot funera unâ tandem morte eluenda; quæ vt vitæ responderet, minimè ſicca illi obtigit: nam cum pellicum vxorúmque gregibus novam nuptam induceret, ipsâ geniali nocte, impiam animam cum ſanguine evomuit; vt, qui alienum intemperantiſſimè ſitierat, ſubmergeretur ſuo; qua ipſa auſpicatiſſimâ nocte Marcianus Imperator Conſtantinopoli arcum Atilæ fractum eſſe, ſecundum quietem, objecta divinitus ſpecie, intellexit. Cæterùm Deus, qui amara miſcere dulcibus conſuevit, poſt tot nubila, tempeſtatésq;, nobiliſſimum ſidus Norico & Vindeliciæ per annos propè triginta indulſit, eóq; etiam occidente, radios tamen non eſt paſſus extingui, etiam hodie lucentes. Severinus hic eſt, cui quid Noricum debeat, nomine fatetur, quod illi impoſuit, cùm ſuum Apoſtolum eum appellavit. Patriam magni viri prodere non poſſum, vt quam ipſe ſedulò celaverit; dicturus vtique, niſi orbem totum, magnum hominis exilium crediđiſſet. Ita enim Eugippius Abbas, qui res ab illo geſtas ſumma fide compoſuit, refert; anxiè inquiſitum à mul-

Blondus l. 2. Callimach. Olahus.

SEVERINI NORICORVM APOSTOLI RES GESTÆ.

Baron. t. VI. An. Ch. 454. & ſeq. Eugippius in illius Vita.

à multis fuiſſe, ecquam tanta virtus patriam haberet, auſúmq; tandem Primenium ſacerdotem Italum ex ipſomet quærere, quo genere, qua domo natus eſſet? ſed diligentiam illius Severinus modeſto primùm riſu correxit; & fortaſſe, inquit, fugitivum me putas, & Zonulæ tuæ times, ſi olim pretium libertatis meæ indè exigatur? nam alioqui Chriſtiano homini Cœlum patria eſt; miſer ille, qui gloriam ex cunis quærit; & nobilem ſe putat, ſi magnam vrbem primo vagitu ſalutaverit: vinum & olus à ſolo commendationem accipiunt; Chriſtianus patriam ſuam pedibus non calcat. Ita de natali Severini ſolo ſciri nil potuit, niſi fortè ipſo ſilentio ejus nobilitatē confeſſus eſt: & ſuſpicor Romam fuiſſe, vbi Severinorum nomen clarum fuit, & in faſtis Conſularibus ſæpiùs legitur. Illud conſtat, vitæ ſanctioris deſiderio, olim in Orientem profectum, Dei juſſu, in Noricum, eíque continentem Danubij oram remigraſſe. Sed cùm ad horū temporum hiſtoriam res ab illo geſtæ vnicè faciant, pluſcula huc indè transferentur, cùm illuſtrius antiquitatis monumentum,

SEVERINI PATRIA.

tum, quod quidem Noricum spectet, nullum supersit. Asturis primùm oppido, Norico Ripensi & Pannoniæ confini diversatus, cùm imminentem vrbi illi ab hoste cladem prævidisset, eidem avertendæ, populum ad vota suppliciáq; invitabat; sed frustra fuit optimus orator; gemitũ nulli expressit; lachrymæ Deum placaturæ in hostis adventum suppressæ, vt tum demum funderentur, cùm risui erant futuræ. Severinus pervicaciam miseratus, cùm venturæ cladis horam etiam hospiti suo edixisset, ad vicinum oppidum Comagena castra dictum profectus est; tenebatur illud jam à barbaris, quibus cives turpi fœdere devincti obnoxiíque vivebant; ijs Severinus eandem cantilenam parum gratus præco cantare cœpit; neque vaticinanti antè fides habita est, quàm Asturiensis ille sancti viri hospes, vnicus patriæ suæ excidio superstes, totam barbaræ crudelitatis in suos cives tragœdiã miserandus jam exul explicavit; tum demum trepidatum est, & ad vota decursum, quæ in tertium continuata diem Cœlum moverunt, imò & terram; ea enim insolito concussa fragore,

ASTVRIENSIBVS CLADEM DENVNCIAT.

re, tantum barbaris pavorem injecit, vt vrbe dilapsi, & mente moti, mutuis ſeſe-met vulneribus conciderint. Ita Comagenſes, gladio non vſi, ſolis precibus, terra pro ipſis pugnante, de barbaris triumpharunt, quorum nomẽ expreſſum non eſt, ſed de infami illo Atilæ exercitu fuiſſe verius eſt, qui latrocinijs, Rege vivo, aſſuetus, neque mortuo eo, ingenium mutavit, eadémque crudelitati ſtipendia fecit. Favianis, (quæ hodie Vienna eſt) aliud non mitius malum dominabatur, fames; cui levandæ, civibus id vnum in præſens occurrit, Severinum accerſerẽt: eum, qui hoſtem depulerit, etiam contra inopiam valiturum. Abijt illuc Severinus à Deo monitus, ſimúlque eo dictante agnoſcit, Proculam avaram fæminam plenis horreis annonam flagellare; hujus ſordes Severinus liberrimo ore perſtrinxit; &, Ergo inquit, dum Chriſtus eſurit, ‘ & familia illius fame moritur, nec cor, ‘ nec manum, nec horreum aperies? Ni- ‘ mirum cùm homines immanitate tuâ ‘ occideris, liberalem te Danubius & pi- ‘ ſces prædicabunt; his nimirum, puto, ‘ frumentum comparcis: nam alioqui ne- ‘

COMAGENA CASTRA AB HOSTE LIBERAT.

VIENNÆ FAME LABORANTI SVCCVRRIT.

que

« que operâ tuâ opibúsve indiget Deus, &
« sine Proculæ granario tamen dives est;
« & absque stipe tua potest, quos fecit, pa-
« scere: noli credere, etiam cùm liberalis-
« sima futura es, majus beneficium te da-
« re, quàm accipere: illud potius cogita,
« quidquid non erogaveris, te perdidisse;
« nisi putas, tutiùs aliquid arcâ & horreo,
« quàm Dei manu servari. His Proculæ avaritia correcta est, simúlque Danubio flumine frumẽtariæ naves delapsæ sunt; quæ cùm vi frigoris in Oeno conglaciassent, calidis Severini precibus solutæ, opportunum vrbi subsidium advexerunt.

VICTORIAM PRÆNVNCIAT.

Aliàs cùm barbari ex ejusdẽ Vrbis agro hominum pecorúmque greges abegissent, Mamertinum ille tribunum, ad excutiendam hosti prædam, animavit; excusantémque militum raritatem, quibus ipsis nec armorum nec animorum satis sit, confidere Severinus in Dei manu jussit; illam certè non esse inermem, & posse cum paucis vincere. Hoc classico erectus miles, hostem secundo ab vrbe lapide assecutus, prædâ & armis exuit; captivos Severinus vitâ donavit, lautéq; habitos domum dimisit, multa monens, ne

prædæ

prædæ ſtudio agrum illum unquam incurſarent; alioqui Deum adverſariũ habituros, quem nemo vnquam impunè laceſſiverit. Rebus his geſtis ingens Severino fama parta, quę etiam Danubium transvolavit, ipsósque Reges admiratio virtutis ad virum videndum attraxit: Certè circa annum CDLXXIII. Flacciteus Rugorum Rex, quamvis Arianâ lue infectus, cùm Gothos hoſtes pateretur, vitǽque ſuæ inſidias timeret, ad hanc ſacram anchoram ſibi confugiendum putavit. Audivit regem Severinus, &, de pauculis annis, inquit, ſolicitus es, ô Rex, immemor æternitatis, præpoſterâ diligentiâ: Gothorum tamen ferrum fruſtra times; ſine vulnere te mors, cùm Deo viſum fuerit, in lecto & plumâ conficiet. Paulò pòſt Gothorum latrocinantium globus, Rugorum aliquos captivos abduxerat; Rex ad ſuum oraculum redijt, quæſitum, an latronibus illis inſtandum cenſeret? Negavit Severinus; tribus locis paratas Regi inſidias, dixit, ídque brevi fida relatione agniturum: Nihil fefellit; duo Rugi manus hoſtium elapſi prorſus conſentientia domũ retulerunt.

FLACCITEVM RVGORVM REGEM LIBEREMONET. *Baron. t. 6.*

a Felethem.

GISÆ REGINÆ CRVDELITATEM CORRIGIT.

runt. Erat Regi filius Felectens, a idem etiam Faua vel Faba dictus, qui Patris in Sanctum Virum æmulatus affectum, eundem velut propitiam regni sui tutelam omnibus officijs demerebatur, & graviores subinde in illius sinum curas exonerabat: sed cum hujus humanitate exadversum Gisæ conjugis immanitas certabat, quæ Furiarum in morem, identidem marito suo crudelitatis faces admovebat; &, vt erat insignitè Ario addicta, non tantùm oderat Catholicos pessimè, sed etiam suâ perfidiâ nolentes imbuebat, & jam rite Christiano more tinctos iterum lustrico fonti admovebat: omnium Romano imperio subjectorum libertati inhians, ijs carceres & ergastula implebat: Fuit, cùm Severinus, quorundam, quos in servitutem abstraxerat, causam ageret, & vindicias secundum libertatem postularet; quod furiosæ illi adeò doluit, vt legatos cum contumelia dimissos, dicere importuno vindici jusserit, teneret se intra gurgustiũ suum, neque palatia Regum allatraret: Cælum ipsi patere, & fatigare Deum preculis posse; illic eum oratorem esse, non apud

Reges,

Reges, debere; quo audito, Severinus, Bonum factum, inquit, ad maius me tri- ' bunal amandat, in quo bona caufa fem- ' per triumphat; certè in foro, vbi Chri- ' ftus jus diçit, id faltem evincam, vt Re- ' gina fentiat, & fe & regna omnia fub gra- ' viore regno effe: caftæ preces nunquam ' inermes funt; etiam Deo vim faciunt; ' quò facilius erit, vnius fæminæ, etiam fu- ' rentis, & Reginæ, animum ijs expugna- ' re: Dictum, factum; Deus huic furori dejiciendo mirabilem machinam admovit. Conduxerat Regina aurifices barbaros, eorúmque fidei & auro fuo timens, arctiffimâ cuftodiâ claufos, faciundo opere ita atterebat, vt illos non modò carceris, fed & vitæ pigeret. Et ecce eodem illo die, quo Severino convitium Regina fecerat, Fridericus filius, tenerâ admodum ætate, in fabrorum officinam temerè irrepferat: Illi nacti tam nobilem fuæ obfidem libertatis, confilium atrox, fed quod præfens neceffitas fuggefferat iratis & perituris, expediunt; Ferrum nudum Reguli corculo admovent, illico altiùs illud demerfuri, vt prmùm quifquã fibi vim facere aufus effet; hac cæsâ victi-

mâ, eodem gladio viam ſe ad libertatem quæſituros; ſaltem funus ſuum lachrymis non cariturum; & crudelē Reginam certè gemitum daturam, ſi filij ſanguinem cum ſuo videret confuſum. Excita ad miſerabile ſpectaculum Regina, alios oculos, alium animum attulit; cùm ſtaret ſub cultro filius jam in mortem pallidus, matrem inclamans, & neque in illius ſinu quidem expiraturus; ſed ad arbitrium barbarorum, ſi illos vel ſupercilio, vel verbulo offendiſſet, recepturus tam propinquum pectori ferrum: tunc ſcilicet detumuit ferox fæmina, & agnâ mitior, Severinum inclamabat, eheu nimis acrem præſentemque ſui contemptus vltorem! pro viliſſimis ſervorum capitibus, regium ſanguinem piacularem ipſum expoſcere, & ſuarum vi precum, non tam in Filij, quàm Matris viſcera ferrum illud acuiſſe, ſuppliciúmque reperiſſe, quo miſerrima parēs vivens vidénsque periret; nunc ſcilicet chariſſimum pignus ſuum, decretorium illud momētum expectare; nam ſimul ac Severinus voluiſſet, in ſuis oculis moriturum. Superat ergo hoc vnum, vt illum omni obſc-

obſequio flecteret; nam abſentem etiam ſua officia ſenſurum credebat, dilaturúmque vltimum jugulandi filij mandatum. Ergo captivos omnes antea negatos jubet quàm ocyſſimè per expeditos equites illi reduci: veniam & pacem ſibi & filio quàm demiſsiſſimè expoſci; tum denique ad redimendum è fabrorum manibus filium converſa, ex illorum ſententia ſacramentum dixit, eorúmque incolumitatem pacta, incolumem filium recepit, & mox illum veluti redivivum, Soſpitatori ſuo Severino ſtitit, ſéque in illius poſthac poteſtate futuram promiſit. Dum circa Fabiana barbarorum furoribus obviat, ſuperiora etiam Norici riparij oppida, illius opem implorabant; ea enim erant tunc tempora, vt nihil à barbaris tutum, defenſúmque ſatis eſſet. Severinus occaſione vſus, quocúnque pedem inferebat, vel veteris ſuperſtitionis reliquias tollebat funditus, vel obſoleſcentis pietatis ſplēdorem renovabat. Sic in Cucullis caſtello, à nefario quodā & opertaneo Sacro cives, hoc prodigio, abſtraxit: cereos ſingulis domibus imperavit; ij in ſacram illati ædem, & ad pa- CVCVLLENSES A SVPERSTITIONE ABSTRAHIT.

 rietem

rietem affixi ſunt; illic inter vota precéſſque cerei eorum, qui infandis operati ſacris non fuerāt, divinitus conceptâ flammâ ſpontè arſerunt; tenebriones reliqui ad facem agniti, & luculento teſte convicti, ſcelus ſuum eiurarunt. Locuſtæ ibidem in ſata graſſabantur, & metus erat, totius ſpem anni devoraturas: Severinus palàm edixit, qui ſalvum agrum ſuum vellent, ſe ſequerentur; rectáque ad Ædem ſacram obſequens agmen duxit, illic dirum animal potenti prece expugnatum. Vnus omnino fuit, qui manu, quàm ore, plus ſe profecturum ſperavit, & ruri moleſto opere faciundo, defendendóq; paupere regno ſuo, omnes vires occupavit; ſed cùm totius diei labore improbo, ſuum locuſtis prandium aliquà eripuiſſet, & velut re bene geſtâ, ſub veſperum, feſſus rediret, eadem ipſa nocte locuſtæ reverſæ totum illius olus cænarunt; reliquis areolis malum dentem ne infixerūt quidem. In altero oppido Juba nomine, templi lampadem precibus accendit, quódque mirabilius eſt, extinctam mortuo animam reddidit. Quintanis deinde, quod in Vindelicia oppidum eſt Danubio

LOCVSTAS ARCET.

IVBÆ ET QVINTANIS MIRA PATRAT.

bio adſitum, Danubius ipſe impetus ſuos vagáſq; exundationes ad viri imperium correxit: ſæpe jam vicino templo injuriam fecerat, & ſiquid ſolo inſtratum erat, avehebat, operam incolarum & ſumptum juxtà deludens: Severinus, qui decorem domus Dei diligeret, terram injici tabulato, nováque induſtriâ paviri juſſit; aquarum furori non aggerem, ſed Crucis ſignum oppoſuit, vetuítq; hunc ſacrum limitem tranſcendere; ex quo
tempore, inquit Eugippius, cùm ex mo- "
re fluvius creviſſet in cumulos, ambiſſét- "
que viciniam, quam ſolebat, ita ſpacijs "
Eccleſiæ erat inferior, vt nunquam ſan- "
cti patibuli ſignaculũ, quod impreſſerat "
homo Dei, prorſus excederet. Eodem "
in loco Silvini ſacerdotis, nuper fato ſuo perfuncti, cadaver in æde ſacra depoſitum, vltima juſta expectabat; Severinus Chriſtiano pervigilio inter preces ducto, feralem lectulum acceſſit, Silvinúmq; familiariter invocans, quaſi dormientem interpellaret, juſſit aſtantes amicos alloqui, quem mors jam æternùm ſilere juſſerat. Silvinus tamen contra illam fatalem legem paruit, oculos ape- **SILVINVM AD VITAM REVOCAT.**

 ruit,

ruit, & vocem cum anima recepit. Ibi
'Severinus, vísne, inquit, frater redire
'ad tui amantes, & indigos? Nam si an-
'nuis, rem apud Deum factam habemus;
'per illum tibi licet vivere. Repudiavit
'conditionem Silvinus, &, parce, inquit
'Severine; finij fabulam meam; nihil mi-
'hi tanti est, vt redeam in theatrum, & re-
'sumam personam, quam pari felicitate
'egi, & deposui: noli me propter annos
'dubios, & pauculos, ab itinere beatæ
'Æternitatis, & complexu Dei retrahere:
'non potest mihi, post Cæli gustum, terra
'non desipere. Acquievit Severinus, &
felicissimo illi mortuo noluit Cælum, &
Deum invidere.

ANNVS CDLXXV BELLIS ET FAME INFAMIS.

Annus deinde CDLXXV nova iterum bella, & tristem bellorum appendicem, famem orbi invexit; malum vtrumque Rætias & Noricum non obiter perstrinxit. Romano imperio dirus iterum hostis

ODOACRIS CVM SEVERINO CONGRESSVS.

exortus, Odoacer cum Herulorum, Turcilingorum, Scyrorum copijs in Italiam penetravit, & Momyllo Augustulo ex imperio deturbato, ipse nomine regio Italiam tenuit. Hic ante susceptam expeditionem, Severini famâ excitus, etiam ipse

ipſe ad ſalutandum talem Virum profectus eſt, nihil regium adhuc referens, neque ſperare, aut ſpirare tam altùm auſus; villoſa illi & hirſuta veſtis, & reliquus etiam, pro præſenti Fortunâ, tenuis cultus: ſimul tamen humili tugurio verticem inclinavit, agnovit Severinus, quò illum ſua fata vocarent, & ſub illis exuvijs Regem latere. Digredientem igitur cum hoc vaticinio dimiſit; Quod fortaſſe pellitus mihi credere abnuas, Italia tamen tibi debetur; & ex hac ipſa manu tua multi ſpes & fortunas ſuas olim repetent. Non pauca tamen fœdæ crudelitatis exempla in Norico Odoacer edidit, quorum illud longè acerbiſſimum, Juvavij, quod Saliſburgum hodie eſt, Eugippius Jopiam nominat, patratũ; quam illi vrbi calamitatem imminere Severinus multò antè præviderat, eámq; averſurus Moderatum cantorem eò cum mandatis miſerat, vt ſalutem ſuam in tuto collocarent, & infelicem patriam relinquerent, niſi illius excidium augere vellent morituri. Sed apud obſtinatos animos, & in perniciem ſuam properantes, prædictio non invenit fidem. Severi-

nus animi mœrore ſaucius, etiam Quintaſium quędam ablegat, addit lacrymas, minas; proteſtatus, eam ipſam noctem illis vltimam, & perpetuam fore: errare tamen, & falli animo nimis cautum vatem eouſque creditum eſt, donec hoſtis ſupra caput, & ferrum in jugulo fuit. Maximus preſbyter, quem vnicè cladi eripere Severinus ſtuduit, ab Herulis ex arbore ſuſpenſus eſt; in reliquum vulgus promiſcuè ſævitum. Saliſburgenſis Eccleſiæ vetera monumenta teſtantur, cum Maximo quinquaginta quinque, eóque amplius Symmyſtas contrucidatos; quanquam annorum numero, quem nos ſequimur, duo inſuper illic adjiciuntur, qui error vetuſtati condonandus eſt: monſtrantur hodiéque ſubterraneæ ſpecus, è quibus ij extracti ad gladium & pręcipitia ſunt; eò tamen felices, quòd Herulorum crudelitas Cælo illos inſeruit, & vno vulnere fecit immortales; nam optima cauſa, cuius Heruli hoſtes erant, illos Martyribus exæquavit. Infauſtis Odoacris auſpicijs in pietatem ſævitum, tantúmque ſanguinis fuſum vetus tabula Hypogæo præfixa, cui Martyrum exuviæ

IVVAVII AB ODOACRE PLVRES MARTYRIO AFFECTI.

viæ illatæ ſunt, affirmat. Iam fami, quæ Rætias & Noricum nihilo mitiùs habuit, quàm Burgundiones, quos Gregorius *Greg. Tur. l. 2* Turon. hoc ipſo anno dira ab inteſtino *c. 24.* hoc malo paſſos ſcripſit, Severinus, velut propitium aliquod Numen, mira iterum pietate occurrit, veteri charitatis SEVERINVS Chriſtianę more paſſim invecto, vt egẽ- FAMEM LEVAT. tibus decimæ ſolverentur: eam ad rem quos hortari præſens non potuit, literis extimulabat, quibus Deus ipſe pondus viſus addere, cùm quorundam ſordes, aut ipſam etiam cunctationem præſenti ſupplicio caſtigavit. ita Laureacenſium ſegetem Rubigo ambuſſit; Tiburnienſium verò ſymbolam, collatam illã quidem, ſed non repræſentatam in tempore, Gothi diripuerunt. Sequenti anno Odoacer rerum in Italia potitus, præſagij memor, quod illi de Regno indipiſcendo Severinus dederat, familiares ad illum literas ſcripſit, quibus ei poteſtatem fecit, quidvis à ſe impetrandi; ille alienis commodis ſua poſthabens, Ambroſium quendam exilio damnatum reportari juſſit. Eadem optio cùm à Rege Gibuldo illi daretur, itidem liberatio-

GIBULDUM REGEM ALEMAN. MANSVEFACIT.

nem captivorum postulavit. Alemannis hic imperabat veterib. Rætiæ hostibus, jam verò etiam incolis; cùm ex Jornande constet, diu ante hæc tempora, in Ræticis alpibus, velut ductis colonijs, cõsedisse; hi ergo mutuùm cum reliquis barbaris faciebant; nam, vt ij à Pannoniç finibus Noricũ incursabant, sic illi à Lyco Vindeliciam Noricúmque populabantur. Severino tamen etiam, inter hæc odia, sua apud hostes cõstitit auctoritas, ita vt hic, quem nominavimus, Gibuldus Passavium usque, conveniẽdi viri desiderio, properaret: quanquam, ne illius adventus vrbi gravior accideret, Severinus eidem obviam profectus, ausus est & Regi & barbaro, & verum rarò audienti, totam facundiæ suæ libertatẽ admovere; gravissimis verbis, quod res locúsque suadebant, de Principis officio, ejusdémq; moderato & justo imperio disputavit: nam cæteroqui & Regem, & latronem gladio vti, & utrumq; potentiam manu quærere; sed à latrone tantùm vires in consilium adhiberi, & præter spoliorum spem, nullam requiri stringendi ferri causam: at Regem nunquam

quam in innocentiam armari, neque occidere, nisi quem mori melius sit; triumphos ex vindicatis sceleribus petere, neque passim omnes homines hostes putare, ex quibus possit ditescere; denique etiam purpuratos ad tribunal olim ituros, suámque causam acturos sine patrono; vbi in summa potentia minimum virium experturi sint, & maximū unicúmque in Virtute præsidium. Quam in sententiam cùm Severinus pluscula disseruisset, Regi non loqui, sed tonare visus est; vt fassus palàm sit, inter strictos enses, & volantia tela, nunquam adeò se animo corporéq; fuisse labefactatum; proinde nullo negotio à se impetrari passus est, vt captivi omnes, quos ex Romanis illis provincijs abegisset, salvi Severino redderentur. Sed vbi ab Alemanno otium fuit, novi à Svevis fluctus concitati, & in Noricum infusi, novas Severino curas facessivere. Ille velut Gubernator è specula præviderat ingruentem tempestatem: nam cùm Bojoduri esset, quod à Batavis castris Oeno flumine dividitur, hodiéq; Oeni civitas vocatur, Cives oppidi enixè laborabant, uti à Rugorum

SVEVORVM IN NORICVM INCVRSIONES PRÆDICIT.

gorum Rege Fava, mercium mutanda-
rum diſtrahendarúmque jus ſibi impe-
traret; quæ illorum poſtulata ipſe gemi-
tu excepit; neque enim id nunc agi, vt
promercalium rerum officinas ador-
nent; cùm brevi pro aris & focis ſit pug-
nandum; & id etiam in lucro deputandū,
ſi compilatis anima relinquatur. Ii tamen
mitiora ominati, identidem jus fori vr-
gebant; & fuit etiam ſacerdotū quiſpiam,
ſed ordine illo & nomine, ob vitæ pro-
bra, indignus, qui id ſedulò agebat, vt
quoquo modo Severinum Bojoduro
exigeret, vt ſevero illo morum cenſore
ſubmoto, eſuriales feriæ lætioribus tan-
dem Liberalibus mutarentur. Neq; eru-
buit homo protriti pudoris id à Severino
palàm petere; cui rei indignitas amaras
lachrymas & triſte vaticinium expreſſit;
brevi inter ipſa Sacra ſanguinem fluxu-
rum, quæ hi tales, his moribus jam olim
profanaſſent. neq; id diutius dilatum eſt,
quàm Severinus, ſecundo Danubio, ad
Faviana ſe caſtra recepit; mox enim Chu-
nimundus Svevorum Rex Batava inva-
ſit, quo in tumultu profanus hic Sacer-
dos, in Æde ſacra obtruncatus, vernilis

dicti pœnas exoluit. Aliàs cùm Quintanenses perpetuis Alemannorum incursionibus obsaturati, fortunarum suarum domicilium Batavis sibi legissent, sed neque illic per Alemannnos ipsis liceret conquiescere, Severino monente, cum ijsdem acie decertarunt; ex qua victores quidem discesserunt, sed triumphantes repressit Severinus, hac parvula felicitate, ingenti illorum infortunio prælusum esse testatus, adversus quod, præter fugam, nulla præsidia futura sint satis. Multi nihilominus ferociâ animi inflati sequi Fortunã maluere, quàm consilium certissimi vatis, & ecce, cùm pauculi abijssent dies, Thuringi pertinaces illos, qui Batavis substiterant, vel libertate, vel morte multarunt: reliquis Lauriacum pro asylo, sed Lauriaci ipsius tutela Severinus fuit; quem pro salute publica vigilantem, insidiarum quantumvis latentium fallere nihil potuit. internuncio Valente monacho aliquando vsus, meditatas Barbarorum fraudes Constantio per ea tempora Lauriacensi Episcopo detexit. Imminebat ejusdem Vrbis libertati Feletheus Rugorum Rex, tanto periculosiùs,

THVRINGI CONTEMPTORES S. SEVERINI IVGVLANT.

FELETHEUM LAURIACO SUBMOVET.

losiùs, quanto callidiùs infestum animum amicitiæ larvâ velabat: miseros Cives ab Alemannorum & Thuringorum injurijs ultum ire se, speciosa promissione, ferebat, nihilo mitiora ijs ipsis, sub vindicis nomine, aulurus; vt non immeritò patronus ille omnibus displiceret. Civium ergo rogatu, ad Regem cum exercitu approperantem Severinus profectus, blanda oratione sic ejus animum permulsit, vt pedem referret; ne tamen aliquando fidem mutaret, & ad turbulentum ingenium rediret, quod rarò totum exuitur, cùm penè in vltima vitæ linea staret Severinus, illum cum conjuge Gisa ad se evocavit, ad postrema mandata, vel certè monita accipienda. Impotentiam animi, & præcipites illius iras infringere optabat, & parsimoniam humani sanguinis persuadere; nam imperia, dicebat, itidem ut Cœlum, non à grandine, aut perpetua nube, aut formidabili fragore, sed à placida serenitate commendari; turpissimum esse principi, semper tonare, & fulmina sæpius quàm beneficentiæ radios spargere, seculúmq; suum calamitatibus infamare. Quod si

EUNDEM MANSUETUDINEM DOCET.

etiam

etiam famam & odia publica possint contemnere, illud tamen ijs etiam atque etiam cogitandum esse, non ita exleges eos vivere, quasi nullæ tabulæ Regibus scriptæ sint, vt ijs jura tantùm ab animi libidine petere liceat: staturos aliquando etiam ipsos inter reorum turbam, sine purpura; & nullâ coronati capitis reverentiâ, rationem Imperij sui reddituros, quomodo sceptro & gladio sint vsi; & de qualibet humani sanguinis à se fusi stilla responsuros. Cùm ad hunc modum intrepidè perorasset, manum Regis pectori admovit, & vultu ad Reginam converso, Age Gisa, inquit, hoc vnum mihi ' responde, amásne hoc pectus, & clausam hoc pectore mariti tui animam, ex ' animi tui sententia, etiam præ auro? ' Cúmq; illa sine cunctatione respondisset, neq; auri montes sibi tanti esse; excepit Severinus, Atqui tam charo pectori ' insidias struis, dum mansuetudinem, vnicum animi bonũ, quo proximè ad Deum ' Reges accedunt, indè avellere laboras, & ' arma in innocentes subministras, quibus ' vide ne maritum & te jugules; semper ' inermis clementia armatâ crudelitate '

tutior

'tutior fuit: nemo diu vixit, qui potesta-
'te abusus est; etsi gladios effugerit, votis
'bonorum configitur. Sic Regem, sic Reginam, & quidem fronte illam attractiore dimisit. Regis etiam fratrem Fridericum, vsq; ad rapinas avarum hominem commonefecit, se quidem pauperes ex asse hæredes scribere; caveret suam illis sportulam intervertere; si ex sua sibi inopia lucellum aliquod quæreret, pro lucro magnum malum inventurum. Omnia prolixè promisit Fridericus; sed simul cum Severino, cujus sancta mors in annum Christi CDLXXXII incidit, data fides, & ficta ad tempus modestia expiravit; quidquid Deo, quidquid pauperibus consecratum fuit, impia manu extulit; &, vt Eugippius loquitur, abrasis omnibus monasterij rebus, parietes tantùm, quos Danubio transferre non potuit, dimisit. Sed non dormivit Iustitiæ vindicis oculus; eodem ipso mense, fur & sacrilegus Severino pœnas dedit, & à Friderico fratris sui filio interfectus, prædam pariter amisit & vitam. Nihilo lætiora Feletheo Regi, & conjugi Gisæ evenere, quam neq; fortuna utraq;, neq;

Mors Severini.
Barō. An. 482.

vtráque

vtrâq; potẽtior Severini lingua vnquam potuere ad ſanam mentem perducere. Odoacer enim Italiæ Rex, de quo ſupra egimus, bello Rugis illato victor, Feletheum ipſum triumphans ante currum egit, vnáque cum Giſa in Italiam deportavit. Cauſas infelicitatis ex Severini vaticinio promtum eſt petere: eo enim ex oculis ſublato, oblitteratis etiam in animo fideliſſimis monitis, Giſa uxorium virum, admotis inſaniæ ſuæ calcaribus, in odium infeſtationémq; Romanorum in Norico agentium impulerit, quorum injuriæ cùm ad Odoacrem pertinerent, vt cujus regno, quocunque jure in Italia occupato, etiam harum provinciarum annexa erat adminiſtratio, cenſuit ſcilicet ferocientes Rugos bello ſibi compeſcendos eſſe: cujus exitu manifeſtè cognitum eſt, Felethei Regis felicitatem aliena virtute nixam, & nonnullâ ipſius erga Severinum reverentiâ ſtetiſſe; poſtquam ea columna ſubducta eſt, peſſima conjunx, & non optimus maritus, Feletheus inquam & Giſa, repetitis moribus priſtinis, regnum labefactatum ſubruendum Odoacri velut in manus dederunt.

Caßiodor. in Chron. Paul. Diac. l. 1. c. 19. de geſt. Langobard.

Eugipp.

ODOACER RVGOS DEBELLAT.

Fridericus filius & tunc, & cùm altero etiam bello peteretur, fugâ ad Theodoricum, qui Veronensis postea vulgò dictus est, de quo mox plura, elapsus est. Onulphus, quo Duce bellum id gestum est, jussu Odoacris fratris, Romanos, qui in ea Norici parte barbarorum perpetuis incursionibus vexabantur, in Italiam transtulit, id quod Severinus Deo plenus ante mortem suam clarè prædixerat futurum; eóque, ad vetus Iosephi exemplum, corpus suum & reliquias mortalitatis ex eo loco legi transportaríque voluit, vir nunquam satis laudatus, qui vivus non tantùm Norici Apostolus, sed patronus insuper, & tutela, & Princeps, & Pater Patriæ fuit, aliáque omnia nomina non implevit modò, sed & vicit, quæ vnquam populi optimè de se meritis, etiam adulando, tribuerunt. quæ mihi causa fuit, vt in rebus ab illo gestis percensendis essem longior; quamquam eæ non privati hominis videri possunt, sed epitomen continẽt tristium Annalium, qui ex Rætia, Vindelicia, & Norico ab anno CDLIV, vsq; ad ejusdẽ seculi octogesimum octavum poterant peti: tot enim

enim ab illius primo in Noricum ingressu, usq; ad sacri corporis emigrationem effluxere. Fuit per ea tempora Noricum pluribus magna sanctitate viris felix, qui vel in Cœnobio Favianis à Severino extructo, vel in Bojodurano altero minore Asceterio, sub illius magisterio, rudimẽta virtutis posuerant; vel certè morum similitudine eidẽ conciliati, suos in Religionis stadio studióq; progressus huic potissimùm hortatori debent. Inter hos Lucillum presbyterum Sancti nomine Eugippius cohonestat, cui Severinus diem obitus sui multo antè significavit; cujus etiam corpus idem Lucillus, sexto postquam terræ mandatum fuerat, anno, nullo tabis indicio deforme, sed ipsissimum virtutis odorem naribus afflans, adeóque sincerè integrum, vt ne pilus quidem defluxisse deprehensus sit, humo levavit, quod indè ad montem Feletem primùm, paulò pòst, Gelasij Pont. Max. auctoritate, in castellum Lucullanum deportatum, nobile Mausoleum accepit. Paulino idem Severinus familiariter vsus est, quem Tiburniæ, quæ Norici metropolis fuit, Episcopum fore præmonuit;

LVCILLVS S. SEVERINI CORPVS EXHVMAT.

eundémque de impendente ab hostibus vastitate per Maximinum edocuit, rationémque declinandi mali per triduanum jejunium, monstravit. Sed quod Maximino ipsi contigit, hîc referri dignum est: Collegerat ille ex pia Noricorum stipe syntheses bene multas, & vestem omnis generis, captivis & egentibus subsidium, quos Severini liberalitas fovebat: deinde partitus onus in plures, rigida hieme, iter cum comitibus ingressus, ad Severinum properabat; sed nox illum, & densissima nix in jugo alpium deprehendit, tenue suffugium arbore præbente, cujus vel cavo trunco, vel patulis ramis nonnihil à Cæli injuria defenderentur: nix tamen locum omnem perenni ambitu circumscripsit, & ineluctabili carcere totum Maximini comitatum clausit, vt jam non de via modò, sed de vita quoq; omnibus esset desperandum; dúmque novitatem fati sui, séque ipsos miserantur, vni eorũ conspicua Severini species obiecta est, hortantis, capesserent cœptum iter, cum bono Deo; etiam ex hoc labyrintho eluctaturos: dum ergo moliuntur, & cum nive pugnant, vrsus

MAXIMINVS VRSO DVCE AD S. SEVERINVM PERVENIT. *Eugipp.*

ſus ex hiberno prorepens latibulo, non pro ingenio ſuo, ſed Deo morigerus, dux viæ factus & antcambulo, ducenta paſſuum millia officioſè emenſus, vbi comites ſuos è nive & ipſis mortis faucibus extricavit, cubile repetijt: neq; dubium eſſe poteſt, Severini precibus ferum animal ad inſoliti obſequij manſuetudinem cicuratum eſſe; nam ſimul ac ſub illius aſpectum venere, ſalvere juſſit felices viatores, quibus bellua tam humanam operam præſtitiſſet. Conſtantius etiam, cuius obiter ſuprà mentionem feci, Laureacenſis Antiſtes, quem Eugippius Sanctum, Ennodius verò Ticinenſis eâ tempeſtate Florentiſſimum appellat, inter Severini familiares fuit: Antonius demũ ab Eugippio præteritus, ſed ab Ennodio peculiari panegyrico laudatus, ab eodem etiam in oculis ob ſingularem innocentiam ferebatur. Nata eſt gemma hæc Valeriæ, circa Danubij fluminis ripas, Secundino patre, nobiliſſimis natalibus, niſi quòd ſplendorem generis clarior deinde virtus inumbravit. Patrem octennis amiſit, felici jacturâ; nam diu pupillus non fuit, mox in ſancti Severini ſinum

Eugipp. c. 30.
Ennod. de vita B. Anton.
CONSTANTIVS ET ANTONIVS SEVERINO FAMILIARES.

datus; qui dum eum mulceret, oculis (Ennodij verba sunt) futura in puero bona quasi transacta relegebat, magna omnia de illo vaticinans, hoc tantum orbi decus gratulabatur, & ex primæ ætatis flore gustum præcipiebat rari fructus, quẽ tamen ad maturitatẽ suam perductũ non nisi è cælo spectavit; priùs enim è rebus humanis exemptus est, quàm Antonius maximæ spei satisfacere per annos posset. Tum demum Constantio Episcopo, quem modò nominavimus, Antonius excolendus traditus est, vt nõ nisi inter felices castásque manus adolesceret nobilis arbor. Erat hic Antonij patruus, nihil tamẽ sanguini daturus; nam ad virtutem illum sine blanditijs duxit, nonnihil etiam ipso Severino severior. Sed novæ paulò pòst turbæ res publicas privatásque miscuerunt. Nam Franci, Heruli, Saxones intolerabili immanitate in Pannoniam, vicinúmque Noricum debacchabantur, quam cladem Severinus vaticinio suo præsignificârat. Atque ij quidem cùm belluarum more promiscuè in cædes ferrẽtur, & humanis victimis Deos suos placarẽt, tum acerbissimè in eos furebant,

BARBARI IN NORICVM IRRVMPVNT.

rebant,

rebant, quos religiosi titulus declarabat ‘ officij, vt Ennodius loquitur, hos quasi ‘ sereniores hostias immolabant, existi- ‘ mantes, quòd piorum jugulis divinita- ‘ tis cessaret indignatio, & fieret materia ‘ gratiæ, locus offensæ. Inter quas tempo- ‘ rum procellas Constantius Pontifex, ne patriam ruentem aspiceret, vel quia ruere illo vivo non poterat, ad Cælum abijt. Antonius verò in Italiæ partes perductus est, illis ipsis, vti existimo, comitibus, qui S. Severini corpus ex Norico exportarunt. Sedem ille sibi in vallis Tellinæ altissimis montibus fixit, qui neque vestigium hominis credebantur pati; indè in Lirinensem Insulam, verè nutricem sanctorum, digressus, vltimum illic vitæ biennium posuit; dignus, qui Ennodium laudum suarum præconē inveniret, non modò inter eloquentissimos suæ ætatis censum, sed, quod caput est, beatum etjam; vt post tam disertam & piam linguā, nihil necesse sit, res illius à nobis fusiùs explicari; quamquam ille ipse summa tantùm rerum capita secutum esse se, fatetur, & veluti pauculas ex ingenti silva frondes in coronam carpsisse. Hæc rebus

S. Severini innexa, vel annexa, hoc loco conjungere visum: nunc ad annorum ordinem revertimur.

VI. Anno igitur CDLXXXIX Theodoricus cum Gothorum exercitu, Zenonis Imperatoris auspicijs, Italiam ingressus, duobus prælijs Odoacrem vicit, quorum posterius non procul Verona gestum; in quartum deinceps annum cum Odoacre & Fortuna, vario eventu luctatus, aliquando etiam ex pugna fugiens, occurrētis matris verecundiâ retractus est, quærētis an armatus, & vir eò redire vellet, vnde infans & nudus prodijsset; ad cuius vocis infamiam, vltimis iris viribúsque collectis, Odoacri jam certam victoriam, & æquale regni cum eo jus extorsit; quæ tamen infida societas fuit, proprio imperantium imperiorúmque genio, semper consortis impatientium. Theodoricus enim insidijs Odoacris deprehensis, sive, quia causa quærebatur, fictis, illum inter epulas, cūm filio, & familiarium intimis, immissis sicarijs, interemit. Hanc tragicam Odoacris potentia clausulam habuit, vsque ad decimum quartum annum inconcussa, quod Seve-

Theodorici in Italiam ingressus et pugnæ.

Procop. de Bello Goth. l. 2.

rinus

rinus jam olim prævideràt prædixerátq; illis verbis, Odoacer integer erit inter tredecim & quatuordecim annos: nam reliqui vſque ad decimum ſeptimum, inter ludibria Fortunæ & ancipitia bellorum, integri non fuere. Theodoricus Gothorum regno in Italia conſtituto, etjam annexas Italiæ provincias Noricum & Rætias ſui juris fecit; & Rætijs quidem Ducem ab eo datum, qui & rem militarem adminiſtraret, & jus diceret, ex formula Ducatus Rætiarum, quæ apud Caſſiodorū eſt, intelligitur. Extat apud eundem Theodorici ad Servatum Rętiarum Ducem epiſtola, quâ Maniario ſatisfieri jubet, qui ſua ſibi mancipia à Breonibus vi ablata querebatur. Porrò Breones vel Briones inter Lycum & Oenum amnes conſediſſe, à Velſero demonſtratur. Jam Noricum ad Theodorici imperium pertinuiſſe, itidem ex Caſſiodoro fit manifeſtum, qui ad provinciales Norici, Regis eiuſdem literas recitat, quibus illis boum ſuorum Alemanniciş permutandorum copiam facit: Præſentibus, inquit, decrevimus inſtitutis, vt Alemannorum boves, qui videntur precioſiores, ,,

Caſſ. l.1.ep.11.

Velſ. l.8. rer. Vindel.

Caſſiod. l. 3. ep. 50.

„ propter corporis granditatem, ſed itineris longinquitate defecti ſunt, commutari vobiſcum liceat; minores quidem membris, ſed idoneos ad labores, vt & illorum profectio ſanioribus animalibus adjuvetur, & veſtri agri armentis inſtruantur. Itaque fit, vt illi acquirant viribus robuſtos, vos forma conſpicuos, & quod raro ſolet emergere, in vna mercatione vtrique videamini deſiderata compendia percepiſſe. Factam hanc permutationem illo tempore exiſtimamus, quo Alemanni, anniverſarij propè Vindeliciæ hoſtes, à Theodorico domiti, ſtabiliendæ pacis cauſâ, quòd ea aliter à pugnaci Gente impetrari non poſſe videbatur, in Italiam traducti ſunt, itinere per Noricum inſtituto, circa annum DVI, quo ferè tempore Symmachus Pontifex Max. ad Theodorum Laureacenſem Antiſtitem, literas dedit de jure & vſu Pallij, quæ Eccleſiæ illius antiquitatem luculentè confirmant.

Atq; hæc ferè ſunt, quæ in tanta literarum inopia, de provincia omni, antequam BOII in eam immigrarunt, comperta nobis, per ſuos digeſta annos, ad ſternen-

ſternendam reliquæ hiſtoriæ viam, præmittenda duximus. Anno igitur à prima BOIORVM memoria Milleſimo Centeſimo Octavo, à Nato Deo Quingēteſimo Octavo, Symmachi Papæ decimo, Anaſtaſii Imp. decimo octavo, Theodorici Regis decimo ſexto, BOII, cùm THEODONE duce ex Nariſcis moviſſent, trajecto Danubio, in Vindelicia pedem poſuerunt, ejus Imperij prima fundamenta jacturi, quod ad poſteros propagatum hodiéque ſtat, eámque, quam humana ſperare poſſunt, ſibi pollicetur æternitatem. Sed factum ingens, & immortalitate dignum, Veterum tabularum luce deſtitutum, propè in tenebras ijt, niſi quà memor poſteritas id à majoribus per manus traditum, ſeris literis, & famâ poſthumâ condecoravit; nam præter annales vernas, & præcones domeſticos tanto pòſt natos, citare ex omni vetuſtate (fatendum eſt enim) teſtem non poſſumus: ſed neque illud præſtare velim, rem per ſe maximam, non à tumidis ingenijs, & quorundam vaniloquentia, incrementa accepiſſe, quibus honeſtiùs caruiſſet. Quod vtinam Aventinus ſibi per-

BOII THEODONE DVCE IN VINDELICIAM IMMIGRANT.

persuasisset; næ ille tot fabularum lacinias historiæ nunquam assuisset, cum aliorum fastidio dissuendas, quod hîc necessariò nobis faciendum est. Is enim, vt Bojorum in Vindeliciam ingressum quàm gloriosissimum redderet, quidquid, spectata temporum illorum ratione, fingi non stultissimè potuit, id factum præfidenter sanè, sine teste, asseveravit. Nam cùm sciret Theodoricum Gothorum & Clodoveum Francorum Reges, ea tēpestate in armis fuisse, opportunum longæ fabulæ filum nactus, Theodonem inter Clodovei auxilia numerat, cujus forti operâ cùm Rex sæpe usus esset, animum eidem injecisse, eripiendæ Theodorico & Romanis, Vindeliciæ; Theodonem facilè oratione Regis persuasum, Francis adjutoribus, Avaribus etiam, Angilis, Charinis, in societatem belli pertractis, brevi res maximas egisse; quidquid cis & uls Danubium vrbium fuit, imò verò etiam non fuit (quasdam enim Aventinus suo sumptu ex ingenio architectatur) cepisse; Augustam Tiberij vltimùm vi expugnasse, mutatóque nomine, ab vxore Reginoburgum appellasse; qui-

AVENTINI DE BOIORVM IMMIGRATIONE NARRATIO.

quibus ex ſententia geſtis, in majorum molitione rerum, Theodonem mors oppreſſerit: cúmque duos filios reliquiſſet, Theodonem, cui virtus cognomentum Magni peperit, & Vtilonem; hunc ad Francos militatum abijſſe, & nova dignitate Marchionis Antverpienſis, & prole illic auctum, nobiliſſimæ familiæ, quæ Carolum Magnum orbi dedit, caput extitiſſe. Theodonem paternum in Vindelicia principatum excepiſſe, eóque latè in Noricum extenſo, actis in magno imperio viginti ſex annis, regionem omnem in tres diviſam partes, tribus filijs, Theodoni tertio, Vtoni, & Theodovaldo reliquiſſe. Verùm Arenpekius, qui Aventino prior itidem BOICÆ Gentis hiſtoriam condidit, illud primum de Francorum auxilijs omnino repudiat; Theodoni cohortem mille non ampliùs popularium adjungit, eâ comitatum in provinciam introducit; quem cùm Romani vectigalem ſibi facere vellent, ipſummet vltro ad Imperatorem (Theodericum Regem intelligas neceſſe eſt) in Italiam abijſſe; à quo primùm dempta cæſarie, & ſucciſæ veſtis ignominia notatus;

ARENPECKHII NARRATIO.

tatus;

tatus; deinde inter militaria auxilia cō-optatus, ob navatam operam, aliquot annorum immunitatem impetraverit; quibus exactis, cùm iterum tributum Legati vrgerent, ipséque ad Imperatorem revocaretur, apologum de Cervo, quem nos, superiore libro, aliorum annalium fide, retulimus, subjecisse; ob detrectatum Imperium, bellum exortum; Octingæ primùm, vigesimo deinde supra quingentesimum anno, Beurnæ in alpibus, cum Justino Imperatore conflixisse, vtrobiq; victorem; exinde Boios famâ præclarâ fuisse, Langobardis Francísque fœdere primùm, paullò pòst etiam affinitatibus illigatos: Theodonem ipsum, cùm triginta annos imperasset, fatis concessisse, Vtone filio relicto, quem alij Otonem, vel Odonem, alij etiam Vtilonem dicunt. Ita ipse Aventini Geryonem, id est Theodones tres, in vnum contrahit, parcior bellorum, & sanguinis, & modestior omnino fabulator; cujus ego vestigia dum sequor diligentiùs, manifestè deprehendi, suam illum scenam ex Procopij spolijs adornasse, & historiæ alienæ veritate ad hoc commentū

AREMPECKHIVS REFVTATVR.

dome-

domesticum esse abusum. Narrat enim Procopius, Theodim quendã Gothum genere, exercitui à Theodorico præfectum, potentis fœminæ, quam conjugio sibi sociaverat, dote fretũ, duo militum millia contxaxisse; eâ quantulacunque manu viam ad Hispaniæ Regnum sibi aperuisse; quod etsi Theodoricus iniquis auribus animísque acciperet, palàm moliri nihil ausum, desperatione successûs; occultè tamen illi plagam tetendisse, proceribus subornatis, qui Theodi suaderent, rectè eum atq; ordine facturum, si ad salutandum Theodoricum accessisset; at illum, cùm detrectandi periculosi officij easdem causas haberet, quæ, vt est in fabulis, vulpem ab ægri leonis cubili absterruerunt, tuta præ speciosis habuisse, vnáque Regis vultum, & suum discrimen evitasse. Certè omnia me fallunt, aut Theodis hic Gothus Theodonem BOIVM Arenbekij nobis peperit, ita vtrobique penè omnia congeminarunt; nisi quòd Arenpekius catus homo, milliariam cohortem Theodoni ad occupandam Vindeliciam sufficere credidit; cùm Theodi Gotho, ad universum Hispa-

Procop. l. 1. bel. Gothici fol. 31.

spa-

ſpaniæ Regnum ſubijciendum, bis mille milites juſtus exercitus ſit viſus. Iam Aventini totam telam retexere, non eſt operæ: monuiſſe ſatis habeo, virum illum exiſtimaſſe, ab Hiſtorico jurato, vt eſt in Ludo Senecæ, res non exigi; quod planè ſecus eſt; nam, vt in Pythagoræ ſchola id fortaſſe factum fuerit; hîc tamen illa Q. Scævolæ vox valere debet, proteſtantis, › Ita ſibi credi oportere, ſi & alij idem › aſſeveraſſent; quoniam vnius teſtimo- › nio aliquem credere, peſſimi eſſet exem- › pli; quod cùm in hiſtoria omni æquiſſimum ſit, non debet nobis eſſe invidiæ, ſi eandem cautionem ad Aventinum afferimus; in re præſertim tam antiqua, & tot ſeculorum tenebris obruta; quando & quotidiani rumuſculi, ſine teſte oculato, vel aurito certè, fidem neq; apud aniculas reperiunt. Igitur quamquam facilius eſt, quæ facta non ſunt, ad fabulas reijcere, quàm quæ facta ſunt, ſtatuere, juvabit tamen hanc nimis venalem credulitatem corrigere, quæq; incerta ſunt, modeſtiore judicij formula notare, NON LIQVERE. Primùm igitur, THEODONEM circa annum Quingenteſimum octa-

Item Aventinus.

Sen. de morte Claud. Cæſaris

Val. l. 4. c. 1.

octavum in Vindeliciam venisse, tutò creditur, quod domestici annales omnes, qui cæteroqui in profectionis hujus consilijs, aggressione, progressionibúsq; mirè discrepant, hac tamen in re & anno assignando, sine formidine conspirant: Id vnum abolere vetustas non potuit, stetitque hic veluti sacer terminus tot sæculis immotus, vt illum etiam nobis convellere, religio sit. Reliqua intercidisse, idipsum argumento est, quòd, qui restituere ea aggressi sunt, cùm præter opinationes suas certum ducem non haberent, in tam diversa abiere; quod in duobus illis, quorum sententias posuimus, videre fuit. THEODONIS nomen, vt hoc obiter dicam, antiquis Celtis, è quibus BOII sunt, Heroa significat; & vero simile est, primum Gallicæ gentis conditorem eo nomine vsum, cùm Galli apud Cæsarem se Dite prognatos prædicent, qui idem est fortasse cum Germanorum Deo Teutone, à quo ipsi appellationem traxere; quæ ipsa vox neque Græcis incognita fuit, cùm Mercurium Plato Theut vocatum testetur, quem Germanis eximiè cultum Tacitus prodidit.

THEODONIS NOMENCLATIO.

Inl. Heldenbuch. Diet, pro viro forti.

Cæs. l. 6. bell. Gall.

Plato in Phædro & Philebo.

Tac. l. de mor. Germ.

dit. De Theodonis prosapia, si fabulas recentiores repudiamus, id certius puto, quod ex Dagoberti Regis verbis, in Iure Boico, quod ille correxit, digessítque, satis manifestè eruitur, fuisse AGILOLFINGVM genere, quæ apud Boios familia princeps, Principúmque mater semper fuit. Ita enim clarè Rex Dagobertus in Legibus BOICIS scripsit; Agilol-
„ fingi verò vsque ad Ducem in quadru-
„ plum componuntur, quia summi Prin-
„ cipes sunt inter vos. Dux verò, qui præ-
„ est in populo, ille semper de genere Agi-
„ lolfingorũ fuit, & debet esse, quia sic Re-
„ ges antecessores nostri concesserunt eis:
„ qui de genere illorum fidelis erat & pru-
„ dens, ipsum constituebant Ducẽ, ad re-
„ gendum populum illum. De Theodonis pugnis perpetuísque triumphis, déque ipsa adeò Vindelicia & Norico, in BOIORVM potestatem, vivo Theodorico Rege, armatâ manu adactis; quia horum omnium Aventinus tantùm conscius est, ampliandum censeo: Quid, quòd argumentis docere pluribus possum, illa omnia ad pompam inflata, & ex vano hausta esse. Nam de Norico quidem Procopius locu-

THEODO SIBI ARMIS IN VINDELICIA SEDES COLLOCAT.

locuples auctor est, Gothorum id Regibus paruisse, vsque ad bellum, quod Gothis, Justiniani Imperatoris auspicijs, per Belisarium & Narsen, nono ab ipsius Theodorici morte anno, illatū est; quòd si Procopius Norici nomine Vindeliciā etiam complexus est, quod secuti illum Scriptores passim fecerunt, multò jam tota Aventini fabula est confossior. Jam in Panegyrico, quem Theodorico Regi Ennodius dixit, alia omnia legas, quàm quæ patrocinari huic commēto possint; nam præter incredibilem animi magnitudinem, perpetuam etiam Regis illius, in bellis omnibus, felicitatem eousque deprædicat, vt nihil eum dubitet supra Alexandrum evehere, qui vnus hominum, quidquid aggrederetur, Fortunam in consilio habuisse creditus est. Hæc enim Ennodij magnifica certè, & confidens vox fuit. Eat nunc, & cothurnatis relationibus Alexandrum jactet antiquitas, cui famæ opulentiam peperit dos loquentium, vt per adjutricem facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio; Regis nostri (Theodorici) merita solatium non postulant adserentis; mi-

 nora

„ nora sunt eius veris actibus, quamvis au-
„ cta sint veterum gesta mendacijs. Simu-
„ lastis Poëtæ grandia, sed fateri vos con-
„ venit, præsentem dominum gessisse po-
tiora. Quæ sicui tumidiora fortasse vi-
deantur, & ex ore Rhetoris, non Histori-
ci deprompta, dura tamen fronte Vir-
sanctus, aut nulla potiùs fuit, si extortâ è
manibus Vindeliciâ, & Norico, in quod,
ex ipsa propè regia, Theodorico prospe-
ctus patebat, BOIORVM armis insesso,
„ ipse interim dicere ausus est, Si bella Re-
„ gis mei numerem, tot invenio, quot
„ triumphos; congressui tuo nullus ho-
„ stium, nisi qui laudibus adderetur, occur-
„ rit; militavit trophæis, qui restitit volun-
„ tati; nam semper aut pietati tuæ peperit
„ subjectus gloriam, aut qui præsumpsit,
„ tela virtuti. qui te in acie conspexit, su-
„ peratus est; qui in pace, nihil timuit. Quæ
quàm verè ab Ennodio dicta sint, omnis
illius temporis historia loquitur: sed, vt à
longinquis victorijs argumentum non
accersamus, negamus tamen credi pos-
se, BOIOS ita passim grassantes, non ea-
dem cum Alemannis Fortuna involven-
dos fuisse, quos à BOIIS solo Lyco flu-
mine

mine divisos, Theodoricus in primis conatibus, vt Cassiodorus loquitur, adeò oppressit, vt simul adventum eorum junxerit, & exitum; quo ei nomine etiam titulum Alemanici deberi, Ennodius dixit. Nullum proinde in omni antiquitate vestigium est, quod Aventinum juvet; at enim ille turpe, & miserum existimavit, si THEODO Vindeliciam non triumphans ingrederetur; quæ illi causa fuit, has tot laureas comportandi; nimirum cùm Theodoricus id jam prohibere, post tot secula, non posset. Enimverò quando conjecturis in re incerta omnino aliquid indulgendum est, illud potiùs dicamus, Theodorico volente, BOIOS in Vindelicia sedem posuisse; aliter enim neque potuisse quidem, hucusque disputata convincunt. Sanè qui superioris seculi imaginem, qualis à nobis adumbrata est, comprehensam animo gerit, multa, etiam non indicante me, argumenta colliget, cur Theodoricum ipsum BOICÆ coloniæ deducendæ autorem facere nihil timeamus, vel fautorem certè. Deformatam anniversarijs cladibus Vindeliciam, & perpetuis incursionibus fatigatam;

L. 12. var. epist.

Ennod. in Paneg.

tam; veterum incolarum magnam partem, quotidianis obſaturatam ærumnis, mutato ſolo, Odoacris imperio, tranſlatam in Italiam annotavimus; vt exhauſtam penè vacuámq; poſſeſſoribus provinciam, novis colonis tradere neceſſarium fuerit, ne planè in ſolitudinem ſilveſceret. BOIOS loci vicinitas, ſi aliæ cauſæ deeſſent, invitare debuit, vt Danubio duntaxat tranſito, ſedes ambirent in feliciore agro, quàm adhuc in Germania magna coluiſſent; idipſum vt facere mallent gratijs, quàm nihil fortaſſe profuturà vi, exemplis penè domeſticis docebantur; recentes erant Alemannorum clades, qui Theodorici vires magno malo ſuo experti, libertate, ſub hæc ipſa tempora, & patriâ multati fuerant, vt paulò antè diximus. Erat in oculis Gothorum factum, quibus nequaquam alienũ à dignitate ſua viſum, ſedes à Romanis Imperatoribus flagitare: Ita enim *De Reb. Goth.* Jornandes ſcripſit, maluiſſe eos à Romano Regno terras petere, quàm, cum diſcrimine ſuo, invadere alienas; votoque ſuo potitos, precarium in Pannonia imperium accepiſſe; vnde nuper, iiſdem Romanis

manis

manis annuentibus, progressi, nobilissimum Italiæ Regnum occupaverant; à quibus ipsis Gothis cùm deducendæ coloniæ jus petendum esset, in vacuum penè desertúmque agrum, tanto minor erat repulsæ metus, quanto honestior impetrabiliórq; oratio BOIIS suppetebat; id duntaxat postulaturis, vt qua felicitate nuper Gothi à Romanis habitandas sedes impetrassent, eadem facilitate nunc ipsi rerum domini, idem à se impetrari paterentur. Atque hæc mihi BOIORVM in Vindeliciam deportandorum aptissima visa est ratio, modestior sine dubio, quàm Aventinus vellet, & minus habitura plausus in vulgus, quod non nisi ad lituos & creperas bellorum narrationes aures erigit; at mihi constans vetustatis silentium pro argumento est, BOIORVM immigrationem nihil admodum tumultus habuisse: crescente cum armis imperio, bellorum abunde fuit, quibus BOIORVM gloriæ, per quinque secula sepultæ, detersa rubigo est; interim tamen germanum Gentis nomen penè amissum est; nam qui illud post hæc tempora primi vsurparunt, Jornandes, Fortunatus, Pau-

lus Diaconus, Eginhardus, hisque ævo suppares aut posteriores, à Romana inflexione degenerantes, Germanicã pronunciationem secuti, BOIARIOS appellarunt; ex quã deinde Bavarorum nomenclatio procusa est, quam Aventinus barbaram obscænam inauspicatámque, ineptâ censurâ pronunciavit. Natã tamen hinc BOICÆ gloriæ æmulis opportuna cavillandi occasio, vt ex BOIIS & Avaribus, nescio quos hybridas nobis conflarent; aut dum quidvis potiùs Bavaros esse, quàm BOIOS malunt, Burorum Germanicæ Gentis Tacito nominatæ posteros eos faciunt; quod delirium malevolentiæ plus, an inscitiæ habeat, haud facile dixerim: illi ipsi, qui hoc nobis conatus est approbare somnium, ad concinnandam producendámq; incredibilem fabulam, larva defuisset, nisi in Aventino, qui id solus sine teste scripsit, reperisset, Buros BOICÆ Gentis populum tribúmve fuisse, eadem vanitate, quã Schiracios, Hirros, Schiros, Tranos, Salios, Salingos, Stiros, Stiracios & Halios BOIIS accẽsuit; & THEODONI, ne incomitatus in Vindeliciam ingrederetur,

BAVARI GERMANA BOIORVM SOBOLES.

Richar. Streinnius in MS.

BVRI A BOIIS ALIENI.

vmbras

vmbras addidit; ex quibus Stiri & Stiracij tum quidem nulli prorsus fuerunt, vti etiam fortasse Trani; reliqui Germaniæ magnæ populi, plerique sedibus longissimè inter se, & à BOIIS dissiti, ab Aventino, eâ tantùm gratiâ, contracti sunt, vt familijs illustrioribus, quæ in BOICA pòst inclaruerunt, fucum faceret, si cognatum illis nomen, & tam veteres avos, à mille & amplius annis ostentaret; quod in Schyrēsi familia principe perspicuum est; quam ne ab Arnulpho, aut Schyra arce, quæ illius opus fuit, deducere cogeretur, necessariò Scyros in BOIORVM nomen Gentémque putavit adoptandos; cuius me hominis temeritatísq; pridem piget, pudétque, qui & suo ævo tam protervè illuserit, secúmque morituras literas existimarit, ne ex Tacito, Plinio, Iornande, aliísque Scriptoribus, quorum testimonijs obruendum se viderat, coargui impudentiæ posset: Nihilominus tamen Ludioni illi, qui Buros in scenam misit, hic præsultor placuit, vt vernaculo scommati BOIOS objiceret, quasi furtim sub glorioso nomine delituissent, posthac non BOII, sed Buri, id est Rustici, &

oratores audituri; etsi invidiam commẽti sui magnis agriculturæ laudibus palliavit: quo ei nomine, ne operam omnem luserit, Rhetorum pueri gratias agent; nam cordatis viris, etiam ijs, qui BOIIS obnoxij non sunt, ridiculum se fecit; cùm cæteroqui, nisi argutationem ineptam nimis amasset, quâ diligentiâ in veteribus monumentis evolvendis fuit, fugere illum non posset, Ionam Scotum, qui centùm non ampliùs annis, post BOIORVM in Vindeliciam immigrationẽ, vixit, cùm res à D. Eustasio Abbate Luxoviẽsi gestas persequeretur, disertè scripsisse, eos, qui nunc Bojarij dicuntur, olim BOIOS audivisse; vt vel vno hoc indicio constet, vetus Bojorũ primævũq; nomen, Græcis Latinísque vsitatum, ignotum non fuisse, sed, quemadmodum dixi, Germanicæ notioni cessisse; quod in alijs innumeris factitatum, nemo tam rudis est, qui nesciat; quamquam, ne quid dissimulem, hoc ipsum tam illustre testimonium temporum iniquitas vitiavit, vt in Bedæ editione videre est; sed Surius melioribus vsus libris, cum fide integrum reddidit. BOII ergo, vt, quod

istis

iſtis dolet, pertexamus, Theodorico Gotho auſpice, THEODONE Boio duce, Sexto poſt Chriſtum Natum fluente ſeculo, in Vindeliciam primùm, deinde, velut prolatis pomerijs, in Noricum coloniam deduxere; progreſsique à non maximis initijs, majorum ſuorum ſtudia æmulati, quæ prima ſunt mortalium votorum, adepti, Romani Germanicique Imperij pars magna poſtea habiti, ſubinde etiam in ſummo rerum collocati faſtigio, jura orbi dederunt; vt ſuis locis explicabimus. Et primis quidem annis, ſub Gothorum clientela, eorúmq; amicitiam & obſequium profeſſos, ſatis certum habeo non planè ſuo jure vixiſſe, ſed legibus à Gotho acceptis, illis ipſis, quas Edicti nomine Theodoricus Rex ſcripſit, & per ſubditas ſibi provincias publicavit; quamquam brevi ſubſecuta tempora ſunt, quæ BOIOS à jurisdictione Gothica exemptos ijs legibus ſubjecere, quas Theodoricus nō Gothus, ſed Francus tulit; Id qua occaſione factum ſit, altiùs paulò eſt repetendum. Anno poſt Chriſtum N. CDXCIX Clodovæus, ejus, quem poſteriùs nominavi, Theodorici

BOII PRIMVM GOTH. LEGIBVS OBNOXII, DEINDE FRANCICIS.

pater,

pater, Alemannos bello aggressus, Christianæ Legis profitendæ voto suscepto, non modò victoriam, sed opima etiam spolia, Alemannorum Rege cæso, reportavit; tantúmque Genti vniversæ pavorem injecit, vt etiam illi, qui in Theodorici Gothorum Regis sinum tutelámque confugerant, non nisi eo deprecatore, collapsæ fortunæ reliquias, & miseram animam conservaturos se confiderent; quocirca cùm is Clodovæo per literas victoriam esset gratulatus, illorum etiam patrocinium suscepit, & victis vitam impunitatémque impetravit. His Alemannorum calamitatibus, solita vanitate, Aventinus BOIORVM fortunam admiscet, eodémq; prælio cæsos vnà cũ Rege suo scribit, quem Adalogerionem nominat, sine teste; nam ejus rei nihil in Francorum annalibus bene multis & diligenter scriptis, neq; ille, neq; nos invenimus; Illud tantùm recens auctor Paulus Æmilius, in Childeberto Clodovæi filio scripsit, Francorum Imperium ad Bavarorum vsq; fines, eo Rege, pertinuisse; sed id quo casu eoúsq; propagatũ sit, cùm literis nullis traditum videret, indi-

QVÆRATIO BOIOS FRANCIS ADIVNXERIT.

ctum reliquit: quòd si quis conjecturæ locus est, propior quidem opinanti sim, Boios, victricium Franciæ armorum admiratione, vel eorundem, cùm jam proximus arderet paries, prudenti metu, post Theodorici Gothi mortem, rebus suis, voluntaria deditione, consultum ivisse; cúmq; in Theodorici successoribus nihil spei esset, maluisse orientem Fortunę Francicæ solem, quàm Gothicum jam in occasum vergentem adorare; cùm præsertim haudquaquam conquieturi Franci viderentur, quamdiu superesset, quod vincerent, facilè inventâ causâ, quæ bellum amantibus semper obvia; id quod illi ipsi Alemanni novis deinceps cladibus experti sunt, quos Theodoricus imbelli literarum supplicum, & qualiscunque famæ præsidio, quoad vixit, texerat; mox enim eo sublato, Theodebertus Theoderici Franci filius, quòd & audacissimus (Agathiæ verba sunt) & turbulentissimus erat, ac præter modum cupidus, discrimen omne adibat, illos à Gothis penitùs desertos bello domuit, victísq; vltimæ subjectionis confessionem expressit; cujus fati necessitatem inevi- Agath. l. 1.

tabi-

tabilem antevertisse Boios credibile est, atque integris rebus suis, quò meliore apud Francos conditione essent, fidem illorum experiri, quàm arma maluisse; nec Jura Legésque detrectasse, cùm certum haberent, molliora omnia esse, quæ amicus, quàm quæ victor cruento jam gladio scriberet. Tum demum Theodoricus Francus, cùm Catalaunis esset, viros ætate graves, multo rerum vsu, Jurisq; peritiâ inclitos cōvocavit, qui Francis, Boiis, Alemannísque Leges, receptis singularum Gentium moribus attemperatas conderent; illúdque cavit inprimis, vt Æterna Divinaque Lex, & Christiana disciplina publici privatíque Juris fons, & vnica norma esset, ad quam minima maxima exigerentur; quidquid ab ea latum vnguem discederet, nefas haberetur; eâ regulâ avitarum consvetudinum barbaries fœdíque ritus ad humanitatem modestiámque reducerentur: viri illi, collato studio, quantum humanis ingenijs provideri poterat, munere suo gnavè functi, tabulas confecerunt, summísque & infimis æquatum Jus in ijs descripserunt; eas Theodoricus Rex proba-

Ex prolog. Legum à Dagob. R. publicatarum.

THEODORICVS BOIIS LEGES CONDIT.

probatas, BOIIS, quod bonum, felix, faustúmque ipsis, eorùmque liberis esset, vtendas servandásque publicavit; visúsque est ea re facem Justiniano Imperatori prælucere, qui paucis annis pòst, Jus Romanum informe antehac, disjectúmque, & sua mole laborās collegit, immortali munere de toto terrarum Orbe optimè meritus, velut ipsâ Justitiâ revocatâ. Sed Legislator BOIORVM Theodoricus, anno Christi DXXXI vitæ finem fecit, biennio antequàm Digestorum Institutionúmque libros Imperator vulgaret. Theodoricum, post Septennium, Fatorum lege, THEODO BOIORVM Princeps (Arenpekium sequimur) secutus est, filio VTILONE post se relicto; Fratrem illi nostratium nonnulli Theodonem faciunt, qui militatum in Italiam abierit, nullo antiquitatis testimonio; cui insuper, vt pulchrior prodiret, furtivum Vacari cognomentum assuerunt, quod Germanis alacrem & intrepidum sonat. Nam cùm apud Agathiam eo nomine Burnum, aut Varnum quempiam insignem bello virum, ejusdemq; filium Theodibaldum, magna apud Narsem Justi-

THEODONIS MORS.

VTILO BOICÆ PRINCEPS.

FICTITII BOIORVM HEROES EXPLOSI.

Agath. lib. fol. 405.

Justiniani Ducem existimatione legissent; quòd & Burni nomen à BOIORUM etymo non longissimè abiret, & Theodibaldus eodem jure in Theodonum familiam adoptari posse videretur, vt honestum suis fabulis auctarium adijcerent, hos sibi Heroës, vt genuinos, supposuerunt; inter quos intemperantissimus vbique Aventinus, quid dicat, quídque audeat, pensi adeò nihil habet, ita coacervandis toto orbe triumphis largus est, vti me literarum pridem misertum sit, quæ illi ad hæc figmenta, quibus majestatem Historiæ traduxit, subservière. Mihi certum est, Theodonem, sive Vacarum Agathiæ, vti & Theodibaldum, ad BOIOS non pertinere; cùm ex Germania Taciti, aliísque bonæ notæ Scriptoribus constet, peculiarem inter Germanos Gentem fuisse, Varnos, vel Varinos dictam, ad quos hæc duo decora, sine invidia, remittimus, proprijs & indubitatis divites. Alium quempiam Theodonem, vel Vtiloni fratrem fuisse, vel duos ordine Theodones sibi in Bojorum Principatu successisse, ex eo sane probabile fit, quòd quem paulò pòst eodem nomine produ-

cturi sumus, à plerisque domesticis Scriptoribus Tertius appellatur; at enim vetustioribus tabulis, quibus inniti tutò liceat, etiam hîc destituimur, in quibus neque Vtilonis quidem vllum vestigium relictum est; qui, si Scriptoribus domesticis credimus, DLXV anno naturæ concessit; quo ipso, Justiniani Imperatoris & Clotarij Francorum Regis ducta sunt funera; cùm decennio antè, Gothorum in Italia Imperium felicibus Narsetis Eunuchi armis esset extinctum; qui tamen, si vera sunt, quæ Paulus Diaconus de illo prodidit, partam eâ re gloriam brevi ingenti scelere corrupit, dispari vtrumque nomen facto, servatæ eversæque Italiæ promeritus. Ita enim ille scripsit, & turba Historicorum posterior consentiens, vt certum, arripuit, propagavítque, Narsetem, maximis rebus gestis, gloriæ plurimum, &, vti fieri amat, non minùs invidiæ sibi peperisse; auri tantum collegerat, quantum privato, si se Fortunâ suâ potiùs quàm animo metiretur, neq; concupiscendum quidem fuit; & quia difficile est, ad magnas opes sine multorum gemitu pervenire, Romanorũ primùm

Vtilonis Mors.

odio, Augustorum deinde suspicionibus & invidiâ conflagravit, vt illi Justinus successorem daret; Sophia verò Augusta insignem insuper contumeliam revocationi adjiceret, dictitans, sibi semiviro in gynæceo opus esse; illic ad colum, inter nentes, jura daturum, & pensa in quasillos divisurũ. Narses supra quàm dici potest, excanduit, sibi naturę aut fortunæ injuriam cum probro objectari; &, quia ad lanificium poscebatur, Exordiar sanè telam, inquit, quam nulla Penelope, nec quidquid vsquam est muliebrium Sophiarum, retexat; ea vna re parum se virum esse professus, cùm muliebre convitium tam impotenter ferret, & totius ruinâ Italiæ censeret obruendum.

VII. NARSES LANGOBARDOS IN ITALIAM EVOCAT. *Paul. Diacon. l. 1. c. 24. Patercul. l. 2.*

IGITUR Langobardos, ab intactæ ferro barbæ longitudine, vt Paulus Diaconus loquitur, ita appellatos, immanem Gentem, quámque jam olim Velleius Germana feritate ferociorem vocavit, ex Pannonia, vbi per annos duos & quadraginta consederant, evocavit, facilè recursuros ad prægustatas Italiæ delicias, cùm non pridem ad debellandos Gothos eidem Narseti militarem operam

tam navassent. Verùm vtcunque Narsetis sese res habuerint, quem à proditæ Italię scelere optimus patronus Baronius purgare contendit; Langobardi certè Alboino duce, A. DLXVIII Italiam sunt ingressi; quorum advētum, tristibus portentis moniti; quibus mens læva non fuit, præsensere, facili conjecturâ, quò se effusura calamitas esset, cùm prodigia illa, & prænunciæ clades finibus Italiæ circumscriptæ vicinam BOIARIAM; teste Diacono, ne contingerent quidem. Verùm Langobardi, in eius expeditionis societatem, populos plures, inque ijs Noricos; BOIOS nimirum, pertraxere: quibus deinde, constituto in Italia Imperio, vicos habitandos Alboinus assignavit, quos ab incolarū nomine, suo etiamnum ævo, indigetatos Paulus affirmat; qua comitate adeò omnem sibi BOIORVM Gentem obligavit, vt patrijs deinceps carminibus; quæ vicem literarum, in illa seculi ruditate, erant, Alboinus Heroibus accensus, non tantùm à forti, sed etiam liberali manu laudaretur: Illud tamen BOIIS perincommodè accidit, quòd digredientibus è Pannonia Langobardis

To. 7. Annal. A. Chr. 568.

l. 2. c. 4.

BOII LANGOBARDOS IN ITALIAM SECVTI.

l. 2. c. 26.

Paul. de Gest. Lang. l. 2. c. 7.

 pessi-

pessimo deinceps vicino pressi sunt: hi enim Hunnis, qui alio nomine AVARES dicti sunt, fœderatæ Genti, suis in Pannonia sedibus precariò cessere; id modò pacti, siquis olim casus Langobardos eodem retulisset, vacuam sibi bonâ fide provinciam traderent: Hunnorum igitur deinceps ad Anassum vsque porrectum Imperium fuit; hoc solo flumine ab ijs BOII dividebantur, tenui adversus ferocissimam Gentem præsidio; eóque omnis in armis spes, quæ in nullum hostem frequentiùs mota, eáque, alternante Fortunâ, mutuis cladibus nobilitata. Per hæc tempora Theodopertũ, Theodonis, quem paulò antè nominavimus, filium, & Thessalonum, seu Thassilonem Theodibaldo natum, BOIIS æquali potestate imperasse, Aventinus ex ingenio confinxit, nullis neque tabulis, neque testibus commento suffragantibus: causam tamen paulò pòst in mediũ producam, quæ illum ad hanc ariolandi necessitatem impulit. Theodoperti filium idem GARIBALDVM facit, eâdem divinandi confidentiâ: etsi enim Garibaldi celebre apud Scriptores complu-

HVNNI BOIORVM MALI VICINI.

GARIBALDVS DVX BOIORVM.

res nomen est, patrem tamen illius nemo prodidit; quinimo nostratium quidam de eo ita loquuntur, vt M. Velserus illum neque BOICI quidem sanguinis existimarit, conjecturis, quæ id suadeant fortasse; mihi certè nihil persuaserunt: nam quòd Garibaldum hunc eundem cum illo censet, quem Gregorius Turonensis Garivaldum, Paulus Garipaldum appellat, cui Clotharius Vuldotrada, seu Valderada conjuge cesserit, quòd illud matrimonium sacri Antistites, vt nefarium improbassent, incertũ est; & vt hoc maximè Velsero daremus, nihil prohibet, illũ ipsum Gente & domo BOIVM, sanguine Agilolfingum fuisse; quando in Dagoberti Legibus disertè scriptum est, quod suprà ad indagandum Theodonis genus positum, valere etiam hîc debet, Ducem, qui præest in populo, semper de genere Agilolfingorum fuisse, & debere esse: verùm nos hac etiam lite in medio relictâ, cuius ex omni antiquitate judex excitari nemo potest, quæ de GARIBALDO indubitata sunt, persequamur. Clephone, qui secundus post Alboinum in Italia imperavit, domesticis insidijs in- *Velſ. Boic. l. 4.* *Greg. l. 4. c. 9.* *Paul. l. 2. c. 32.*

terfecto, Langobardi mutatâ Reip. formâ, repudiatóque Regno, anno DLXXV, triginta sibi Duces præfecerunt, singulósque vrbibus suis imposuerunt. Ex ijs Evino Tridentum obvenit, quem, quòd ditiones BOICAS proximè contingeret, Garibaldus BOIORUM Rex generum sibi legit, filiâ elocatâ; quod Francis probari haudquaquam potuit; nam cùm ijsdem Langobardi, eo ipso tempore, protritâ Italiâ, infesti imminerent, quo animo ferrent, BOICÆ Regem (hoc illum nomine Paulus cohonestat) sibi obnoxium, quíque à se jura peteret, hostibus suis affinitate jungi? quòd id haud dubiũ argumentum esset animi vel plenam libertatem, vel alienum imperium respicientis: nihil tamen, de quo constet, tum quidem in Garibaldum tentatum; fortasse quòd, Franciam infestantibus Langobardis, in præsentia necessariò erat omittendus: in eius generum Evinum arma versa, Tridentúmque Duce Cramnichide devastatum, quem tamen Evinus Salurnis cõsecutus memorabili prælio occidit, & res suas cum vrbe recepit.

Paul. l. 3. c. 10. GARIBALDUS FILIAM EVINO DUCI TRIDENTINO DESPONDET.

Paul. l. 3. c. 9.

VIII. VERUM cùm Langobardi annis decem

cem sub optimatibus fuisset, ad Regnum reditum, Anno DLXXXV, & Autharis Clephonis filius, præstanti virtute juvenis Rex salutatus est; cui Garibaldus, immortali Gentis Langobardicæ bono, etsi id ei privatim vtile non fuit, alteram filiam THEODELINDAM, vnicum sexus & seculi sui decus, hac occasione despondit. Childebertus Sigeberti Mediomatricum Regis filius, Authari per Legatos pacem affinitatémque exposcenti Clodosindam sororem promiserat; verùm illam, antequam in Italiam traduceretur, etiam Richaredus Gothorum in Hispania Rex ambijt, & impetravit, Anno DLXXXIX: fractæ fidei levitatíq; Religio à Franco obtenta, & dissimilitudo Sacrorum, quòd Langobardos Arij impietas inquinaret, à quo Richaredus cum Gothis nuper discesserat, Autharis, cùm voto suo apud Francos excidisset, Garibaldum socerũ per Legatos ascivit. Fredegario scribenti, Theodelindam Childeberto antea desponsam, Brunechildis matris consilio, ab eodem fastiditam, nescio quid fidei habeam, quam supinâ negligentiâ an inscitiâ potiùs Scholasti-

AVTHARI LANGOB. REGI THEODELINDA IVNGITVR.

Paul. l. 3. c. 29.

Chron. c. 34.

cus ille pluribus in locis sibi derogavit. Autharis vbi, quæ voluit, ex Legatis intellexit, consilium capit, quale Juventus, & moræ impatiens amor suggerere potuit; ne quidquam de Theodelinda alienis oculis crederet, dat ipse se in viam, promtissimis Juvenum comitantibus. Adornata in speciem Legatio est, Rege ipso mimum componente; cujus partes principes amico expertæ fidei demādatæ; huic honorarios illos asseclas circumdat, ijsque, cultu regio posito, ne scenæ deesset, velut vnus de multis se miscuit. Vbi in aulam Garibaldi ventum est, & Orator verba fecit, progressus Autharis sibi à Rege mandatum singulariter, inquit, vt os habitúmque futuræ Dominæ contemplaretur, & formæ imaginem haustam oculis cupido sponso domi explicaret. Annuente Garibaldo producitur Theodelinda. Omnia in illa supra spem fuerunt; forma, morésque vsque ad miraculum culti, & cuicunque fortunæ pares. Ipse Autharis sic censuit; quem longi itineris, post illud spectaculum, non potuit pœnitere: ægre tamen propositum tenuit, & simulationis proditor

AVTHARIS SPONSÆ VISENDÆ STVDIO IN BOICAM PROFICISCITVR.
Paul. Diac. l. 3. c. 31.
Aimoin. l. 3. c. 77.

ditor

ditor amor propè fabulam evertiſſet. Nam cùm Garibaldo ſignificaſſet, hoſpitalem pateram velle ſe de manu virginis capere; id moribus Gentis ſuæ ſanctum, & deinceps frequens fore; Theodelinda, volente patre, poculum temperat, eóq; Legationis principem primùm invitat, proximè Autharim; is ſiccatum virgini poculum cùm reddidiſſet, digitum eiuſdem molliter preſſit, progreſſáq; licentiâ, frontem erubeſcentis, & ſeriò indignantis, totámque faciem explicatâ palmâ permulſit. Quiritantem ea de re virginem, & inverecundum hoſpitis factum contumeliam ſponſi ſui interpretantem, ad quem etiam intactum illibatúmque os ferendum fuerit, nutrix ſolata eſt, nihil dubitaret, ſub illo ipſo audaci hoſpite Sponſum latere; nam quem alium id auſurum, cum periculo capitis? Præterea decus eximium, & dignam Imperio formam, & nunquam ſatis diſſimulatum amorem, etſi fortaſſe nolit, prodere tamen manifeſtè Autharim. His verbis virgo delinita conquievit. Autharis verò formâ Sponſæ, quódque optabilius multo fuit, pudicitiâ exploratâ, in pa- AGNOSCITVR AVTHARIS.

triam regressus est, BOIORVM nobilissimis iter prosequentibus. Vbi ad vtriusq; regni confinia ventum est, Autharis in equo sublimis, omnibus viribus connixus, securiculam proximæ arbori illisit, impactámque roboris sui monimentum reliquit, dicto etiam addito, Sic ferit Autharis; quæ vox illum BOIIS prodidit. At enim hæc jam altera, cum Gente Langobardica, ipsóque adeò Gentis Rege contracta affinitas Garibaldo exitium attulit; mox enim sequente anno, qui Quingentesimus nonagesimus fuit, Childebertus illum bello aggressus est, non ea re motus, quæ Velseri suspicio fuit, vt Regno incubator pelleretur, Regnúmque ad veteres ex Agilolfinga familia dominos rediret, sed vt Autharim spe fidissimi certissimíque auxilij nudaret, vt Paulus Æmilius scripsit, eadémq; operâ, BOICAM haud obscurè ad Langobardos inclinantem in fide retineret. Belli tamen turbine Theodelinda involuta non est, priùs à GVNDOALDO fratre in Italiam ad Sponsum deducta: qui de adventu illius certior factus, eidem in campos vsque Veronenses, qui-

GARIBALDVS A CHILDEBERTO FRANC. REGE BELLO APPETITVS AN. CH. DXC. *Annal. Domest.* *Et obscurè Paul. l. 3. c. 31*

THEODELINDA IN ITALIAM TRADVCTA.

quibus Sardis nomen est, obviam profectus, ibidem regiâ pompâ nuptias celebravit, ipsis Idibus Maijs. Fortè ita evenit, vt illum ipsum Genialem diem & publica gaudia, turbidum Cœlum, & fæda tempestas interpellarent, fulmen etiam Regij tabernaculi tignum disijceret; id triste prodigium multis visum, quo tamen Agilulpho Taurinensium Duci, qui inter proceres aderat, læta omnia portendi familiaris ariolus nunciavit; brevi enim ipsum Regiæ Sponsæ conjugio potiturum. Ille sive vatem aspernatus, sive temerarij dicti invidiam suppressurus, extrema Mago omnia minatus est, si de ea re verbulum mutiret; at ille, mirâ vanissimæ artis confidentiâ, Potes sanè, inquit, vile & devotum tibi caput præcidere, sed fata ferrum non timent, neque mecum expirabunt. Vera dixisse, quocunque dictante, sequens annus docuit. Tristi interim exitu Francicum in Bojaria bellum finitum. Garibaldo sive cæso, sive, quòd aliquibus visum, in Italiam ad Generum fugâ elapso, THASSILO à Childeberto suffectus est. Garibaldũ Christi disciplinâ instructum fuis-

Paul. l. 3. c. 31.

AGILVLPHO REGNŨ ET CONNVBIVM CVM THEODEL: PRÆDICTVM.

THASILLO POST GARIBALDVM BOIIS PRINCEPS IMPOSITVS.

fuiſſe ſuſcipio eſt; eo potiſſimùm argumento, quòd de Theodelindæ admiranda virtute, quâ totam poſtmodum Langobardorum Gentem imbuit, graviſſima ſummorum Pontificum teſtimonia ſuperſunt; quamquam neque ſic ſcrupulus ille eximitur, Religionémne intra paternæ domus penetralia hauſtam Italiæ intulerit, an illic demum melioribus magiſtris quàm Autharis vſa, Veritatis lumen penitùs inſpexerit, cujus poſteà latiùs diffundendæ ipſa egregium ſidus fuit. Difficile creditu eſt, ſiquidem inter Chriſtiana ſacra adolevit, languidiùs ipſam pro patria ad Deum adducendâ, quàm pro Langobardis laboraturam fuiſſe; cùm præſertim facilè illic Regis exemplum, ſi etiam pater Theodelindæ pius fuit, populares ſecuturi fuerint; at conſtat, aliquot, poſt hæc tempora, annis, BOIARIAM pleramque à Chriſto adhuc alienam fuiſſe, quod ſuo loco ſumus
Paul. l.3. c.32. oſtenſuri. BOICO Bello confecto, in Langobardos & Autharim Childebertus cõcitatus, viginti Ducibus ſummam rerum permiſit: varia partium fortuna fuit; primo impetu oppida BOIARIÆ vicina, in

Tri-

Tridentino agro cladem acceperunt, igne ferróque excisa, hominibúsque in servitutẽ abstractis, penè in solitudinem redacta; à Ferruge oppido, quod Cassiodori Verrucam existimo, mirificè à Theodorico Rege celebratum, qui illud singulare mundi castrum appellavit, duorum Episcoporum precibus, Ingenuini Sabionensis, & Agnelli Tridentini, vltimũ exitium aversum est; turba etiam captivorum liberata, sexcentis solidis in singula virorũ capita numeratis: quamquam Aimoinus longè temperantior, id vniversæ multitudinis precium constituit. Post has populationes memorabile nihil gestum est: nam & morborum grassantium vis, & grave æstivis caloribus Cœlum, Regísque in æquum locum, è Ticinensibus munimentis, quibus se tenebat, proliciendi desperatio, post tertium, quàm in Italiam irruperant, mensem, Francos ærumnis confectos in patriam repulerunt. Autharis fatigatum intestinis malis hostem detumuisse, & facilè ad æquas pacis conditiones descensurum ratus, eam iterum per Legatos à Guntramo Childeberti patruo

Cassiod. l. 3. var. epist. 48.

INGENVIN SABION. EPISC. CAPTIVOS LIBERAT.

Paul. l. 3. c. 32.

Aimo: Franc. l. 3. c. 83.

Paul. l. 3. c. 35.

An. Ch. DXCII. Avtharis veneno perit.

truo expetijt; sed, priusquam ea in Gallia confici potuit, Autharis Ticini è vitâ abijt, veneno, dubium quo propinante, sublatus; Nonæ Septembres illi fatales fuerunt, cùm Sexennium regnasset.

IX.

Paul. l. 3. c. 36. Aimon. l. 3. c. 80.

Theodelinda Agilvlphvm maritvm et regem salvtat.

Theodelinda præmaturè orbata viro dignitatem retinuit: nam regias dotes omnes animo corporéque complexa, tantam sui venerationem apud Langobardos collegerat, vt cùm ad Interregnum res redijsset, optimates jus suffragij vltro omnes illi remiserint; quemcumque ipsa maritum optasset, eum Regem habituri. Agilulphum illa legit, Agonem aliquibus dictũ, Taurinatium Ducem, eundémq; Authari cognatum, quo meliorem digniorémque neque viri reperissent; cui fatis Regnum deberi, divinus ille, quisquis fuit, interpres fulminis, haud vanè ariolatus est. Locum nuptijs celebrandis Regina Laumellum constituit; eò Agilulphum rei omnis ignarum evocavit; quem cùm familiari colloquio aliquãdiu tenuisset, prælibatum poculum eidem porrexit. Ibi cùm Agilulphus ptopinantis dextram officioso osculo carperet, Erras Agilulphe,

Regina

Regina inquit; nam, nisi per te stat, os non manum suaviabere, maritus meus, & Rex; & cum dicto virum amplexa consilij sui participem fecit. Nuptiæ mensis Novembris initio adornatæ; Majo deinde sequenti, Mediolani in publico procerum conventu Agilulphus Rex inauguratus est. Sigonius ex Mediolanensibus Annalibus prodidit, Agilulpho à Theodelinda coronam auream ferreo circulo firmatam impositam esse; ab eoque tempore, coronæ ferreæ nomen & vsum, inter insignia Regum Italię invaluisse. At enim Theodelinda thoro Regnoque dignatum, multo etiam majore beneficio beavit, quando omni precum genere eo tandem maritum impulit, vt repudiatâ Ariana impietate, in Catholicorum castris, sub melioribus signis vivere & mori vellet. Quod consilium & privatim Agilulpho, & toti deinceps Genti salutare, aditum ad beatam æternitatem aperuit. Adorare interim Divinæ Mentis Sapientiam libet, quæ, abundante viris sanctissimis Italiâ, maximi pulcherrimiq; facti ducem fæminam legit, vt eâ potissimùm interprete, Religionem

AN. DXC. *secundum Sigonium.*

Paul. l. 4. c. 6.

THEODELINDA MARITVM ET LANGOB. GENTEM AD VERAM FIDEM TRADVCIT.

gionem ſinceram & candidam, quâ majus dare nihil Cœlum poteſt, Langobardorum Rex, & populus addiſceret; & Arium peſtem orbis terrarum mulier triumpharet, digna, quæ inter Divas Heroides in prima acie locata, Magiſtra Pietatis, nomine Apoſtolis digno conſalutetur; quamquam id jam tertium intra vnum ſeculum Deus exemplum ediderat, Francis per Crotildem, Gothis per Ingundem, Langobardis per Theodelindam, ad meliora Sacra, à ſuperſtitione vel hæreſi traductis. Sed nos non vnum hoc decus Genti BOICÆ gratulamur; quando & Pannonios, ſuo loco, per Giſelam Henrici Pij Imperatoris ſororem, ad Deum attractos commemorabimus: quin & nos ipſi, noſtro ævo, ſupparem Theodelindæ Viraginem, eiuſdem ſanguinis, vidimus, cuius auſpicatiſſimis nuptijs, eandem jacturam Lutherus paſſus eſt, quam in Italia Arius fecit; vt proinde in prima parte BOICÆ felicitatis cenſeri poſſit, ex illa Gente Principes Sponſas, in dote regia, Fidem, Pietatémque, gemmas rariſſimas, ſed domi noſtræ natas numerare, iíſque ſponſos,

ſos, totáſq; , in quas enubunt, Provincias locupletare. Agilulphus inter primas regni curas, pacis à Francis impetrandæ causâ, Evinum Tridentinum Ducem, qui Theodelindæ ſororem olim duxerat, in Galliam miſit; Agnellum eiuſdem vrbis Epiſcopum comitem addidit, ad captivos, quos, ſuperiore anno, ex agro Tridentino Franci abduxerant, in libertatem vindicandos. Vterque voti compos rediјt, Brunechilde Regina Childeberti Regis matre, Epiſcopi ſtudia adjuvante, cujus opibus multi mortales redempti ſunt. Jam illud Italiæ vniverſæ, imò pijs omnibus lætum jucundúmque accidit, quòd Theodelindâ Religionis cauſam pro viribus agente, reſpirare Dei Eccleſia, & magnis augeri incrementis cœpit; quæ priorum Regum afflicta tyrannide, ſacris ædibus expilatis, oppreſsíſque Antiſtitibus, inter lacrymas & ſuſpiria miſerabile ævum jam diu traxerat. Prima luctus ſqualorémque Theodelinda deterſit, maritóque auctor fuit, vt, quam nuper Religionem profitendam ſuſcepiſſet, eandem ornaret, & excoleret; quód ille, Vxori piè obſecutus, liberaliter præſti-

Paul. l. 4. c. 1. Aimoin. l. 3. c. 85.

RELIGIO IN ITALIA THEODELINDÆ STVDIIS REFLORESCIT.

Paul. l. 4. c. 6.

tit; eòque primùm tempore, Langobardorum manibus, quas eousque ipsa templa formidaverant, restaurata Christiana res meliorem formam induit. Præerat ea tempestate Ecclesię vniversæ Gregorius, quo nemo vnquam justiùs Magni cognomentum accepit: is mirificè delectatus, efferam Gentem, vnius fæminæ magisterio, ad pietatis non modò sensum, sed & cultum mansuescere, sui erga optimam Reginam affectus publicum extare monumentum voluit, & quos de Italicorum Patrum vita & virtutibus libros, Dialogorum formâ, conscripsit, velut bonæ mentis speculum, ad eandem misit; quos quidem etiam posteris, vel Gregorij, vel Theodelindæ nomine, vel suopte precio, par est esse commendatiores. Cùm currenti eâ ratione Pontifex calcar addidisset, sub idem ferè tempus, tres Episcopi, pravis sutelis, sed quæ ad fallendum proxima via est, pietatis fuco oblitis, Reginæ gravissimè imposuerunt. Laurentio Mediolanensi Episcopo vita functo Constantius successerat, vir apprimè Catholicus; qui cùm tria quædam Capita, in quinta Synodo Constantino-poli-

Paul. l. 4. c. 5.
S. GREG. M. THEODELINDÆ REGINÆ DIALOGOS SVOS DICAT.

politanâ, inducta rejectáque, & sacro Pontificum ore pridem proscripta, suo etiam calculo damnaret, tres Episcopos ea in re adversarios habuit, qui innocentem virum, cum meliore orbis parte, ipsáque Petri Sede consentientem, impietatis impij ipsi accusarunt; &, ne mendacio fulcrum deesset, autoritatẽ Chalcedonensis Concilij ab eo violatam vociferati sunt; phaleratísque dictis Theodelindæ animum minimè malè cogitantis ita occuparunt, vt Constantium palàm abominaretur. Gregorius, vt gliscẽti malo in tempore medicinam faceret, Hippolytum Notarium, & Joannem Abbatem ad Reginam amandavit, qui fraudulentas delirantium Episcoporum machinationes everterent. Supersunt hodiéque soliciti Pontificis ad Reginam literæ, plenæ paterni affectus; in quibus illud ad commendandas egregias Theodelindæ virtutes insigniter valet, quod argumenti etiam loco, ad continendam in officio Reginam, à Gregorió ijs in literis, in hæc verba positum est: Superest, vt " vos nũquam à Catholicæ Ecclesiæ com- " munione separetis, ne tot vestræ lacrymę "

GREGOR. THEODELINDAM IN FIDE CONFIRMAT.

Greg.l.3.ep.4.

„ tantáque bona opera pereant, si à fide
„ vera inveniantur aliena.

X. ANNO quingentesimo nonagesimo quinto, Evinus Garibaldi BOIORVM quondam Regis gener, Dux Tridentinus, est mortuus. Idem annus felici BOIORVM expeditione, Thassilonis Regis auspicijs, in Slavos susceptâ est, nobilitatus. Primi Slavorum disertè Procopius Cæsariensis, & Jornandes meminere; è Sarmatia, & Trans-Istranis regionibus, Justiniano imperante, in Illyricum, aliásque Romani juris provincias irrupisse, ijsdem auctoribus constat: eósque, hoc ipso tempore, Gregorius M. lamentatur, per Istriç aditum Italiæ incubuisse; vt creditu facile sit, eos Noricum, qua parte ad Adriaticum sinum vergit, infestos carpsisse: Hos igitur Thassilo bello aggressus vicit, insignémque victoriæ fructum, maximá omnis generis partâ prædâ, tulit. Anno proximè insequēte, Childebertum Francorum Regem diem vltimum obijsse, Baronius ostendit; quamquam ad initium vsq; septimi seculi, vitam illius nonnulli producūt. Hic Theodorici Regis vestigia insistens, editas ab

An. Chr. DXCV.
Paul. l. 4. c. 11.
Thassilo Slavos bello vincit.
Paul. 4. c. 1.
Herm.
Sigebert.
lib. 8. epist. 36.
Childebertus Rex Franc. secundus Boiorum legislator.

eodem Boiorvm leges interpolavit; quæque ille, propter vetustam Paganorum consuetudinem (vt Dagobertus Rex in prologo loquitur) emendare non potuit, ea efficere hic ipse aggressus est; sed in magni conatu operis, sive morte interpellante, sive desperatione successus, quòd neque dum purgata superstitionibus Boiaria esset, defecit. Nonagesimo nono, post quingentesimum, anno, tandem pax longis calidísque Gregorij Pont. votis exoptata, inter Langobardos & Romanos, Theodelinda maximè conciliatrice, constituta est; quo felici nuncio accepto, Pontifex exquisitissimis verbis Reginæ gratulatus est; illam tot gladios cōdidisse, obstruxisse fontes humani sanguinis, totâ Italiâ erupturos, & vnâ eadémque operâ duos populos sibi devinxisse; vitam illi omnes debere, quicunque mortem timuissent; pergeret modò communis parentis haud paulò pulchrius, quàm Reginæ, nomen mereri; quæque apud exasperatos animos odiorum vulnera medicâ manu tam doctè tractasset, nunc etiam malè sanis cicatricibus mederetur; darétq; hoc integrum

An. Chr. dxcix.

Pax inter Rom. et Langob: conciliatrice Theodel. facta.

Greg. lib. 7. ep. 42.

patriæ gaudium, ne brevium potiùs in-duciarum, quàm æternæ fundatrix pacis, inter publicos plausus salutaretur. Theodelinda nihil antiqui⁹ habuit, quàm Pōtifici obsequi: & certè, si eadē Callinico, qui pro Imperatore Mauritio, Exarchi nomine, Italiam administrabat, fides fuisset, quæ Agilulpho, respirare fessa malis suis potuisset Italia. Sed ille prior ferrum strinxit, Parmâq; primo impetu expugnatâ, Godescalcum Regis Agilulphi generum Ducem, vnà cum Regis filia, comprehendit, & captivos Ravennam deduxit. Agilulphus domestica clade, & violati fœderis injuriâ accensus, bellum multò maiore, quàm antehac, vi reparavit, Fortunâ etiam illi parti æquiore, vbi causa melior stabat. Arsit eo tumultu Pataviū; mons Silicis vi captus; vix æstuaria miseros cives ab vltimo exitio defenderunt, serò lamentantes, Langobardorum ferrum flammámque in suam perniciem esse provocata. Hæc anno sexcētesimo primo facta, cùm priore, Boii, qui iterum in Slavos, ad duo millia ducti fuerant, hosti jam aliàs victo pares futuri, aut etiam superiores, improviso Ca-

Ea scelere Exarchi iterum rumpitur.

An. Ch. dc. Boii ab Hunnis cæsi. Paul. l. 4. c. 11.

cani

cani Hunnorum Regis acceſſu, ad internecionem cæſi omnes eſſent. Interim ardente bellis Italia, Theódelinda pacis ſtudijs intenta, illuſtre opus moliri cœpit. Moguntiacum oppidum duodecim paſſuum millibus Mediolano diſſitum, mutato nomine Modoëciam appellatũ, cæli clementiâ, & ſoli amœnitate invitata, regiâ & templo illuſtravit. Regia ipſa nobili manu depicta; argumentum Langobardorum res geſtæ præbuere. Templum nomini & tutelæ D. Joannis Baptiſtæ conſecravit; eodem ſupellectilem ſacram omnis generis auream argenteámque intulit; &, quod præ vtroque metallo Celo charum fuit, Gentem Langobardorum vniverſam eidem Divo obligavit: votum ſanctiſſimè conceptum eſt, Quotannis ad VIII. Kal. Julias, quæ Divo natales fuere, aram ipſius, donis, pro ſuis quemque facultatibus, cumulaturum; ſi Langobardorum res privatæ publicæque, eo propitio atque patrocinante, domi militiæque facilem curſum optabilémque tenuiſſent. Vota pondus habuere, neque ſpem clientum optimus patronus fefellit; donec procedentibus

Paul. l. 4. c. 12.

THEODEL: MODOECIÆ REGIAM ET TEMPLVM MOLITVR.

PIVM THEODELINDÆ VOTVM D. IO. BAPT. FACTVM.

Lib. 5. c. 6.

annis Religio elanguit, & Sacræ Ædis procuratione ad impuros profanósque homines devolutâ, Divus ipse Langobardorum causam visus est deseruisse: id quod insigni prodigio firmatũ est, quod Paulus in hunc modum narrat: Post annos, à templo dicato, sexaginta, Imperator Orientis Constans, vt Langobardos possessione Italiæ deijceret, cum classe Tarentum appulit. Sed antequam signa explicaret, virum eximia sanctitate, & Deo plenum, super eventu belli consuluit; is, celebrato inter preces pervigilio, constanter respondet, nunc quidem Langobardos vinci, Deo cordi non esse; Cœlum Divosque pro ipsis stare; Baptistam apud æternum Numen nimium posse, cujus fidei Gentem omnem Regina extera devoverit; sub illius dextra invictos tam diu fore, donec suæ pietatis Langobardos piguisset. Vaticinio fides tandem excidio Gentis adstructa est, cùm felix simul & pia esse desijt; magno etiam ipsa posteris documento futura, animam Regnorum omnium Pietatem esse, neque vllum, hac expirante, diu stetisse; quod ipsum Theodelindæ multò

antè

antè meditatum prævisúmque: hinc, vt cœpta à se Religio æterna esset, tabulis publicis donaria sua consignavit, Dirarum etiam obnunciatione adjecta, si quē malus animus ad evertenda pietatis suæ monimenta olim impulisset, hanc enim votivæ formulæ clausulam apposuit; si quis, quolibet tempore, hanc testem » voluntatis suæ corrupisset, in Judicij » extremi die, cum Juda proditore dam- » nandum. Theodelinda paulò pòst insi- » gnem Pietatis suæ fructum cepit, masculæ prolis mater effecta, cui ADALVALDI nomen in fonte lustrico impositum, ex quo illum Secundus Tridentinus Antistes, rara sanctitate doctrináque vir levavit. Gregorius officij sui credidit, hoc gaudium Reginæ per epistolam gratulari, cujus partem hoc loco duximus inserendam; Scripta, quæ ad nos dudum à » Ianuensibus partibus transmisistis, gau- » dij vestri nos fecere participes; propterea » quòd, Omnipotentis Dei gratiâ, & filium » vobis donatum, & quod valde Excellen- » tiæ vestræ est laudabile, Catholicæ eum » Fidei novimus sociatum. Nec enim » de Christianitate vestra aliud creden- »

ADALVALDVS THEODEL. F. NASCITVR.

Greg.l.12.ep.7

„ dum, nisi id studere vos, vt, quem Divi-
„ no munere suscepistis, Catholicæ recti-
„ tudinis auxilio muniretis; vt & Redem-
„ ptor noster familiarem te suam famulam
„ cognosceret, & Langobardorum Genti
„ novum Regem in timore suo feliciter
„ enutriret. Vnde oramus Omnipoten-
„ tem Deum, vt & vos in mandatorum
„ suorum via custodiat, & eundem excel-
„ lentissimum filium nostrum Adulavval-
„ dum in suo faciat amore proficere: qua-
„ tenus sicut hîc inter homines jam ma-
„ gnus est, sic quoque ex bonis actibus an-
„ te Deum sit gloriosus. Literis etiam A-
pophoreta adjecta digna Magni Pontifi-
„ cis Sanctitate. Excellentissimo autem fi-
„ lio nostro Adulavvaldo Regi transmit-
„ tere phylacteria curavimus, id est, Cru-
„ cem cum ligno sanctæ Crucis Domini,
„ & lectionem sancti Evangelij theca Per-
„ sica inclusam. Filiæ quoque meæ, soro-
„ ri ejus, tres annulos transmisi, duos cum
„ hyacinthis, & vnum cum albula; quæ eis
„ per vos peto dari, vt apud eos nostra cha-
„ ritas ex vestra Excellentia condiatur. Pa-
„ terna præterea charitate persolventes
„ salutationis officium, petimus, vt Excel-
lentis-

lentiſſimo filio noſtro Conjugi veſtro, ,,
pro nobis de facta pace gratias referatis, ,,
atque ejus animum, ſicut conſueviſtis, ,,
ad pacem de futuro per omnia provoce- ,,
tis, quatenus mercedem populi inno- ,,
centis, qui in ſcandalo perire poterat, ,,
ante conſpectum Dei, inter multa bona ,,
quæ agitis, invenire poſſitis. ,,

Atque hæc epiſtolarum Gregorij ad Theodelindam poſtrema fuit; proximo *An. DCIV.* enim anno, ſidus hoc Pontificum orbi ſubductum eſt, menſe Martio: Julius inſequens Langobardis omnium lætiſſimus illuxit; eo enim menſe Adalvvaldus Theodelindæ F. in circo Mediolanenſi, patre inaugurante, Regis etiam Francorum Theodeberti Legatis præſentibus, ſumma populi voluntate, cùm alterum ætatis annum nuper admodum ingreſſus eſſet, Rex ſalutatus, & regio diademate inſignitus eſt: firmandi etiam cum Francorum Gente, fœderis causâ, Theodeberti filia, infanti regulo deſpōſa, gaudium duplicavit. Altum interim de rebus BOICIS ſilentium vſque ad Thaſſilonis obitum, cui tamen certum annum aſſignare difficile; conjecturæ à Paulo

ADALVALDVS THEODEL. F. REX LANGOB. SALVTATVR.

Paul. l. 4. c. 3.

Paul. l. 4. c. 41

Paulo suppeditatæ eò ducunt, vt post decimum Septimi sæculi annum, fato videatur obijsse: Successorem habuit GARIBALDVM, aliū sine dubio à Theodelindæ patre; quamquam aliqui hunc in solium reponunt, nimirum ab exilio, imò sepulchro extractum. Paulus Diaconus disertè Thassilonis filiū nominat, cui nos, ex Gisulphi Forojuliensis Ducis filiabus conjugem fuisse, ea ratione persuademur, quòd Paulus vnam de quatuor, BOIORVM Principi desponsam fuisse retulit; quod, præterquam Garibaldo, convenire nulli posse, ordo temporum penè convincit. Verùm nulla properatio Viraginis hujus, sororúmq; trium virtutem involvi silentio patitur. Gisulpho Patre ab Hunnis occiso, Romilda mater cum Langobardorum reliquijs & filijs quatuor, totidémque filiabus, Forojuliensem vrbem tuendam suscepit; & fortasse audacia successum habuisset, si constantia adfuisset: verùm detestabilis fœmina, cui cum hoste odijs armísque pugnandum fuerat, amore illius victa est. Nam Cacanum Hunnorum Regem mœnibus obequitantem con-

THASSILONI BOIORVM PRINCIPI GARIBALDVS F. SVCCEDIT.
Paul. l. 4. c. 38.

GARIBALDI CONIVGIS INSIGNIS CASTIMONIA.
Paul. l. 4. c. 38.

conſpicata, formáque illius accenſa, animum in poteſtate non habuit. Nuncium extemplo miſit, qui quæreret, quid cō-tra fœminam vir armatus veniſſet? ſive ſe, ſive ſua vellet, & vrbem & thorum inermi patere; & lætum compendium belli poſſe inter genialia fœdera fieri; conderet modò ferrum, & hoſtiles ignes cum face Nuptiali mutaret; pulchrius ipſi futurum, ſi Forum Iulij, & quidquid Giſulphi antè fuiſſet, dote, quàm gladio caperet. Cacanus impotentiam mulieris deteſtatus, conditionem tamen acceptare ſe finxit; patentibúsq; portis Vrbem ingreſſus, omnia illic immanis ingenij exempla edidit. Romilda tamen ardente patriâ, & cædibus exhauſtâ, qualem meruit maritum accepit: eadem die innuptæ nuptiæ factæ ſunt, noctem vnam duraturæ; quâ peractâ, quaſi fœderis fidem Cacanus vel expleſſet, vel eluſiſſet certè, vexatam ludibrijs palo affixit. Filij quatuor fugâ ſalutem invenerunt; filiæ in illis ipſis ædibus, quas magiſtra libidinum mater flagitio ſuo defœdaverat, novo exemplo, & ante illum diem inaudito, Pudicitiæ litarunt; nam cùm id vnum metue-

metuerent, ne servis corporibus barbarorum petulantia illuderet, crudas pullorum carnes, strophio, quo papillas substrinxerant, abdidere: eæ calore solutæ & putiscentes, cùm tormentum naribus crearent, hircosi illi proprium id vitium corporis rati, ab omni etiam nequiore tactu abstinuere, vulgóque probri causa jactatum, Langobardas neque puram quidem animam habere. At enim Castitas neque inter rosas meliùs habitasset, suámque libertatem bonis illis avibus, quantumvis graveolentibus, acceptam retulit. Quatuor sororum, duo nomina extant, Appæ & Gailæ; reliqua interierunt; quæ proinde, quia proprio non possunt, communi Castitatis & Pudicitiæ nomine triumphabunt. Vna igitur harũ Garibaldo denupsit, vicémq; Italia BOIARIÆ reddidit, cùm pro Theodelinda hanc illi Heroidem submisit.

Paul. l.4.c.41

GARIBALDVS BIS CVM SLAVIS ACIE CONGRESSVS.

Quæ illius in BOICA deinceps fortuna fuerit, vti & Garibaldi mariti, literis silentibus, ignoratur: vnicum Paulus Diaconus oblivioni exemit; is narrat, Slavos irruptione in Noricum facta, Garibaldum obvium habuisse, ad Aguntum oppi-

oppidum; id jam olim Plinio, Ptolemæo, & Antonino nominatum, Tiroli hodie accenſum, in Doblaci, aut Innichij appellationem tranſijt: & Garibaldus tum quidem pugnâ inferior fuit; ſed cùm hoſtes ſucceſſu elati prædas impotentiùs agerent, fortunam iteratò tentavit, & prioris pugnæ dedecore abolito, prædam hoſtibus excuſſit, finibúsq; cedere coëgit. Anno decimo quarto aut quinto, GVNDVALDVS BOIVS Theodelindæ Fr. mortuus eſt; remanſerat hic cũ ſorore in Italia, Aſtensē apud Ligures Ducatum nactus, liberis etiam auctus, Gundoberto, & Ariperto, qui poſtea Langobardorum Rex ſalutatus eſt. Mors illi miſera obtigit, cùm ſagittâ incerto auctore miſsâ ictus eſſet. Fredegarius tamen Scholaſticus, qui Gregorij Turonenſis Hiſtoriam appendice extendit, Agilulphum & Theodelindam in hujus ſuſpicionem ſceleris vocat; Nam cùm Gundoaldus, vt popularior, Langobardorum animos occupaſſet, illiſque benevolentibus vteretur, invidiam ex amore contraxit; hanc ſecum rationem putante Agilulpho, non diu ſe regnaturum, ſi quē alium

AN. CH. DCXIV.
Paul. l. 4. c. 43
GVNDOALDI THEODEL. FRATRIS FORTVNA ET OBITVS.

alium regnare populus maluisset; facilè pro eo, qui omnium oculis atq; sinu ferretur, etiam manus aliquid ausuras; Gundoaldum Regem fore, simul atque Rex esse voluisset; quem verò tanti aut tantilli animi esse, vt cùm possit, nolit? miserrimam Regni tutelam, alienam modestiam esse; quæ si in audaciam erumpat, ipse perieris: ergo precariò imperare se, donec Gundoaldo aliud videretur: occupare igitur Regni æmulum insidijs statuit, eúmque, dum alvum levat, fatali sagitta confixit. Hæc verè an falsò, de morte Gundoaldi, Fredegarius retulerit, ambiguum; Theodelindæ quidem moribus & ingenio validè refutantur, vt minimè consentanea ijs, quorum GregoriusM. prȩco fuit, quæ in hac causa pro præjudicio valere debent; quamquam exempla non desunt, neque deerunt vllo ævò, donec mali mores, id est nostri, durabunt, testatura, quanto Imperij cupiditas affectibus omnibus sit flagrantior, etiam ijs, quos natura ingeneravit; ita non modò virtutes, sed etiam humanitatis sensum in hominibus extinguit: verùm nos rem incertam in medio relinquimus:

quimus: Agilulpho non diuturna deinceps vita fuit. Sigonius quidem in eundem annum vtriusque funus conjicit: viginti quinque annos regnasse, ex Paulo certum est; sed Scriptores, qui circa Regni ingressum diversa incesserunt via, neque in vitæ illius meta conveniunt: Nos hîc abjungimus, felicissima tempora, quæ BOIARIÆ posthac divinitus obtigerunt, novo libro explicaturi.

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER QVINTVS.

Breviarium.

I. BOiis *via ad Cælum aperta, D. Ruperti manu, qui à Theodone Garibaldi II. Successore in* BOICAM *accersitus, Principē Gentemque* BOIORVM *Christi disciplinâ imbuit; Salisburgi sedem Pontificiam statuit; D. Maximiliano Aedem, Cælestibus prodigijs monitus, aliáque Templa plura passim erigit; Duodecim Viros cum Erendrude Nepte sua, è patria, in partem pij laboris messisque accersit; Cælo ipse maturus defungitur.*

II. *Per eadem ferè tempora etiam Eu-*

stasius

stasius Luxoviensis Abbas, Theodelindæ, uti creditur, suasu, BOICAM *cum fructu excoluit; curisque domesticis in Galliam revocatus, vicariam optimorum Virorum manum pro se submisit; quibus etiam Agrestinus homo nauci, nullo operæpretio, se junxit.*

Theodelinda bis vidua, cum Adalualdo Filio, Langobardis imperat: eo, ex veneni haustu, delirante, Gundeberga Theodelindæ Filia, cum Arioaldo Marito, ad regnum vocatur; quæ cùm maternis vestigijs insisteret, falsò insidiarum marito structarũ, ab impuro homine accusata, custodiæ mancipatur; at, causâ duello permissâ, innocens ostenditur. III.

Dagobertus Francorum Rex Leges BOICAS *vulgat. Chrodoaldum Bojum favore regio in aliorum perniciem abusum neci dat. Bulgaros sedibus suis pulsos in* BOICA *collocat, unáque nocte interimi omnes jubet. Gundeberga* IV.

à Rothari altero marito ignominiosè habita, Francorum Regis Patrocinio, libertati & honori pristino restituitur.

V. *D. Emmeranus expleto in* BOICA *inter pietatis studia & Magisteria triennio, ab Vta Theodonis Filia Stupri falsò accusatus, inauditæ Crudelitatis exēplo, membratim conciditur, splendidè à Numine vindicatus.*

VI. *Aripertus Gundoaldi* BOII *Filius Langobardorum Regnum adit, ídque duobus filijs moriens relinquit, infausto consilio & exitu; nam Gundebertus paulò pòst scelere suo, solio & vita excidit. Partharitus Tragicis jactatus casibus, post ingentes ærumnas, & mutata sæpius exilia, regnum divinitus recuperat, & ad Cunibertum Filium transmittit.*

VII. *Cunibertus ab Alahi Tyranno regno exuitur: restitutus, bello ab eodem appetitur: in quo divinis humanísq; auxiliis, rari vtrisque exempli, victor evadit.*

Con-

Conceptum meditatúmque ab eodem in perfidos ſupplicium inaudito indicio evulgatur.

D. Marinus à Slavis in BOICA *occiſus cœlum triumphans ſubit, Aniano laborum ſocio comitante. Luitpertus Cuniberti Filius regno pulſus, demum etiam ab Ariperto occiditur; quem Ansprandus Luitberti Tutor collectis in* BOICA *copijs, regno exturbat; cujus Filius Luitprandus Guntrudam Theodeberti* BOIORVM *Ducis Filiam ſibi jungit. Theodone Theodeberti Filio imperante, Corbinianus in* BOICAM *venit; iterúmque Grimoaldo Theodonis F. rerum potito; cum cujus moribus, & impia conjuge diu conflictatus ſanctiſſimus vir, etiam capitis diſcrimen adijt. Evitatis fugâ inſidijs, Deo innocentiam vindicante, ab Hugiberto Principe revocatus ſanctiſſimè moritur.* VIII.

Iacturam illius morte factam D. Bonifa- IX.

nifacius sarcit; quẽ VVilibaldus, VVunebaldus, Sebaldus, VValpurga, alijq; in BOICAM *secuti, suis eam Virtutibus implevere: Bonifacius ex ea Hæreticos & Impostores profligat. Quatuor Diœceses statuit, Vtilone Principe auxiliante; qui ob Hiltrudem Caroli Martelli Filiã sibi despõsam, gravi Provinciam bello involvit; ex quo expeditus etiam Eistadiani Episcopatus initia egregiè promovet.*

X. *B. Sturmio Nobilis* BOIVS *Fuldense Cænobium erigit: Ejusmodi Religiosa Domicilia, Vtilone principatum gerente, complura in* BOICA *surrexere, DD. Pirminio, Altone, Lullo,* Bonifacio, *aliisque divinis viris auctoribus. Interim etiam D. Virgilius* BOICAM *suis Virtutibus illustrat, quæ Griphonis Tyrannide aliquamdiu vexata, Pipino vindice, iterum respirat, qui Thassilonẽ Vtilonis Filium adhuc impuberem* BOICÆ *Principem inaugurat.*

Simul-

Simultas inter DD. Bonifacium & Virgilium nascitur & sopitur: DD. Erardus & Albertus nova luce BOICAM *irradiant. D. Bonifacium pietatis causâ cæsum Sturmio Fuldæ sepelit: eodem D. Aegil nobilis* BOIVS *concedit. Thaßilo, Bello Ticinensi, castra Pipini sequitur; eidem sacramentum Fidei dicit, à qua tamen paulò pòst, palàm desciscit.* XI.

D. Virgilius Salisburg. Episcopus Carantanos Christo aggregat; cùm ij priùs BOIIS *adjutoribus, à Slavorum impotenti Dominio sese vindicassent, & in Francorum Clientelam concessissent.* XII.

Carolus M. per Sturmionem Legatum Thaßilonem ad reparandum fœdus invitat. Thaßilo Dingolvingæ Comitia celebrat, & novas leges sancit. Sturmio Saxonibus Christi jura interpretatur. Thaßilo Gunthero F. ab Apro lacerato, ad Chrembsam nobile Monasterium erigit; itemque plura paßim per BOICAM XIII.

vel inchoat vel amplificat. D. Valentinum Passavio, D. Corbinianum Frisingæ reddit.

XIV. *Luitburga Desiderij Langob. Regis Filia Thaßiloni Marito rebellionis faces admovet; ea aliquoties, magno* BOICÆ *malo, inflammata, in improba & infelicia bella exarsit; quæ subinde sopita, iterúmque furiosiùs resumpta, ipsius tandem exauthoratione extincta sunt. Thaßilo in Laurishaimensi Monasterio attonsus reliquum ævi sanctiùs exegit, in eóque, & Theodone Filio, Agilolfingorum gloria, qui* BOICÆ *à Theodone Primo præfuere, exspiravit.* BOICA *deinceps Carolo M. & posteris ejus paruit.*

GESTA SVNT HÆC ab Anno CHRISTI ſexcenteſimo decimo ſexto, vſque ad ſeptingenteſimum octogeſimum octavum.

CENTESIMVM annum BOII, à sua in Vindeliciam & Noricum immigratione, excesserant, cum suâ alienáque fortunâ, inter miras rerum vicissitudines, quæ perpetua hominum sors est, ita luctati, vt nunquam non eluctarentur; quin, si animus fuisset, lætorum tristiúmque, quorum vtrinque multa inciderant, calculos dinumerare, nihil dubitem, candidorum abunde futurum. Et mihi quidem hoc palmarium, illo pugnacissimo ævo, quo arma pro Jure valuerunt, partam semel possessionem, sine diminutione, tot hostibus circumsessos tueri valuisse. Inter ipsa penè primordia regni, exorti Hunni; additi deinceps his quantumvis infestissimis nihilo mitiores Slavi; illi ab Oriente sole, hi à meridie magnis furoribus BOIORVM gloriæ imminentes; semper tamen repressi, vt Respub. nihil gravius ab ijs pateretur. Langobardi ne hostium numerum augerent, quò ipsos ingenij ferocia facilè tractura videbatur, mollissima ratione deliniti, Theodelindâ submissâ, quæ Suada non modò humanita-

tis jura & cultum instillavit armatis, sed sanctioris multò fœderis cum Deo & pietate ineundi, rogando alternis, suadendóque, prima ipsa & sola interpres fuit; eo officio, etsi id vnicum extaret, nobilitatura patriam suam, & proprios annales merita. Franci, quorum ea tempestate nomen ingens, & potentia, quotidianis incrementis, vsque ad Imperium occidentis, quod tandem in Carolo Magno nacti sunt, crescebat, cùm multis metuenda populis arma circumferrent, cum BOIIS etiam collisi, victoria ita moderatè vsi sunt, vt præter Leges, quibus molliores neque suo sibi arbitrio BOII condidissent, durius nihil imponerent; ea ipsa re non minùs bene de Gente BOICA meriti, quàm de Romanis Athenæ, dum Principi populo Leges & Jura sua describenda commodarunt. In eundem modum, si cætera prioris seculi facta, superiore libro annotata, ad examen voces, felix fortunatúmque fuisse pronuncies; vt neque ominis in venturos annos indè petiti nos possit pœnitere; vnum, idémque immortale bonum Genti negatum, vel dilatum potiùs in

BOII QVAM DIV A CHRISTI LEGIBVS ALIENI.

hæc

hæc tempora fuit, quæ deinceps enarraturi ſumus.

Imbuti adhuc vana ſuperſtitione animi, Deum, divináque pariter ignorabant. Nam etſi jam olim per eximios Sanctitate Viros, quos ſuo loco nominavimus, Chriſtiana Sacra in Vindeliciam, & Noricum importata, latéque propagata publicè privatímque culta fuerant, BOII tamen, cùm ex Nariſcis patrios ritus, Deósque à majoribus acceptos ſecum attuliſſent, tanto pertinaciùs eoſdem tuendos, ornandósque putarunt, quanto lætiores ſuarum rerum ſucceſſus videbant, quos ſuperſtitioſi æquè, ac religioſi Dijs imputant, pietatíſque ſuæ non modò fructum, ſed & argumentum exiſtimant. Anteceſſerant etiam BOIORVM in has provincias ingreſſum iniquiſſima Religioni tempora; cùm, volantibus vndique barbarorum gladijs, ſacri prophaníque illæſum immotúmque nihil conſiſteret, vt oppreſſa pietas non modò ſplendorem, ſed ipſam propè animam amitteret; & ſanè poſt Severinum, qui Noricorum Apoſtolus dictus eſt, minimo minus abfuit, quin L.

ipſæ

ipsæ etiam scintillæ Religionis extinguerentur; vt BOIIS provinciâ vtraque potitis nihil ferme reliquum esset, quod vel oculos invitare, vel rudes animos ad Christum posset pellicere. Iam Magistrorum pietatis, quique silvescentia rura colerent, ingens penuria; vnum propè Fortunatum Pictavorum postea Episcopum nominare habeo, qui BOIIS hîc imperantibus Noricum & Vindeliciam adierit, non figendi inter illos domicilij causâ, sed cùm voti reus ad D. Martini ossa veneranda in Galliam properaret, Dravum Norici, Oenum Breonum, Lycum BAIOARIÆ, Danubium Alemanniæ (sic enim iter suum fluminibus distinxit) tranasse se fatetur, paulò ante Langobardorum in Italiam adventum. Reliquorum, si qui præterea in BOICA latuerunt, qualis ex Reginoburgensibus Fastis Lupus quidam Episcopus producitur, & fama in obscuro est, & vestigia vetustate jam olim extrita: Ex Legibus Dagoberti, quibus certiores tabulas ad rem præsentem nemo requirat, aliàs palàm fecimus, neque Theodoricum Regem, neq; Childebertum Leges suas perferre quivisse,

Fortun. ep. ad Gregor.

viſſe, propter vetuſtiſſimam Paganorum conſuetudinem nimis altis radicibus apud BOIOS ſubnixam: quam Clotharius demum perrupit, is ſcilicet, qui ſæculi hujus trigeſimo primo anno mortuus eſt; quo tempore jam BOIARIA, cum Principe ſuo, ſub Chriſti ſignis militabat. Nimirum ita Deo cæli viſum, ne qua Lex apud BOIOS prior & antiquior eſſet, Divinâ; hæc, vt eſt omnis juris fons & ſcaturigo, viam facere Legum rivulis debuit; & impatiens ferè alterius imperij animus eſt, qui Deo nondum paret: debebatur tamen, ſingulari fato, Franciæ, vt indè potiſſimùm Divina, humanáque Lex in BOIARIAM importaretur. Hanc Reges condiderunt; illius præco & interpres RVPERTVS fuit, etiã ipſe Regij ſanguinis, vt qui genus ad Franciæ Reges, & Scotiæ Maioris, ſive Hiberniæ Duces referret. Hic ſub Childeberto, qui ſecundus hoc nomine apud Francos Rex fuit, Vangionum, qui Wormatienſes hodie ſunt, Epiſcopus, cùm inſigni ſanctitate & doctrina bonorum omnium amorem collegiſſet, improborum odia evitare non potuit. Eorum dux & anteſignanus

D. RVPERTVS VANGIONVM EPISCOPVS.

gnanus Beringerus Comes Regius fuit, Bercharius alijs dictus, vel Arianarum partium studio, vel, quod ab alijs traditum est, Christiani nominis odio, Ruperto iniquissimus: nam in ea vsque tempora vanissimæ superstitionis reliquias in Francia perdurasse, testimonio Grego-

AN. DXCVII. rij M. literæ sunt, quas, paucis ante Childeberti mortem annis, ad Brunechildem eiusdem matrem dedit; ex quibus intelligas, fuisse etiam tunc idolorum cultores, quæque vetustissima Gallorum pariter, atque Germanorum insania fuit, Numen inesse silvis, arboribúsque credidisse, neque à cruentis sacrificijs, quæ de ferarum capitibus fierent, abhorruisse; quo minùs incredibile videri debet, eousque impios illos furore provectos, vt innocentissimum virum virgis, servili infamíque supplicio laceratum vrbe exigerent: verùm Deus magno exuli, & cum eo proscriptæ virtuti domicilium apud Boios parabat, iterum, quod mireris, fœminæ operâ in maxima re vsus. Garibaldo Secundo THEODO Tertius sive filius, sive quo alio jure hæres successerat, cui, ex Regum Francorum sanguine, Re-

THEODO GARIBALDI II. IN PRINCIPATV BOICÆ SVCCESSOR.

gino-

ginotrudis, annalium noſtrorum fide, vel Childeberti, vel Theodeberti filia nupta fuit; quæ cùm Chriſtianam pietatem cum lacte imbibiſſet, eiuſdem æſtimandæ, amplectendǽque marito auctor fuit; cuius dicta cùm Theodo in animum demiſiſſet, Divinæ Legis interpretem circumſpicienti Rupertus occurrit, ſive vxore ſuggerente, quæ virum noſſe potuit, imò debuit, vt ſanguine junctum, ſive illum potiùs ſangvis inter flagra fuſus, &, cui nunquam diu latere licuit, virtus prodidit. Certè hic vnus ante omnes, Legatione miſsâ, in BOICAM invitatur; nec defuit Principis votis Rupertus, Legatíſque diſcedentibus Sacerdotes comites addidit, quos ipſe paulò pòſt eſt ſubſecutus. Veniente Theodo, Reginoburgi, tanquam hominem Cœlo lapſum, venerabundus excepit, & de Deo diviníſque rebus diſputantem æquiſſimis auribus animíſq; audivit, Legíſque noſtræ Sanctitate perſpectâ, volens, lubénſq; veritati manus dedit; quem Rupertus ſacro admotum fonti piacularibus aquis luſtravit: exemplum Principis proceres magno numero,

D. RVPERTVS IN BOICAM ACCERSITVR.

THEODONEM SACRO FONTE ABLVIT.

ro, & è populo integri greges secuti sunt. Annum, quo Cœli Jus BOICA nacta est, Annales domestici sexcentesimum decimum sextum notarunt; etsi Aventinus, vt omnia perverteret, ad superiores Theodones, à quorum obitu annos propè octoginta numeravimus, tantæ felicitatis initia retulit, eo argumento, quòd tum quoque Childebertus Clodovæi filius Francis imperaret; at enim illum nosse oportuit, ad hunc Vangiones, qui à Mediomatricibus seu Metensibus jura petebant, minimè pertinuisse, vt cui in Regni sortitione Parisij obtigerant; ex quo capite, illius in D. Ruperti Vangionũ Episcopi Historia nominandi, causa nulla fuit. Jam in Arnonis Salisburgensium, Caroli M. ætate, Pontificis indice, quo Principum BOIORVM in illam Ecclesiam liberalitatem complexus est, Theodonis Filius & Nepos disertè nominantur, vt omnis, hac certissimâ notâ, exempta sit dubitatio; quamquam Aventinus vt hunc scopulum salvus prænavigaret, etiam superiori Theodoni, omnibus invitis, ipsóque inscio patre, filium hunc, quem nos postea productu-

ri ſumus cognominem, adoptavit; obli-tus tamen eſt, nepotem commentitium aſſuere, quem, vt ſuam fulciret fabulam, ſaltem conſtantiæ causâ, filio debuit ſubjungere, ne nos Arnonis teſtimonio ipſius nugas convellere poſſemus. Quod verò ex quibuſdam ſchedis Salisburgenſibus, quas Henricus Caniſius publicavit, affertur, S. Rupertum à magno Hiberniæ Apoſtolo Patricio ſalutaribus aquis tinctum, & ab eodem literis Eccleſiaſticis imbutum fuiſſe, apertè vanum eſt, & propriâ Auctoris, cui id excidit, ſpongiâ abſtergitur; nam ille idem Ruperti mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum vigeſimum tertium conjicit, quo vel Rupertum Neſtorem facit, vel ipſe in ratione temporum ſupputanda puer eſt: nam Patricium, qui Ruperto magiſter datur, diu ante quingenteſimum annum ad Cœlum abijſſe, magnis teſtibus compertum eſt; vt pudorem perdidiſſe neceſſe ſit, qui ſeculum integrum, cum tã locuplete auctario prioribus Ruperti annis adjiciat. Sed nos ad ordinem narrationis revertámur. Optabat Theodo, vt cæleſtis lucis radij, cuius

Tom. 6. antiq. lect. p. 1107.

RVPERTVS LEGEM CHRISTI TOTA BOICA EXPLICAT.

se compotem Rupertus fecerat, quàm latissimè diffunderentur; navem ergo adornat, quæ Rupertum, secundo Danubio, in inferiorem vsque Pannoniam devexit; qui facundo ore, potentíque manu, maiora homine vbique loquens patránsque, omnes in sui admirationem, plurimos etiam ad veri amorem rapuit. Laureaci præsertim operę precium factũ, vbi florens quondam Christiana res miserè conciderat, cui in pristinum locum restituendæ impigrè insudavit. à Norico Ripensi in Mediterraneũ digressus, quocunque pedem intulit, beatas opes plena manu in indigenas sparsit, pióq; cum inanibus Dijs suscepto bello, vbique victricia Christi signa erexit. Theodo successu delectatus, vt æterna ea Genti suæ bona faceret, optare locum stabili sacrorum domicilio Rupertum jussit. Juvavia in id delecta, Romanorum olim Colonia, quam barbari flamma, ferróque, vti aliàs à me dictum, non vexaverunt tantùm, sed penè abstulerũt, vt nulla veteris monumenta splendoris, plurima injuriarum superessent. Eum locum Rupertus, magnâ omnium volũtate, repurgare aggressus,

IVVAVIÆ SEDEM PONTIFICIAM STATVIT.

ſuis, ſacris profaníſque ædificijs excoluit; Templum & Cœnobium Deo & D. Petro dicavit, ſacríſq; hominibus habitandum tradidit; Theodo ornandum ſuſcepit, lætis vectigalibus, lautis prædijs, paſcuis, vineis, aquis piſculentis, ſalinarum fornacibus liberaliter eò contributis: quarum rerum omnium cùm accurata deſcriptio ab Arnone Epiſcopo, & quodam S. Eberhardi itidem Saliſburgenſis Antiſtitis diſcipulo facta ſuperſit, indicium feciſſe ſatis fuit. Vrbis reparatæ vetus nomen in novum Saliſburgi tranſijt, quod vnicũ firmamentũ eſt opinantium, hoc tempore ſalinas repertas, debile ſine dubio, & deſtitutum literarum fulcro; etſi nihil à conſuetudine ſua Deus alienum fecit, ſi naſcenti in BOIARIA pietati hoc nobile condimentum aſperſit, Rupertíque precibus, qui Sal terræ, vt Sacra noſtra loquuntur, fuit, hos fontes aperuit; ſed tantæ rei affirmandæ certius aliquid famâ requiro; præter ſalis venas etiam altera illecebra mõtes illos celebres reddidit: aurum indè eruebatur, fatale Naturæ bonum, nunquam ſatis altè defoſſum; ne ſcilicet minore periculo quæra-

Tom. 2. & 6. Antiq. lect. Caniſij.

Diſcipulum S. Eberhardi ſecutus ſum. t. 6. Caniſ. pag. 1149. qui hæc fuſius proſecutus eſt, quàm Arno, aut Auctor vitæ apud Surium tom. 2. 27. Martij.

D. MAXIMILIANI ÆDIS PRIMORDIA.

tur, quàm poſſideatur; Fortè tamen ita evenit, vt dum avaritia ibi occupatur, theſaurus alter contra aurum charus cæleſtibus indicijs proderetur: E familia Divi Ruperti Tonazanus quidam, itémque alius inter ſervitia Principis, Ledi nomine, dum montem cædunt, illuſtrari tenebras miro lumine, non ſine horrore aſpexerunt; odor etiam naribus affundebatur exoticus, & prorſus divinioris originis. Rem illi tribus noctibus notatam ad Rupertum deferunt; is vt certiora cognoſceret, Domningum probatis moribus ſacerdotẽ eodem amandavit, Crucem etiam ſolenni prece dedicatã, quam in loco depangeret, ferendam dedit; qui cùm congruentia omnia primæ famæ repeřiſſet, nobilem cæleſtibus prodigijs locum Cruce addita ſanctiorem facit, tuguriolum etiam molitus tumultuario opere, qualemcunque Ædiculam Sacro Ligno circumdedit. Miraculi novitate tandem etiam Theodo permotus, Ruperto poteſtatem fecit ſacrorum hominum coloniam deducendi, & locum plenum Deo frequentãdi. Verùm ipſe, dum maximè fervet opus, fatis conceſſit, multa

THEODONIS OBITVS.

ta

ta priùs Theodebertum filium monens, obtestánsque, in tuenda pietatis causa suum exemplum æmularetur, imò vinceret etiam: Rupertum parentis loco coleret; nam se quidem breve Imperium ipsi transcribere, & cum eo mille curas; ab illo autem vtrique jus impertitum melioris Regni, ad quod ferrum non pertingat, aliáque quæ mortales vel patiuntur, vel timent: ea tamen ipsa, Virtute, quā Armis, interim meliùs propulsatum; hac proinde niteretur certissimâ vnicâq; Regnorum omnium tutelâ; hanc se optimam partem hæreditatis illi relinquere ad posteros transmittendam; hac melius nihil Principes liberis, sed neque Deum quidem hominibus dare posse. THEODEBERTVS hæc mandata patris vltima in primis curis habuit; novitium Ruperti opus, insigni liberalitate ipse præsens prosecutus, tria millia passuum quaquaversum descripta D. Maximiliano, cui sacrata ædes fuit, & Religiosis incolis attribuit. Æmulati pietatem Principis sunt Ledi & Vrso germani fratres, opésque suas, & quidquid proventuum ex villa Albina illis rediret, Monasterio

THEODEBERTVS PRINCIPATVM A PIETATE AVSPICATVR.

donarunt: Wernharium & Dulcissimum nepotes suos Ruperto in disciplinã tradidere; qui tamen postea & ingenio, & Ruperti humanitate in perniciem cœnobij abusi sunt. Graviora eidem damna à Slavis deinceps illata, quorum furore fugati incolæ; locus ipse in pristinã propè vastitatem, & solitudinem est relapsus. Rupertus interim, cùm efflorescentem latè, per regionem omnem, pietatis segetem, neque se vnum cum pauculis, quos laboris socios adduxerat, tantæ spei parem videret; cùm annos insuper suos jam Cælo maturos computaret; ne, fato interpellante, benè cœpta destituerentur, iter laboriosum, sed BOIARIÆ vtilissimum suscipit; regressúsque in patriã, duodecim viros sacris ad rem præsentem armis, id est virtute, doctrinâq; instructissimos (ex quibus facilè principes Chunialdus & Giselarius fuerunt) cúmque ijs neptem suam Erendrudem excivit; nimirum vt magnæ virtutis in vtroque sexu illustria exempla extarẽt, quibus haud paulò efficaciùs mortalium animi permoventur, quàm verbis; Ergo quemadmodum virorum cætus ab inanium re-

RVPERTVS SOCIOS SIBI PII LABORIS ADSCISCIT.

rum

rum strepitu semotos collegerat, qui vnam optimámque rem agerent, Deo & sibi vacaturi; ita, ne fæminis in eadem bonæ mentis palęstra dux deesset aut magistra, Erendrudem insigni Parthenoni præfecit, qui hodiéq; Nonnarum mons appellatur, quod nomen ignotum Latinis Christiana antiquitas Deo sacratis fœminis virtutis ergo imposuit. Theodebertus Princeps in eo loco ornando locupletandóque, cum parentis sui munificentia certavit. Tabulæ donationum testes hodiéque supersunt, in quibus, vti & in Theodonis, Romanorum cœnobijs emancipatorum non vna mentio; qio nomine veteres incolas eorúmque posteros intelligas, qui subactâ à BOIIS Vindeliciâ & Norico, patriæ charitatem libertati anteposuerunt, novísque dominis obnoxij in ijs provincijs remanserunt. Porrò auxiliari illa duodecim virìm manu Rupertus, in lustranda BOIARIA omni, egregiè vsus est; neque enim, dum vita superfuit, quidquam antiquius habuit, quàm vt totum impietatis regnum everteret; eóque ipse, locis omnibus, quantum fieri poterat, per se inspe-

ctis, non ſuæ modò ſanctitatis veſtigia ijs impreſſit, vt olim vrbes, & oppida, quinimo vici etiã, magno illo hoſpite gloriari poſſet; ſed tantum vbiq; Chriſtiani ſedulitate magiſterij profecit, vt in totâ penè BOIÇA Pietas caput attolleret; cui collocandæ, ſine dubio paſſim ſacræ ædes, per ea tempora, erectæ, dicatæque. Sed nihil jam ab illo ævo illuſtrius Oetingenſi Deiparæ templo, itémque altero, quod Ratisponæ viſitur eidem Divæ ſacrum, quorum vtrumque adorandæ rubiginis, & præſenti plenum Numine, eo etiam plus venerationis obtinuit, quòd vulgò creditur, ſpolia hæc eſſe proſtratæ ſuperſtitionis, & inanibus erepta Dijs, vni Deo, & magnæ Matri ceſſiſſe, monimentum æternæ memoriæ, ne vnquam excidere poſteris poſſit immortale Dei Rupertique in has terras beneficium. Sed & Weltenburgum, vetus, quod conſtat, Monaſterium, initia ſua ad D. Rupertum refert; nobis annoſam opinionem convellere animus non eſt: At enim in Syllabo, quo perpetua Præſulum ſeries, indè ab anno quingenteſimo octogeſimo quo quidem Rupertus in BOIARIA nondum

OETINGANVM DEI MATRIS SACRARIVM.

dum pedem posuerat, texitur, ad tantam rem comprobandam nego satis virium esse. Rupertus tandem maturus ævi, re Christiana, quo maximè optabat loco constitutâ, finem vivendi fecit; fati sui ex divino oraculo adeò certus, vt diem amicis ediceret; inter quorum lachrymas, serenus ipse, Vitalem sibi subrogavit eo loco dignissimum, & oneri suffecturum, rebúsque omnibus ad iter æternitatis ritè procuratis, ad diem condictum, qui Christo redivivo Sacer, in VI. Kal. Apriles inciderat, animam cælestem Cælo reddidit. Funus rarâ pompâ, dispari affectu, â mortalibus, Immortalibúsque celebratum: Illi gemitus & lacrymas desiderio viri expressas tumulo affudere: Beati Genij festo carmine luctum castigarunt, vel certè temperarunt; veste etiam à nostris diversi; nam candidati comparuere, omnino vt ad triumphum; quem quidem Rupertus tunc cœpit nunquam finiendum, Boicâ cælestes illi honores gratulante, non modò vt felicitatis suæ parenti, sed eiusdem etiam perpetuæ tutelæ. Quæ anni fatalis certissima nota esse debuit, ea ipsa Scripto-

D. Rvperti beata mors.

rum animos in diſcordes ſententias traxit: & vetus Scriptor, S. Eberhardi Salisburgenſis Archiepiſcopi diſcipulus, qui Ruperti res geſtas, anno M. C. LXXXVI compoſuit, litem illam ſub Iudice, ſuo etiam ævo pependiſſe affirmat. at enim cùm conſtet, ab anno quingenteſimo quadrageſimo quinto, ad ſeptingenteſimum ſextum vſque, bis duntaxat VI. Kal. Martij Chriſti Reſurgentis memoriam actam, ſexcenteſimo ſcilicet vigeſimo tertio, & vigeſimo octavo; alterutrò obijſſe Rupertum certum eſt, & poſteriore quidem certius, quod ijs juxtà mecum videbitur, qui tantis rebus efficiendis ipſos etiam duodecim annos ſuffeciſſe mirabuntur.

II. D. EVSTASII IN BOICAM ADVENTVS. *Vitam illius Ionas Scotus ſcripſit, & extat apud Surium & Bedam.*

In eadem tempora, quæ pius Ruperti labor nobilitavit, etiam Euſtaſij Luxovienſis in Gallia Abbatis adventus in BOICAM incidit. Eadem vtrique cauſa, & virtus per omnia par; ſed Euſtaſij fama obſcurior, eóque accuratiùs præconium meretur, paulóque altiùs repetitum. Tribus, ante Rupertj in BOICAM adventum, annis, Columbanus incomparabilis vir, quem ſui ſeculi Eliam voces, odijs Brune-

Brunechildis & Theoderici Regis proſcriptus, ex Gallia in Alemanniam conceſſit, & ad Brigantinum lacum conſedit: Illic morantem cupido inceſſit barbaræ Gentis ad Deum & noſtra Sacra adducendæ; & quia Slavorum inſignis immanitas omnium ore tunc ferebatur, ex illa potiſſimùm Gente optabat triumphum ducere; ſi ſudor fruſtra eſſet, ſanguine illum meriturus: ſed hanc provinciam jam ſortito Deus interceſſit, cœleſti Genio ſubmiſſo, qui radio circumſcriptùm in brevi tabella orbem, ſectúmque in provincias, quomodo Geometræ id hodie faciunt, Columbano oſtendit, &, ecce, inquit, quoquo oculos vertas, ‘ vaſtitatem vides virtutum; dextrorſum, ‘ aut lævorſum, quò te pes feret, contende; ‘ totus Mundus tibi pro Circo patet; ‘ non tam bene cum rebus humanis agitur, ‘ vt Slavos tantùm putes egere culturæ. ‘ Senſit Columbanus aliò ſe vocari; pérque proximas Alpes in Italiam deſcendit; quem Agilulphus Rex, & Theodelinda conjux, vt tanta virtus merebatur, omni officiorum genere ſunt proſecuti: Bobienſis etiam Monaſterij condēdi po-

COLVMBANVS A THEODELINDA HONORIFICE EXCIPITVR.

di poteſtatem vltro fecerunt; quo in loco commorantem Clotarius, qui ea tempeſtate ſolus apud Francos rerum potiebatur, ſubmiſſo hoc ipſo, quem ſuprà nominavimus, Euſtaſio, in Galliam revocat. Erat hic Burgundio Gente, domi nobilis, ſed Columbani ſanctitate permotus, eidem ſe olim tradiderat excolendum, tantúmque, eo magiſtro, profecerat, vt is vnum hunc, ex omni aſſeclarum grege, Luxovienſis Cænobij præfecturâ dignũ judicârit. Euſtaſius cùm Columbanum Bobij conveniſſet, reditum quidem illi non perſuaſit, ipſemet tamen, Columbano faces admovente, explicandæ Divinæ Legis, apud ignaras Gentes, deſiderio exarſit: BOII potiſſimùm animo deſtinati; neque difficilis conjectura eſt, quo auctore id conſilium ſuſceptum fuerit. Nam cùm Columbanus Theodelinda familiariſſimè vteretur, quis credat, piiſſimam fæminam; cui Gentis ſuæ ſalus quàm maximè cordi eſſet, patriam ſuam, ſuóſque BOIOS Columbano vel Euſtaſio etiam non eniχiſſimè commendaſſe? cujus auctoritate motus Euſtaſius deinceps in BOICAM venerit, eodem pe-
nè

nè cum D. Ruperto tempore; nam si Baronius in annorum subducenda ratione non fallitur, dum Agrestinum, de quo mox dicturi sumus, sexcentesimo decimo septimo anno, in BOIARIAM immittit, vno minimùm Eustasius illum anteverterit necesse est: quòd si Sigonio assentiri malumus, qui Agrestini adventum in vigesimum primum annum differt, illud tamen indubitatum est, vtrumque, adhuc in humanis agente Ruperto, in BOIARIA fuisse commoratum: Et Eustasij quidem opera vtibilis inprimis fuit; insignes manipulos in Ecclesiæ horrea convexit; sive plena & intacta ea messis fuit, quod verius puto, sive Ruperti vestigijs alicubi insistens, hoc tam locuples, post illius industriam, spicilegium reperit. Sed cùm illum domestica cura à cœpto opere revocaret, vicariam manũ præstantium virorum submisit, qui spem illam occasionémque gnaviter vrgerent. Degebat in illius cœtu etiam Agrestinus, homo vanus, confidens, linguâ immodicus, qui ex Theoderici Regis Notario Monachi vestem colorémque, non item animum assumpserat, magna interim omnia

AGRESTINVS PSEVDOMONACHVS IN BOIARIA SINE FRVCTV VERSATVR.

omnia ſpirans, pietatis religioniſque propagandæ magiſterium affectabat, malus in illum vſque diem diſcipulus. Omnia egit Euſtaſius, non imperio modò, ſed conſilio etiam, imò precibus, vt temerario homini eam mentem eriperet; expenderet vires ſuas, & aliquod inter ſacras profanáſque literas, quas ſolas pingere olim conſueſſet, diſcrimen ſtatueret; ſecum habitaret, & bene vixiſſe ſe crederet, ſi bene latuiſſet. Sed inſanabile erat Agreſtini ingenium; neque contineri potuit, quin ſine auſpicijs, nullo pignore authoratus, in BOIARIAM, extemporalis Fidei Doctor erumperet: ſed optimæ mercis gratia, proprio peſſimi inſtitoris vitio, eviluit; nam cùm plura doceret linguâ, quam vitâ, nec, quæ faciẽda dicebat, faciendo probaret, intempeſtivis auſis excidit, operâ & impensâ perditâ. Ille vbi circumforaneam loquacitatem in BOIARIA contemni vidit, Aquilejam digreſſus, vt famam vel ex ſcelere colligeret, factioſorum hominum, qui ab Eccleſia Romana transfugerant, partes tuendas ſuſcepit; &, ne fruſtra ſibi facundus videretur, infelicem venalémque

que linguam bonorum convitio exercere instititit, in totum Columbani gregem, & sanctissimas vivendi Leges ab illo latas impotēter debacchatus, donec illi silentium impacta securis imposuit: atrocem mortem causa fœdiorem fecit; violati alieni thori injuriam familiaris servulus sic vltus ferebatur. Nos primis Rei Christianæ apud BOIOS initijs explicatis, ad Theodelindam, cui partem tanti boni deberi credimus, in Italiam revertamur.

III. THEODELINDA CVM ADALVALDO F. LANGOBARDIS IMPERAT.

Illa jam secundo orba marito, permittentibus Langobardis, cum Adalvaldo filio Genti Jura dabat ita feliciter, vt neque hujus ætas, neque alterius sexus quidquam de majestate regia detraxerint: Nam Theodelindæ maximæ virtutes pro viribus erant; hinc illi non authoritas modò, sed & veneratio: bellorum, vivente ipsa, deinceps nihil fuit; sed, quod ferè fit, armis silentibus, etiam literæ conticuerunt: pacis pietatísque studia, quæ illi vnicè cordi, Paulus Diaconus tribus verbis enarrare satis habuit: neque mortis obitæ annus in fastos venit: filius suis calamitatibus nobilitatus est, post decennium regno pulsus, jam mor-

ADALVALDO FVRIALE POCVLVM PROPINATVM. *Fredeg. c. 49. Aimoin. lib. 4. cap. 10.*

mortua, vti credimus, matre: Græcis artibus, fraude Eusebij cujusdam eversus est. Is Legatus ab Heraclio Imperatore Orientis missus, muneris sui oblitus, ex Legato latro effectus est. Insinuarat se in quàm maximè familiarē vsum, fictis obsequijs, cúmque vnus omnia posset, Regi de balneo quondam egredienti, lautò, vnctóque poculum furiale propinavit; quo hausto, labefacta mente, nihil deinceps pro sano egit: &, quod miserrimum in furore fuit, illum ipsum mali hujus autorem pro amicissimo complexus, rerum omnium arbitrum, & vnicum consiliarium habuit. Ille jam manifestè delirantis animum facilè in extrema omnia præcipitavit; conjurationes falsas, structas in Regis caput insidias, & tristia omnia, etiam sanis prudentibúsque timenda, & nunquam serò credita, amenti perpetuò occinens, & identidem assentando, indignandóque vicem ejus, effecit, vt duodecim Langobardorum proceres de medio tolli imperârit. Atrox exemplum reliqui ad se pertinere rati, potiùs quàm ipsi extrema paterentur, furiosum illum, neque Regem jam, sed Ty-

tran-

rannum potestate regia exuunt, Arioaldo Taurinatium Duce in ejus locum subrogato, cui Gundeberga Theodelindæ filia, Adalvaldi soror matrimonio copulata erat; id factum anno Christi DC. XXVI. Honorius Pontifex pro restitutione Adalvaldi multum laboravit, nullo successu; qui tertio tandem anno, Sigeberto teste, vi lentè grassantis veneni, suisq; ærumnis confectus interijt. Gundeberga Regis soror, jam & ipsa Regina, materno provocata exemplo, Ioanni Baptistæ Langobardicæ Gentis tutelari Divo, Ticini, quæ Papia hodie dicitur, insigne Templum struxit, & liberalissimè ornavit. Mores reliqui tam probi, vt viva honestatis imago haberetur, coleretúrque, digna prorsus Theodelindâ matre filia. Sed debuit posteris etiam profuturum ex tanto virtutum apparatu exemplum prodi, quod triumphis pudicitiæ, quales jam plures descripsimus, adjiceretur. Adalulphus quidā nobili apud Langobardos genere natus, inter Regios asseclas aliquando Reginæ se oculis ingesserat; quæ hominem conspicata, formam illius, habitúmque corporis comiter & humaniter

Arioaldus Gundebergæ Theodol. F. maritus, Rex Langob.

Herman. & Baron. hoc anno.

Gundebergæ pietas.

Paul. l. 4. c. 49

Aimoin. l. 4. c. 10. & 20.

Fredegic. 51.

humanè commendavit: id Adalulphus aliorsum interpretatus, ausus est pudicissimam fœminam de stupro appellare: Regina impurum nebulonem neque responso quidem dignata, spurcum proci os sputo consignavit. Ille non tam infamiâ repulsæ, quàm maioris supplicij metu perculsus, immanem calumniam in innocentem confinxit; Regem adit, & compertas sibi in caput illius insidias mentitur; earum artificem Gundebergam nominat; Ratonem sive Rassonem Hetruriæ Ducē illi in amoribus esse; jam nuptias adornari; jam pro dote Regnum & mariti caput desponsum; jam in eius perniciem lethale poculum præsenti veneno temperatum. Quò atrocior calumnia fuit, eò faciliùs fidem reperit, vtique illo deferente, cui minimè necesse videbatur mentiri, quémq; à suspicione fraudis, illustre genus vindicabat. Regina innocens, indictâ causâ, custodiæ in Amelli arce tradita, triste triennium inter ærumnas exegit. Tum demum Clotharius Francorum Rex facti indignitate motus, per Legatos cum Arioaldo expostulat de injuria, quæ ad Reges etiam Francos pertineret,

GVNDEBERGA FALSÒ ACCVSATA CVSTODIÆ TRADITVR.

CLOTHARIVS FRANC. REX, ILLIVS PATROCINIVM SVSCIPIT.

tineret; Gundebergam illis sanguine adnexam, vinculis, multóque graviùs infamiâ turpissimi sceleris premi; vno accusante, latam sententiam, quasi de vilissimo capite; nihil illi Reginæ, nihil Conjugis nomen profuisse; neque Legum saltem beneficio vti ei concessum, quod etiam privatis vix tyranni negent; an ideò dictum esse, non scriptas Principibus Leges, ne illorum damnationi breves judicij moræ obsistant, quas jura etiam parricidis indulgeant? solos ergo Reges sine patrono, sine judice perire, satísque magnam pereundi causam esse, accusari. Rex vt invidiam, qua conflagrabat, extingueret, negabat judicio suo crudelitatem, sed ne severitatem quidem admixtam: conjugem molitam vitæ suæ insidias in custodiam se dedisse, neque tam vindictæ suæ, quàm securitati consuluisse: an neque hoc quidem Regibus licere? at enim Reginam damnatam vno tantum deferente? quali verò viro? qui Regnum etiam sine scelere vel sperare posset, vel mereri. Enimvero Superis se gratias habere, quòd vel vni suorum integra fides & charum domini caput fuerit:

rit: quamquam cùm de veneno cogitatur, vt non multis manibus opus sit, sic etiam conſcientiam eſſe paucorum; ad temperandum fatale poculum, vnam fœminam ſatis fortem eſſe; ergòne tunc denique fidem adhibendam Adalulpho fuiſſe, cùm veneno inter viſcera recepto, mori ſe ex tormẽtis, fugiente anima, ſenſiſſet? tum quidem miſeram Principum conditionem fore, ſi illis de conjuratione comperta non credatur, niſi morientibus, aut occiſis. Cùm res exitum non inveniret, Anſoaldus è Legatis vnus, ab illa verborum dimicatione, rem ad ferrum deducendam cenſuit. Ille rudis ævi mos fuit, Martem, quàm Leges, judicem malle; & plus ferro, quàm cauſidicorum eloquentiæ credere: malam cauſam lingua & oratione bonam poſſe fieri dicebant; gladium pulcherrimè lites decidere; in foro, diſertiorem vincere, in arena, jure potiorem, eundem etiam fortiorem eſſe. Nulli minùs conditio illa, quàm Adalulpho placuit, quem malus animus & conſcientia ſceleris pridem occulto vulnere jugulaverant. Sed cùm detrectandi copia non eſſet, vires, quas ex ſce-

lesta causa non poterat, ex desperatione DVELLO
sumpsit, Ariperto Gundoaldi Theode- INNOCENS
lindæ fratris filio pro innocentia Reginæ PROBATVR
ferro decernendi partes datæ; is vicariū, ET ABSOL-
quod duelli leges permittebant, in are- VITVR.
nam immisit, cum Pittonem Franci vocant; Paulus Carello nomen fecit, qui rem totā non sub Arioaldo, sed Rodoaldo gestam præposterè narravit. Certaminis is exitus fuit, quem causa merebatur, Adalulphus morte sua Reginam absolvit; quam de custodia eductam Arioaldus deinceps maritali affectu coluit. Clotharius, cui liberatæ Gundebergæ gloria debetur, paulò pòst, ipso scilicet sexcentesimo trigesimo primo anno, vitā excessit; qui post Theodericum & Childebertum Reges, BOICIS Legibus condendis, *In Prolog. Dagoberti.*
emendandísque, tertius operam impendit.

IV.

SVCCESSOREM habuit Dagobertum filium; qui cùm, vivente adhuc patre, regno admotus Austrasianis imperaret, multum Chrodoaldi operâ vtebatur; is cùm Agilolfingus genere à Fredegario *Fredeg.c.52.*
dicatur, manifestè ad BOIOS pertinet, CHRODOALDI BOII IM-
quibus ex hoc sanguine perpetui Princi- POTENTIA.

pes fuere. Hic Arnulphi Metensium Episcopi, & Pipini Landisij suffragatione Regi conciliatus, & ad magna honoratáque ministeria perductus, suam fortunam ferre non potuit, in aliorum injuriam, suámque perniciem illâ abusus. Impotentia animi & avaræ manus primùm invisum populo, deinde etiam Regi reddidere; vt ille paulò antè omnibus metuendus, nunc invicem omnes metueret, vsque ad vitæ & salutis desperationem adactus; cui vt aliquà consuleret, ad Clotharium profugit, Patre deprecatore apud filium vsurus. Ille causam suscepit; & visus est Dagobertus Parentis honori, & precibus illum concessisse; nam & publicè hæc illius vox excepta est, si maleficia benefactis sarciret, eâdem operâ gratiam redintegraturum: dare se illi non modò ad pœnitentiam, sed etiam ad amicitiam regressum. Id dictum Chrodoaldus securitatis suæ pignus accepit, & cum Dagoberto, Treviros, posito metu, profectus, pro Regij cubiculi foribus incautus, Rege jubente, occiditur; sive soporata ira illius aspectu recruduit, sive bonita-

Aimoin. l. 4. c. 11.

nitatem Regis inimicorum acerbitas vicit. Sic Chrodoaldus, quod rebus integris discere supersederat, ijsdem ruentibus docuit, quàm reverenter habenda Fortuna esset, maximè cùm nimis inclarescens alienos oculos ad invidiam amburit. Eiusdem Dagoberti anno IX, regnandi cupiditas, vetus bellorum causa, Bulgaros & Avares inter se collisit: nam, cùm mortuo Rege, res ad Interregnum redijsset, vtrisque Imperij decus magnâ ambitione ad se rapientibus, à comitijs ad arma decursum est, & pro suffragijs funera fuere: Bulgari victi Regnum simul & patriam amiserunt. XIII millia virorum Pannoniâ expulsi, novásque sedes quærere coacti, cùm amicum toto orbe haberent neminem, ad Francos capitales hostes suos confugiunt, tecta laréquery; ab ipsis petitum, vltimæ necessitatis extremo cōsilio, etiam vbi nihil sperarent, nihil desperandum rati. Dagobertus inter ancipitia consilia ambiguus, supplices in BOICA tantisper subsistere iussit, donec certius aliquid statuisset; ibi per hybernacula dispersi distractíque, repētè crudeli Regis mandato, quale olim Mi-

Fredeg. c. 72. Aimoin. l. 4. c. 24.

A.CH. DCXLI.

BVLGARI BOIORVM HOSPITIO VSI, AB IIS IVSSV DAGOBERTI OCCIDVNTVR.

thridatis in Romanos fuit, vna nocte, ab ipsismet hospitibus suis, jugulãtur: lanienam vnus è Bulgaris Alticeus effugit, qui septingentorum coacta manu, exiles illas Gentis suæ reliquias ad Venedos subduxit. HVGIBERTVM Theodeberti filium circa hæc tempora BOIOS rexisse, vt argumenta alia desint, Arno certum facit, qui locupletatam ab ipso, Patris, & Avi exemplo, Salisburgẽsem Ecclesiam scripsit; reliqua illius gesta interierunt: quanquam satius multò est, vnam pietatis religionísque, quàm bellicarum virtutum, triumphorúmque ad posteros famam extendere; atque hujus Hugiberti potiùs, quàm Grimoaldi cujusdam Campaniæ & BOIARIÆ Ducis filiam Plectrudem Pipini Heristalli conjugem faciant necesse est, qui illam Boico sanguini insertúm eunt; quando in Pipini diplomate, quod S. Willibrordi Cœnobio dedit, expresse Hugiberti filia dicitur. Huic sanctæ gloriosæ & illustri fœminæ (his enim illam encomijs Marcellinus, qui vitam S. Willibrordi scripsit, cohonestat) D. Stephani Protomartyris Ædes primaria apud Bataven-

HVGIBERTVS BOIORVM PRINCEPS.

Arno in Annot. de Theodiberto locutus subjungit. Successor namq; Filius eius Huchbertus Dux, &c. *in antiquis Lect. H. Ca.*

ses

ſes originem ſuam tranſcribit, ejúſque rei monimentum illic olim videre fuit, ipſiuſmet Plectrudis imaginem, cum hac epigraphe, Plectrudis Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Sed hæc certis teſtimonijs antiquitatis non ſubnixa non vrgemus: Illud indubitatum, hoc tandẽ tempore, BOIІCIS Legibus vltimam à Dagoberto manum impoſitam; ad quas, vti & aliarum Gentium leges condendas, quatuor illuſtrium virorum operâ vſus eſt, Claudij, Chadi, Indomagi, & Agilulfi; quorum vltimum Agilolfingum fuiſſe, vel ex vocis flexu conijcias; quemadmodum & Merovei, & deinceps Caroli poſteri, Merovingi & Carolingi dicti ſunt. Nos Leges ipſas, quia longiuſculæ ſunt, & paſſim in manibus habentur, vel ijs, quibus editæ ſunt verbis, huc tranſcribere, vel noſtris invertere, ſupervacuum duximus. Gundeberga interim Arioaldo conjuge mortuo, cùm eandẽ, quam olim Theodelinda mater, apud Langobardos auctoritatem magnis virtutibus collegiſſet, mariti Regíſque optandi ab ijsdem poteſtate accepta, Rothari Harodo nupſit,

PLECTRUDIS D. STEPHANI M. ÆDEM PASSAV: CONDIT.

Hund. & Schrttovin. in Catal. Batav.

BOIORUM LEGES A DAGOBERTO VULGATÆ.

Fredegar. c. 70.

GUNDEBERGA ROTHARI NUBIT INFELICITER.

maximis viris comparando, nisi Arrij erroribus inquinatus, malè de Filio Dei sensisset. Eum Gundeberga, prioris calamitatis memor sacramento adigit, meliore in se animo, quàm Arioaldum futurum; Regnum se ad ipsum afferre, nihil præter constantem amorem reposcere. Rotharis omnia largè pollicitus, fidem, donec aliter visum est, coluit; cùm se fortuna, cujus ipsum Gundeberga compotem fecerat, animo superfudisset, ne cuiquam mortalium etiam benevolẽtiam deberet, Reginam ex oculis amotam, Palatij Ticinensis cubiculo, id est honesto carcere clausit, etiam præsentiam illius non sustinens, cujus vel tacentis aspectus beneficium exprobraret, & dotem ab ingrato reposceret: At enim Gundeberga vbi ijs se natam fatis vidit, ne vnquam in conjugio felix esset, pectus Christiana patientiâ obarmat, eodémq; animo iterum collapsæ fortunæ jugum passa est, quo olim tridentis fastigium tulerat. Famæ illius neque hic jam alter carcer quidquam detrivit; sed miraculo etiam viris fuit fæmina ita viriliter cum calamitatibus suis colluctata: & jam quin-

PVBLICO ARCETVR.

quinquennalia sua inter angustias & incommoda egerat, cùm è Francia Aubedo Legatus supervenit, sive à Dagoberto, quod ratio temporum exposcere videtur, sive illo mortuo, à Clodovæo missus, quod fieri potuit, & factum Fredegarius scripsit. Hic, vbi Gundebergæ pro gratia odium redditum intellexit, indignitate motus, Rotharim, Regis etiam Franci nomine interposito, officij commonefacit; palàm propemodum factum repetitis injurijs, ait, Langobardos sedulò ea agere, quæ Francis doleant, & virorum iras per contumelias fœminarum acuere; à duobus Regibus cognatã Francorum Gundebergam indignis modis vexatam esse; & alterum quidem honestum facinori suo pallium oppandisse, suspicionem propinati veneni; Rotharim autem neque ficto crimine læsum, illius innocentiam quinquennali carcere plectere, quæ nihil vnquam gravius peccarit, quàm quòd tam ingratum Regno, & conjugio sit dignata: Non jam duorum hominum duello rem tantam commissum iri, sed puro, pióque bello, Francos ærumnas Reginæ vindicaturos. Movit oratio

REGIS FRANCI PATROCINIO LIBERATVR CVSTODIA.

oratio Regem, vt Vxorem publico, & omnem pristinæ fortunæ apparatum eidem redderet; per omnia Divorum templa, non sine triumphi specie, quem sanè exercita duris virtus merebatur, circumductam bona deinceps fide coluit. Rotharis mortem Sigebertus in sexcentesimum quadragesimum sextum conijcit, quo ipso anno Vitalis, secundus à D. Ruperto Salisburg. Episcopus, ad Cœlum abijt; vivus mortuúsque miranda patravit; morbos nulla ope humana superabiles pio solóque suspirio pellere solitus: ægris obvijs salutem cùm precaretur, dedit etiam; vnáque illa familiari voce elapsos distortósque in pravum artus integravit, cæcísque diem reduxit. Ne condito tumulatóque ver & flores deessent, è medio sacri cadaveris corde lilium procrevit, viventis etiam post funera virtutis, & innocentiæ index: ex quo tempore ægrorum vota, quæ ad illius vrnam plurima concipiebantur, nunquam fefellit, eóque venerationem publicam meritus, proxima post Rupertum BOIARIÆ tutela multis seculis habitus est: Leo tandem decimus Pontifex Ro-

VITALIS II. SALISB. EPISC. BEATA MORS.

Hist. de Miraculis S. Vitalis habetur apud Canisiũ t. 6. f. 1023.

manus, quod suo loco dicetur, cœlestes illi honores decrevit: successores habuit Ansologum, Savolum, Ezium, Flobargisum, Joannem, magna nomina, sed nihil annalibus datura, vetustatis incuriâ.

S. VITALIS SVCCESSORES.

V.

D. EMMERANVS NOVVM BOICÆ SIDVS.

Aribo Episcopus Frisin. Meginfredus & Arnolphus Comes. l. de S. Emmeram.

JACTVRAM, si quam talis viri morte BOICA fecerat, tertio ab illa anno, Deus cum fœnore etiam sarsit, Emmerammo Episcopo ex vltima vsque Aquitania, Pictonum Vrbe, quæ Augustoritum antiquis fuit, in vicem submisso. Expeditionem ille in Hunnos paraverat, Gentis illius feritatem, impietatémque Christianis armis debellaturus: eò properantem, Deo id agente, BOIARIA excepit, cùm ipsius Provinciæ caput Reginoburgum attigisset. THEODO quartus per ea tempora BOIIS jura dabat, qui tanto hospite lætus, susceptique ab eo itineris conscius, omnia egit, ne cœlitus oblato viro BOICA orbaretur. Cur enim illum Hunnis non invideret, ex quibus præter pulchræ mortis gloriam neq; sperari quidē aliud spolium possit? nulla eloquentia illum

A THEODONE PRINCIPE EXCIPITVR.

TRIENNIVM BOICÆ EXCOLENDÆ IMPENDIT.

immani Genti persuasurum, vt gladium condat, nisi in ipsius jugulo; quod si ipse bonus Christi Athleta ferrum recipere gestiat, considerandum tamen illi etiam atque etiam esse, ne sudoris inter pios longósque labores profusi, quàm projectæ vnà cum sanguine animæ maius precium sit; quòd si ærumnarum sitis illum subegerit, relictâ patriâ fertilem Patientiæ campum quærere, posse sanè ipsum compendium viæ facere, & voto suo in media BOICA frui. Laborare inter initia sua novitiam Religionem, Pietatémque ægre radices agere, in novali nuper proscisso, & talium frugum insueto; difficilem credi virtutis etiam adultæ tutelam; hîc segetem omnem in herba esse, & nisi doctæ felicésque accedant manus, lolij, non spicarum messem fore. Vera dicebat Princeps, neque refellere ea Emmerammus poterat; mentem igitur mutat, & triennio in BOICÆ culturam impenso, sensit sibi profectione ad Hunnos opus non fuisse: quin, ne qua parte desiderij sui excideret, etiam mors illi minimè sicca obtigit. Vta Theodonis Principis filia consuetudinem stupri cum Sigebaldo nobi-

nobili juvene habuerat; quod ſcelus aliquamdiu tacitum intumeſcens vterus erat proditurus. Hîc demum miſeros amantes, cùm vltima exempla metuerẽt, flagitij pœnitentia ſubijt, cuius paulò antè neque pudor fuerat; & quia manifeſtæ turpitudini nullus color reperiebatur, reos ipſi ſe apud Emmerammũ peragunt, & deploratam cauſam in mitiſſimi judicis, juxtàque optimi patroni ſinum depoñũt. Is, inaudito manſuetudinis Chriſtianæ exemplo, non ignarus quæ ſibi fata accerſeret, poteſtatem ijs facit ſceleris in ſe tranſmovendi, ſimúlq; Romanum iter, cui ex voto accinctus erat, ingreditur, ita obfirmato in vltimos caſus animo, vt pro vita quidem nihil, pro fama aliquantulum laborandum ſibi putaret. Eam ob rem Wolflaicum Preſbyterũ ſecreti conſilijq; ſui participat, obteſtatus hominem, ne ex mortis genere, quam ſubiturus eſſet, æſtimaret vitam ſuam: nam ſe quidem fati ſui neque infamiam, neque acerbitatem ſubterfugere; vt, ſi pietatis magiſterium docendo non expleviſſet, moriendo abſolveret: hanc vnam gloriam ſe affectare, vt Chriſto ſimilli-

VTA THEODONIS F. ILLI EXITIVM CREAT.

millimus alienum scelus succedanea victima, suo capite exolvat, famæ securus: Deum & conscientiam sibi pro mille testibus esse; quòd si humana alicubi suffragatione opus sit, non defutura olim Wolfaico argumenta, quibus ostendat, Emmerammum injuriâ cæsum videri. Vta interea cùm nec vitium diutiùs, nec sobolem celare posset, ex Emmerammo matrem se factam palàm professa, ita se ferebat, quasi neque erubescendum quidem cum publico Sanctitatis Magistro qualecumq; commercium esset. At enim splendidum mendacium miseram adeò non juvit, vt ferro irati Patris transadigenda fuerit, nisi alienæ manus obstitissent, ne Regia domus tot tristibus impleretur exemplis, & stupro polluta, etiam parricidio contaminaretur. Subducta igitur iræ oculísque Parentis, ejusdem jussu in Italiam deportata est; quo in exilio exhæres, & furijs scelerum suorum agitata perijt. Lantbertus vitiatæ frater iram omnem in Emmerammum effundere gestiens, Helfendorfij (Isaram inter & Oenum locus est) etiamnum hærentem, citato cursu asse-

qui-

quitur, & forte, eo ipso tempore, stipatus sociorum choro, solitas Deo laudes decantabat, expositis inter ardentes lucernas sacris Reliquijs. Verùm insanus juvenis, nullâ Sacrorum reverentiâ, domum clamore implens, Emmerammum excivit; qui vt in conspectu fuit, cum acerbo risu, Salve, inquit, Episcope; imò, quia nomen hoc libentiùs audis, salve Affinis; nimirum quia post sororem meam nihil in reliqua te BOICA delectat, migrandum censuisti; insigni tamen vivóque amoris tui in nos, & illam maximè, pignore relicto; vt eò leviùs tanti patris jactura feratur, vbi parvulus nobis in regia domo luserit Emmerāmus; beasti familiam principem sacrosancta sobole, &, quod maximum fuit votorum, illius æternitati prospexisti; nactus est per te Pater meus, quicum senectutem suam oblectet; nam quem ille præ Emmerammo Generum, aut ex quo sibi dari mallet nepotem? quando in illo non tam tui oris effigiem, quàm ipsius imaginem virtutis est adoraturus. Inundatus hac invidia Emmerammus defēsionem parabat; sed ferox juvenis, & iræ impotens, loqui pro-

S. EMMERAMMI CRVDELISSIMA CÆDES.

innocentia sua ingressum, scipione in adversum pectus impacto repulit & quinq; satellitibus scalæ radijs illigatum ad destinatam lanienam obiecit: illi omnia exempla crudelitatis egressi, caverunt studiosè, ne, quod & ipsum misericordiæ genus est, citò occiderent; membratim innocentē excarnificant, ne parùm acerbè sentiret se mori: grassatum est toto corpore crudele ferrum, & plura fuere vulnera, quàm membra; singulos digitos à manibus avellere clementiæ rati, articulatim eos concidunt: aures, nares, pedes, & quæ Natura velavit, non sine verborum ludibrio, lentâ, suspensâque manu, producēdo dolori, amputant: Deum quia eripere aliter non potuere, linguam etiam stirpitus avellunt, ne illius inclamandi potestas suppeteret morituro. Tandem lassatâ tyrannide, cùm neque oculi lacrymabile spectaculum ferrent, semianimē, suóq; purpuratum sanguine deseruere: post carnificum discessum, pavidi incolæ præcisa membra vltimo honore dignati, arbore (spina alba fuit) condidere; quæ tamen mox equites ignoti duo, humanâ specie augustiores

CÆLESTIA PRODIGIA.

cùm

cùm sustulissent, repentè non comparuere: jam & comites, quos metus antea disperserat, ad Emmerammum cum invicta anima luctantem confluxerant, captóque consilio, ne divinus vir alibi, quàm in Æde sacra moreretur, Aschaimium, vbi D. Petri templum erat, devehere feminecem cogitant. Ij cùm novem passuum millia progressi essent, agmine mulierum, & ducentis viris exequias ducentibus, Emmerammus jactationem non ferẽs, vicinam mortem ejulatu prodidit, & de curru depositus, in viridi cespite animam egit, quæ ipsa radians more sideris, illata cælo, spectantium oculos perstrinxit, animósque sacro horrore perfudit; vt jam penè corpus contingere, religio esset; tamen, resumptis animis, Aschaimio illatum, pro præsente copia tumulant; verùm Deus passus non est ignobili glebâ sanctissimum virum premi; magnis ostentis, nocturnísque monitis intellectum est, Reginoburgo ipsum deberi: eò igitur, secundâ Isarâ, adversóque deinde Danubio, inter ardentes faces, & clariora facibus prodigia devectus, funus triumpho simile habuit.

FVNVS EMMERAMMI. Theodone ipso pompam ducente, ad S. Georgij tumulatus est; ea Ædes vivo olim familiaris, etiam mortuum sinu accepit. Lantbertus inter Hunnos exulavit, suo scelere, & diuturnitate pœnarũ, quas Emmerammo pependit, execrabilis; nam vindicta in illius capite non stetit, seros etiam nepotes aggressa; vt post trecentos ipsos à nefaria cæde annos, nemo ex illius posteris felix reperiretur; omnium vel immatura funera; vel producta ob id solùm vita, ne citò miseri esse desinerent; domus ipsæ, quas scelestus ille olim incoluit, domini causa multatæ, suísque deformes ruinis, ingentium suppliciorum notabilis appendix fuerunt. Contrà sacer ille cespes, qui laniati Martyris sanguinem bibit, velut dignitatis suę conscius, spontè intumescens, & in cubitalem fastigiatus clivum, omnes deinceps Naturæ leges contempsit, nec nive, nec pruinâ albus, neque sole neque gelu vstus, beatâ perpetuáque temperie, velut particulâ quædam Elysij perfruebatur: accolæ miraculo moti, nobilem areolam templo inclusere; qui honor etiam alteri loco datus, in quo beatam animam

CÆDES VINDICATA. *Meginfred. de S. Emmerammo c.15. Arnolph. Comes l.1.c.11.*

nimam

nimam efflavit: nam cùm & ille nullas hiemis injurias pateretur, Cæli judicium favorémq; secuti mortales, Ædem in eo, Martyris memoriæ sacrârunt. Fasti Romani x. Kal. Octobris morti D. Emmerammi præscribunt; in epitaphio carmine, quod tumulo impositum est, annus sexcentesimus quinquagesimus secundus annotatur. Admiranda deinceps ex tumulo patravit tot tantáque, vt acerbissimi Religionis nostræ hostes Hebræi sibi laborandum putârint, vt Emmerammum Sabbatarium fuisse Populo persuaderent, mendacij fuco ex nomine petito; Amramum enim dictum, & Moysis parenti cognominem fuisse, id levi flexu in Emmerammum detortum: addidere nugatores illud alterum æquè frivolum; cùm adverso Danubio corpus Reginoburgum portaretur, nullum ferè navigij pondus fuisse; id Moysaicæ Legis suavissimæ sarcinæ, quæ vnà cum corpore advecta fuerit, beneficio factum. Eum deinde codicem à suæ Gentis hominibus asservatum esse, Christianis in devenerando duntaxat corpore occupatis. Fabulã, vti à me relata est, Laurent. Hoch-

In Catal. Episc. Reginob. l. 1. cap. 6.

vvartus ex ore Judæorum exceptam in literas misit. Atque hunc in modum innocentissimi viri cædem peractam Aribo Frisingēsis Episcopus, & ex eo Meginfredus tradidere. Quòd tamen Emmerammum ipsummet, flagitij in se transferendi, Vtæ auctorem fuisse affirmant, multi refugiunt credere; nam præterquã quòd Emmerammi ipsius à mendacio vindicandi, via plana nō suppetit; ne Vta quidem, cuius potissimùm ratio habenda fuerat, periculo subduci eo figmento poterat; an enim illa patri, vel mortalium adeò vlli causam suam probatura fuit, si Generum Principis Episcopum potiùs nominaret, quàm nobilissimum Juvenem, cuius & amor patrocinium, excusationem ætas, & error veniam, etsi non merebatur, inveniret tamen? cùm ad incestum Episcopi damnandum, cælum & terra conjuratura fuerint. persuaserit sanè Vta sibi, ingens in Emmerammi nomine sceleri suo præsidium situm; nam cæca amore, & amens nihil novi facit, si in consilio capiendo delirat; at enim prudentissimus vir, qua mente fuisset, si miserabilem illam ex Charybdi in multo peri-

CENSVRA HISTORIÆ.

periculosiorem Scyllam conjiceret? nam quæ stupri crimen eluere apud patrem desperat, verba scilicet reperiet, quibus sacrilegij causam dicat. Equidem in Scriptoribus illis etiam constantiam desidero; cur enim apud eos Lantberto se purgat Emmerammus, qui paulò antè suum ipse nomen detulit, & Sigebaldo subtracto, se reum fecit? cur illū propositi tam repentè pudet? cur defensionē parat prostitutæ ad infamiam innocentiæ? quam si probaverit, Vta duplo ideo pereat, & stupri & perjurij convicta. Sic illi dum mansuetudinem Emmerammi extollere parant altiùs, penè tyrannum ex Episcopo fecerunt. Apud eosdem Emmerammus à Volfleto seu Wolflaico Presbytero silentij fidem exigit, quam tamen ipse sibi non præstat; Sacramento adigit hominem, ne sui viventis patrocinium suscipiat, sepulto demum feras vindicias paret; ipsemet interim meditata oratione impositi sibi criminis invidiam amoliri omni studio contendit, qua illi minimè opus fuit, si præconium innocentiæ suæ, non nisi post funera, fieri voluit. Atque ob has rationes existimo, etiam in Roma-

no Martyrologio causā, quæ vulgò mortis Emmerammi affertur, studiosè præteritam, molliore, sanctioréque in vicem
,, subjectâ his verbis: Ratisponæ in BAVA-
,, RIA S. Emmerani Episcopi & M. qui, vt
,, alios liberaret, mortem sævissimā, Chri-
,, sti causâ, patienter tulit. Vt proinde propior opinanti sim, alieni sceleris suspicione & calumniâ Emmerammum oppressum, cùm paratæ necis subterfugiendæ rationes plures haberet, cùm in lucē protrahere verum sceleris autorē, reúmque peragere Sigebaldum posset, maluisse tamē, Christi æmulatione & exemplo, vitam prodigere suam, quàm alienam prodere; quòd si paulò liberiori conjecturæ locus est, credam, eundem etiam Vtæ consilium subministrasse, non fœdi in se sceleris devolvendi, quod neque sanus dare, neque pius potuit; sed paternæ iræ, tempestivâ fugâ, declinādæ, cuius in molimine intercepta, retractâve Vta autorem fugæ Emmerammum nominârit: atque illum non invidiâ tantùm dictati consilij, sed, quod eiusdem caput & fons videbatur, stupri insuper infamiâ aspersum, temerarióque damnatum præjudicio,

cio, à furente Lantberto carnificibus objectum. Id postmodum perperam ab Aribone intellectum explicatúmque, alios etiam in errorem induxerit.

VI. Boii in Italia Langobardis imperant.

Nunc, quò nos annorum series vocat, Italiam revisamus; vbi Langobardorum Imperium, quod penes BOICI sanguinis fœminas Theodelindam eiúsque filiam Gundebergam diu fuerat, circa hæc ipsa tempora, ad viros eiusdem Gentis delatum, in eorum manu, & potestate aliquam-multos annos fuit. Credi potest ea particula mercedis fuisse, qua Theodelindæ Pietas & Religio compensata cælitus sunt; vt & ipsa documento posteritati esset, famam, gloriam, imò & imperia certiùs virtute, quàm armis parari; nam quod exercitus integri summis viribus inter se connixi rarò consequuntur, sive iniquitate Fortunæ, vt vulgus loquitur, sive, quod verius est, Divinæ Mentis consilio; id excellenti vnius fœminæ Pietati datum, confutando errori mortalium, plus spei in forti manu, quàm bona mente reponentium. Igitur post Rotharem Harodum, Gundebergæ, quæ Theodelindæ filia

Paul. Diac. l. 4 c. 48.

Idem ibid. c. 50.

ARIPERTVS BOIVS GENTE REX LANGOBARD.

Ibid c. 53.

AN. CH. DCLX.

PARTHARITVS ET GVNDEBERTVS FF. SIMVL REGNANT.

filia fuit, maritum, Rodoaldus filius Langobardis imperavit, eóque sine virili stirpe sublato, Regnum summis studijs ad ARIPERTVM Gundoaldi Astensium Ducis filium, Garibaldi BOIORVM Regis nepotē delatum; id ille novennio administravit, pacis magis, quàm belli artibus inclitus, vnóque Religionis exornatæ monumento famam apud posteros adeptus: nam Theodelindæ & Gundebergæ exemplo, Servatori nostro sacram Ædem magnis impendijs Ticini extruxit: Sexcentesimo sexagesimo anno rebus humanis excedens, consilio infelici, filios duos, PARTHARITVM, & GVNDEBERTVM Regni Hæredes, æquali jure, instituit, quasi Imperia pati socium possent. Sed mox patuit, quàm non caperet Regnum duos: Fratres vrbe & domicilijs primùm sejuncti sunt; Mediolani Partharitus Regiam, alter Ticini collocavit; animis verò multò longiùs inter se dissidebant, maximè susurronibus domesticis fraternas simultates alentibus, ne, subeunte olim germanitatis memoriâ, deflagrarēt potiùs, quàm in hostilia odia maturescerent, mox etiam in bellum erupturuptu-

ruptura. Impotentior animi Gundebertus fuit, idem tamen à viribus opibúsque imparatior, vt illi ad meditatum ſcelus perficiendum aliena auxilia fuerint adſciſcenda; ea à Grimoaldo Beneventi Duce, militiæ artibus nulli ea tempeſtate ſecundo, Garibaldo Taurinate interprete vſus, petijt, Sororis matrimonium pactus, ſi fratrem evertiſſet. Taurinas Dux infamem legationem novâ perfidiâ multo turpiorem reddidit; prævaricator cauſæ, ob quam miſſus fuerat effectus, conſilium Grimoaldo dat non opis ferendæ, ſed Regni Italiæ proprio Marte invadendi. Cur enim dubitet Imperij potiùs, quàm promiſſi matrimonij cauſâ arma induere? fratribus victis, inter reliqua ſpolia etiam ſororem futuram; Langobardorum Gentem repudiatis adoleſcentibus duobus ſtolidis, qui neq; pacem colere poſſint, neque bellum facere, niſi impium, vltro viro forti parituram; non obſiſteret modò ipſe fortunæ ſuæ; & ſaltem alterius reguli judicium ſequeretur, qui imperare poſſe ſe, niſi Grimoaldo adjutore, deſperet, eo ipſo confeſſus, Italiam in illius manu eſſe; nimis

FRATRVM DISSIDIVM.

GARIBALDVS DVORVM FRATRVM PRODITOR.

mis ſimpliciter ipſum facturum, ſi belli tantùm labores ſibi ſumat, & alteri præmia largiatur. Nemo invitus audit, cùm ad ſceptrum & purpuram vocatur; itaque Grimoaldus Garibaldi orationem avidiſſimè non in aures tantùm, ſed in intimum pectus demiſit; nihilq; cunctatus, maximis contractis copijs, ad tam benignas ſpes properavit, quarum eum Garibaldus novo ſcelere compotem fecit. Gundeberto primùm perſuaſit, ne extra Regiam Grimoaldum exciperet, amicum ſcilicet, & mox etiam affinem futurum; quòd ſi de illius fide dubitaret, corpus loricâ muniret; ſic in vtrumque paratum, ſive hoſtis, ſive hoſpes adveniret, huic nudam dextram, illi armatum pectus objecturum. Cùm cautum in ſpeciem conſilium Gundeberto probaſſet, è veſtigio ad Grimoaldum regreſſus, mutatâ fallaciæ ſuæ ſcenâ, obteſtari eum cœpit, ſi ſalutem ſuam cordi haberet, caveret paratas inſidias; Gundebertum, converſa repentè voluntate, in eius perniciem toto animo ferri, & neque ad primum complexum ſine armis venturum. Ita ſuſpenſis vtrinque mentibus, ad mutuam

tuam ſalutationem conventum eſt, vix ipſa fronte ficti obſequij perſonam ſatis ſcitè ſuſtinente. Grimoaldus Regem arctiùs, non ex amicitia, amplexus, facilè loricatum deprehendit; execratúſque velut compertum manifeſtæ perfidiæ miſerum Regem, per ipſa munimenta ſua proditum, ferro obtruncat; nulláque cædis invidiâ, cùm vim non feciſſe, ſed evitaſſe crederetur, nemine reclamante, Regnum occupat. Partharitus triſti exemplo etiam ad ſe pertinente perculſus, & tyranni, quàm fratris acerbiora odia fugiens, ad Cacanum Hunnorum Regem elapſus, Regnum integrum in Grimoaldi manibus, mercedem ſceleris, quæque triſtior jactura fuit, etiam Rodelindam vxorem, cum Cuniberto filio, reliquit. Garibaldus non diu pòſt meritas Regibus duobus & fidei in vtroque violatæ pœnas dedit, inter ipſa Sacra, Sanctiſſimo Paſchæ die, viliſſimi homuncionis dextera peremptus. Partharitus interim, quamvis exul, timebatur tamen; neque Grimoaldus vivo illo, qui vltor eſſe poterat, ſecurum ſe potentiæ malis artibus quæſitæ arbitrabatur: hinc Cacano jure mutui

GVNDEBERTVS A GRIMOALDO OCCIDITVR.

PARTHARITVS FVGA SIBI CONSVLIT.

GARIBALDVS PRODITOR OCCIDITVR.

Idem l 5. c. 2. & seqq.

mutui fœderis imperat, ne hostem suum apud se esse pateretur, nisi bellum, quàm pacem mallet; ea denunciatio hospitium Parthariti dissolvit: Circumspicienti ergo novum exilium, aliósque patronos, omniáque vt infida, vel suspecta damnanti, tutissimum visum, consilium ab audacia petere, & ipsiusmet Grimoaldi tentare clementiam, à cujus sævitia profugerat. Ergo in Italiam regressus, Hunulphum, quem illi vnicum ex amicis Fortuna reliquerat, præmittit, ad id duntaxat à Grimoaldo impetrandum, vt in qua terra natus fuerat, imperaverátque, privato sibi liceret vivere. Non erat tam remotus ab humanitate Grimoaldus, vt hoc tantillum supplici, nuper Regi, & quidem suo, denegaret. Igitur datâ prolixè fide, non modò impunè venturum, sed & cum honore apud se futurum, paulò pòst adventantem Ticini humanissimè excepit: qui præsentis memor fortunæ, submissus in genua non clientem se modò, sed servum Regis confessus, id vnum rogabat, vt quantū ipsi in afflictum liceret, id clementia potiùs, quàm sævitia testatum vellet. Rex comiter ad osculum

PARTHARITUS IN ITALIAM REDIT.

lum levatum, bonum habere animum jussit; daturum se operam, ne ipsum conceptæ de sua clementia spei vnquam pœniteret; magnis deinde oneratum promissis, ad curandum corpus dimisit. At enim verecundiâ pristinæ majestatis collatâ præsenti fortunæ, & aspectu Regis è solio in exilium deturbati, totius Vrbis animi commoti, studiáque Langobardorũ erga calamitosum adeò accensa sunt, vt nemo paulò honestior civis fuerit, quin visendi, salutandíque desiderio, in ejus domum conflueret; ita enim sentiebant, injuriam illius suum flagitium esse, sibíque magis, quàm ipsi deforme, Regem suum, post purpuram, supplicis habitu aspici, circumferréque non tam miseriæ suæ, quàm Langobardicæ perfidiæ notas. Verùm hæc ipsa officiosorum civium misericordia Parthartito in miseriam vertit, reputante Grimoaldo, si modò tam benevolis civium animis vti vellet Partharitus, certissimum illi ad Regnum regressum patere; hac illum spe redijsse in patriam, nunquam aliàs ausurum committere se novo Principi, nisi Popularium studijs confisus, illum vt ma-

lè so

EXITIVM PARTHARITO STRVITVR.

lè ſolio hærentē & facilè proturbandum, jam olim contempſiſſet. Igitur repetere artes ſuas, & quia à parricidio Regnum auſpicatus fuerat, dubiam illius poſſeſſionem ſimili crudelitate ſtabilire, optimum judicavit; hoc vno jam modeſtior factus, vt, cùm Regem alterum ſua manu obtruncaſſet, nunc carnificis munus ſatellitibus ſuis remitteret. Interim quò occultiùs falleret, lautia omnis generis ſubmiſſa, adornatæ epulæ ferales, & Parcharito extremæ futuræ, vina optimæ notæ propinata largiùs, cum ſanguine refundenda. Miſer hoſpes ignarus juxtà & ſecurus futuri, longa exilij mala mergebat obruebátque lætiſſimâ, poſt amiſſum Regnum, cœnâ; cùm repentè paternus amicus, incertum quonam modo compertas inſidias, cùm edulij quippiam menſæ intuliſſet, raptim in domini aures inſuſurrat; tantáque in ambobus vultus animíque conſtantia fuit, vt indicium factum graviſſimæ rei nulla nota prodiderit. Partharitus lætitiam vagis ſermonibus ſimulans, triſtes cogitationes omni artificio tegebat, id vnum pocillatori clàm imperans, ne quid præter aquam ſibi

ſibi bibituro porrigeret; qua ſe multò deinceps avidiùs ingurgitabat, cùm aurea phiala abſtemio faveret, & cum aqua dolum abſconderet. Circumcurſitabant interim deluſi ſpeculatores, quorum plena domus fuit, qui profundam Parthariti gulam, ebriíque geſtus exultanti Grimoaldo exponerent, cujus ea vox excepta eſt, Cras illum pro commiſſatione ſymbolam daturũ, & ſanguinis aliquanto etiam plus remenſurum, quàm vini abliguriſſet. Soluto convivio Hunulphus intelligit, quo in loco ſalus domini & vita verſetur; comitia de ipſius capite habita; ſtrictos in inermem tot ſatellitum enſes; oppugnari miſerrimum Principem totius Regiæ viribus; & pugnam inter carnifices eſſe, quis cæſi caput referat ad Regem; & in hoc tantum ſcelus, præſentem noctem, aut proximum diluculum deſtinari, quæ mora vix inveniendo conſilio, nedum auxilio ferendo ſit ſatis. Videbat exitus omnes cuſtodijs ſeptos, quæ totius circuitum domus ita complexæ erant, vt ſpes omnis elabendi videretur præciſa. Perrupit tamen ingenioſa fides, reperítque rimam, qua

 herum

HVNVLPHI FIDA OPERA PARTHARITVS EVADIT.

herum ex eo labyrintho educeret: Cùm lectum sibi in Parthariti cubiculo sterni jussisset; paulò pòst Partharitum ipsum vrsina pelle instratum, multáque suffarcinatum veste, diras omnes in illum evomens, instar clitellarij mancipij præ se agebat, fuste ipse armatus succumbentem excitabat, quærentibúsq; quorsum ita sæviret, castigare se triobolarem servulum, inquit, eúmque pridem vltima exempla meritum, hoc ipso die, ne vnquam frugi esset, lectum sibi ad Parthariti latus stravisse; qui cùm cænam vomitu, ipsámque propè animam rejecerit, nihil nunc distet à mortuo, altissimo somno sepultus; & se quidem nimis diu hoc jam saxum volvisse, eo tandem omisso, ad feliciores partes, quas ipsi Superi adjuvent, transiturum. Hæc cùm truci vultu, inter applaudentes jactaret, Partharitus feliciter vapulans, ædibus, nemine morante, exturbatur, plagis illis sine gemitu concoctis libertatem indeptus; ex mœnibus illum Hunulphus fune demisit, fortuito comitatu septum, cum quo palantes in pascuis equos inscendens, Astam ea nocte venit, civitatem etiam in illa Fortuna

immo-

immotæ erga se fidei; indè Taurinum digressus, omnia tutiora paterno Regno & suo ratus, trajectis Alpibus ad Francos abijt. Grimoaldus in parricidij apparatu noctem absumpserat, viámque omnem, quæ inter Regiam & Parthariti hospitiũ interjacet, milite multo sepserat; tum denique missi, qui Partharitum evocarent. Abdiderat se cubili familiaris servus, fidei per omnem vitam cultæ etiam animam impensurus; qui semel iterúmque Partharitum inclamantibus fucum fecit, obsecrans, ne quiescentem interpellarent; donec convulsis effractísque, moræ impatientiâ, foribus, fraudéque cognitâ, omnem furentium impetum servus pro heri capite splendidè mendax excepit; quẽ cùm non vna cruce dignum omnes vociferarẽtur, Grimoald' suo judicio absolvit, fidem, quam hero, quantumvis suo hosti servârat, in eo veneratus: neque dubitavit in familiam suam asciscere, vt similibus illam exemplis nobilitaret: sed ille spes fortunásque suas apud Partharitum sitas dictitans, id sibi præ Regia, & Regno fore professus est, si latus tegere exulis posset, pro quo etiam

SERVILIS FIDEI IN HERVM EXEMPLA.

mori ſuave duxerit. Conſentientia Hunulphus dixit, qui à templo D. Michaelis, quò confugerat, fide publica abductus, magníſque præmijs ad Grimoaldi familiaritatem invitatus, conditionem generosè reſpuit; negans, cui Fides curæ ſit, eum Fortunæ domini poſſe pœnitere; neque Grimoaldum quidē amicum niſi in duros caſus quærere; probaturum ſe, talem Partharito jam obtigiſſe; nunc quidem ſe prima documenta dediſſe, vltimum tamen in voto eſſe; nam majus nihil ſibi poſſe cōtingere, quàm ſi ipſum Dominus videat pro ſe morientem. Dicti factíque par fuit admiratio; cenſuítq; Grimoaldus, optimam Regni particulam ſe Partharito non eripuiſſe; igitur cùm Hunulphi retinendi ſpes non eſſet, eundem magnificè donatum, vti & alterum, qui fide in dominum cum ipſo certârat, Partharito non ſine gemitu, & invidiâ remiſit, verè ſentiens, par tam fidum majori illi vſui, quàm ſibi centurias ſatellitum eſſe. Partharito indè ſub Francorum patrocinio molle exilium, imperturbatúmque otium obtigit; alienus ipſe à rebus novandis, æquiore propè animo privatæ

vatæ vitæ humilitatem, quàm Regiæ fastigium tulit. Nono demum Grimoaldi anno, Fortuna, cum qua in gratiam rediisse videri poterat, illum etiam ex Gallia proscripsit. Nam fœdere inter Francos, Langobardósque icto, veritus Parthari- tus, ne illud capite suo sanciretur, ad Saxones, qui tum rerum in Britannia potiebantur, iter intendit; jámque navis illum vectura à portu solverat, cùm repentè vox, nescio cuius, Partharitum inquirentis, clarè audita est; vbi responsum est, In navi esse, jussus est, eiusdem vocis authoritate, littus relegere, & melioribus avibus in patriam redire; Grimoaldum, cujus metu fugeret, implacabiles iras, ante triduum cum anima, amisisse. Partharitus littori succedens mortalium neminem reperit; eóque vocis auctor cælestis Genius creditus, promptiúsque fides habita, optimo successu: nam cùm, superatis Alpibus, Italiã attigisset, summis Procerum populiq; studijs exceptus, & Ticinũ deductus est. Garibaldus Grimoaldi ex Partharitì sorore filius, impubes adhuc, Regiam tenebat; quem nullis popularium auxilijs subnixum, cùm facilè

Idem ib. c. 32. & seqq.

PARTHARITI EXILIA.

REVOCATVR DIVINITVS IN ITALIAM.

REGNVM RECVPERAT.

ſolio dejeciſſet, ipſe inter publicos totius Gentis plauſus in illud repoſitus eſt, tertio à Grimoaldi obitu menſe. Auxere lætitiam Rodelinda vxor & Cunibertus filius ex Beneventano exilio recepti; íſque dies, qui mutuò tam amantes, ſed per ſummam Fortunæ acerbitatem ſejūctos, nono iterum anno, mitigatâ tandem fatorum inclementiâ, conſociavit, propè vota ſuperaſſe viſus eſt: proinde Partharitus, ne bona, quàm mala ſua ſenſiſſe ſegniùs videretur, publicum grati adverſus Deum animi monumentum extare voluit, nobili domicilio ſacratis Virginibus erecto, cui Ædem D. Agathæ dicatam adjecit, eo ipſo loco, quo nuper præſentariam mortem, Hunulphi ope, per funem delapſus evaſerat. Rodelinda vxor pietate ſe vinci non paſſa, Magnæ Matri Virgini inſignem Baſilicam extra Vrbis mœnia ſtatuit. Cæteri mores his ſtudijs examuſſim congruentes, Paulum Diaconum, qui totam hanc Tragœdiam in literas miſit, laudatorem eximium habent: qui juſtitiæ inprimis, rectíque amorem, & benigniſſimum erga inopes animum, vtramque planè regiam virtutem, in

PARTHARITI GRATVS ADVERSVS DEVM ANIMVS.

in Partharito deprædicavit. Octavo, post receptum Regnum, anno, qui salutis nostræ sexcentesimus septuagesimus septimus fuit, CVNIBERTVM filium in societatem sceptri assumpsit; sed lætitiam domesticam paulò pòst novi motus, vnde minimè decuit, orti inquinarunt. Alahis Tridentinus Dux, turbido ingenio vir & superbo, arrepta vndecunque crescendi opportunitate, arma in BOIOS movit, & cum eorum Comite, quem Gravionem, jam illa tempestate dictum, Paulus autor est, Præfecto Bauzani (ea inter vrbes Tirolis est emporio nobilis) congressus, feliciter pugnavit; successúque elatus, ipsos Reges, suos hostes sibi destinat, pertæsus bella, quæ sine scelere suscipi geríque possent: Tridentum inprimis, quanto maximo potuit opere communijt, omniáque infesti animi, & imperium apertè aspernantis argumenta prodidit. Partharitus malo in tempore occursurus, Alahem bello appetijt, cúmque Tridentinæ vrbis munimentis clausit; sed obsidionem non perinde vrgens, ad ipsa mœnia, tædio moræ, elanguit. At enim dum neque Rex, neque miles offi-

A. CH. DCLXXVII.

CVNIBERTVS PARTHAR. F. IN REGNI CONSORTIVM ADMISSVS.

ALAHIS BOIOS IMPVGNAT.

Paul. c. 5. l. 36.

cium ſuum faciunt, totíſq; caſtris otium magis, quàm cogitationes ſeriæ vigent, abuſus remiſſione hoſtium ad ſua commoda Alahis, repentè eruptione factâ, & proruptâ munitione caſtrorum, inopinantes aggreditur; cúmq; parati ad reſiſtendum nihil vſpiam eſſet, ægre fuga Partharitum tutata eſt. Hanc tam inſignē non modò contumeliam, ſed etiam jacturam, morte Alahis vindicaturus erat Partharitus, nî Cunibertus filius amicitiæ reſpectu, quæ illi cum Alahi jam indè à puero fuerat, paternum animum flexiſſet; lenis ipſe naturâ, & mollibus remedijs aptior, non contentus impetratâ veniâ, exornare hominem aggreſſus, Ducatum Brixianum eidem à patre extorquet, jam tum ominante, intempeſtiva illa beneficia ſtipendia eſſe temeritatis, & incitamenta furoris in ipſum Cuniberti caput effundendi. Vaticinij veritatem exitus comprobavit: nam cùm ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo Partharitus è vita migraſſet anno, Alahis Cuniberto peſſimam conſtantis amicitiæ vicem rependit.

A. DC LXXXVII. PARTHARITUS MORITUR.

VII. FORTE Ticino Cunibertus aberat, cùm

cùm Alahis vacuam nactus Vrbem, & Regiam, vtramque, vi pro jure vsus, suam facit, Civium perfidiâ adjutus, quos inter Aldo & Grauso fratres facilè principes fuere, sed & ipsi mox experti, se pro Rege tyrannum recepisse; quod nomen non tantùm plebis odio, sed compertâ etiam in Optimates sævitiâ meruit, ad quorum amplas hæreditates viam sibi ferro sternebat, sanguinis juxtà, atque opum sititor. Fuit cùm ad mensam numariam sedenti, ventilantíq; divitias suas, sestertius excidit, quem Aldonis filius penè adhuc infans secutus, collegit: cujus diligentiam cùm Alahis laudasset, etiam illud securè, vt apud puerum, effutijt; patrem ipsius plenis arcis pecuniam immensam coërcere, eam tamen brevi se manumissurum. Puer præcoci sapientia dictum sibi notat, & ad patrem strenuè defert; qui commune periculum ex eo sibi, fratríque, & amicorum turbæ interpretatus, cladem domesticam statuit eversione tyranni prævertere: quem vt ex Vrbe extraheret, venationis illi oblectamenta obijcit, pollicetúrque, se interim multò insigniorem fe- ALAHIS NOVÆ MOLITIONES.

 ram

ram confecturum, & invisum Cuniberti caput, diu optatum spolium, ad ipsum delaturum. Vbi Rex his promissis inescatus Vrbe exijt, Cunibertum in Insula

CVNIB. REGNVM RECIPIT.

Larij lacus se continentem Aldo in Vrbem revocat; simul Alahi nunciat, cumulatè se promissa præstitisse, Cuniberti non modò capite, sed & reliquo corpore se potitum, ídque palàm in Vrbe, & ipso adeò solio conspici. Alahis vbi se suis artibus captum, résque suas tam levi momento prostratas videt, easdem bello parat restituere. Cunibertus etsi & ipse exercitum armârat, eum tamen, quamvis in optima causa, obijcere periculo cunctatus, neque ipsum Regnum tanti sibi esse putavit, vt illud Civium suorum sanguine emeret, suum potiùs impensurus. Alahin ergo ad singulare certamen evocat; qui quamquam victoriæ præmium Regnum videbat, viribus tamen suis, multóque magis causæ diffisus, conditionem respuit. Plena ergo acie concur-

CVM ALAHI PVGNAT.

rendum fuit; quæ dum instruitur, Zeno Basilicæ D. Ioannis Baptistæ à Gundeberga erectæ Diaconus, Cunibertum quamvis diu obluctantem, tandem eò impellit,

lit, vt, quando ſpecie oris ipſi quàm ſimillimus eſſet, reliquum etiam corporis cultum ſibi circumdaret: ſatis eſſe Tyranno perſonatum Regem obijci, neque faciendam Fortunæ poteſtatem graviter peccandi: poſſe illi ſuo capite ſatisfieri, ſi quid triſtius minetur; ſibi porrò id etiã vita charius fore, ſi pro Rege ſuo penè Rex moreretur. Ergo Regis in morem comptus, ínque primam aciem progreſſus, omnium in ſe oculos & tela convertit; Alahis præſertim opimum ſibi decus, cæſo Rege, expetens, ferociùs inſtantem, manu ipſe melior promptiórq; obtruncat; ſed ſpoliare corpus aggreſſus, ſub caſſide coronatum non ex voto caput (Zeno enim ex Sacerdotij Lege circumtonſųs erat) reperit, & ex victoria, præter pudorem, nihil retulit. Contrà Cunibertus inſperatò progreſſus ſimul ſuorum animos, & aciem inſtauravit, iterúmque Alahim, ſi vir eſſet, & Civium amans, ad compendium belli faciendum invitavit; probarent ipſi manibus ſuis, vtrius caput corona dignius eſſet: enimvero ille jam multò magis trepidare, & duelli aleam ſubterfugere, cùm priſtinæ conſternatio-

Nobile fidei exemplvm.

ni

ARCHANG. MICHAEL IN PRÆLIO VISVS.

ni Cœleste etiam prodigium accederet: nam Alahis immortalis beatæque militię antesignanum Michaelem, immixtum hostium cuneo, palàm sibi imminere infestum affirmavit, sine dubio perfidiæ suę vltorem, quòd ad ipsius aras Cuniberto se Sacramentum dicere meminisset. Verùm inter has tyranni tergiversationes, omni parte prælium exarsit, varium diu & anceps, donec confosso Alahi, victoria in partem æquiorem inclinavit; tum denique ruinæ similis strages fuit, cùm neq; in fuga quidquam præsidij esset, Adduâ amni opposito, qui plurimis pro sepulchro fuit. In tyrannum etiam mortuum sævitum, víxque capite cruribúsque succisis, ira saturata est. Porrò Zeno diaconus fidei suæ immortuus, honestissimo funere elatus, in vęstibulo Basilicæ, cui præerat, nobile sepulchrum accepit. In campo, qui Coronatæ dicitur, prosperæ pugnæ monumentū Monasterium Georgio Martyri sacrum erectum est. Cunibertus metu denique liber, examinare Aldonis & Grausonis erga se merita cœpit, quorum maleficio Regnum perdiderat, eorundémque beneficio perditum rece-

ALAHIS INTEREMPTVS.

Paul.6..c6.

receperat: & quamquam fidei recentius documentum, & præsens vtilitas veteris perfidiæ obliterare maculam debuit, tamen excidentibus beneficijs, hærere injuriæ; credo, quia malefactis vicem repẽdere, quàm obsequijs, faciliùs videbatur; gratia enim oneri, vltio in quæstu habetur. Statuit igitur vtcunque de se meritos occidere, ídque consilium cum vno duntaxat mortalium Stabuli Præfecto communicat, de cujus exequendi ratione dum sententias audit dicitq;, res contigisse à Paulo narratur, aptior quidem illa ad ostentationem scenæ miraculis gaudentis, quàm ad fidem, quocunque tamen apud alios loco futura est, ejusdem Auctoris periculo referenda. Musca solitæ parvitatis modum supergressa, ad fenestram, quæ in Regium conclave lucem admittebat, consederat; in eam mediam Rex cultrum vibravit, sed ejusdem celeritate præventus, pedem tantùm præscuit; quo ipso temporis momento, Aldo cum fratre in Regiam contendens, obvium nesció quem, fædè altero pede claudicantem habuit, qui periculi instantis admonitos, vitare conspectum Cunibertijus-

ALDO ET GRAVSO MIRA RATIONE CÆDI EREPTI.

L. 6. c. 6.

ti jussit, si salvi esse vellent. Etsi levis auctor fuit, tamen indicium contemptum non est, quòd causæ justi metus suberant; nam Regis iram meruisse se, quàm eundem obsequijs de meruisse multò certiùs intelligebant. Ad asylum ergo, in Romani Martyris proximam Ædem, confugiunt. Rex illorum secessione cõpertâ, participem consilij sui accusat, velut silentij fide ruptâ. Sed facilis defensio fuit, non alium præter ipsum Regem testem invocanti, post collatum ea de re sermonem, nec aulâ se excessisse, neque vlli mortalium collocutum; neque negare id Rex potuit, quò major evulgati arcani admiratio fuit, donec ex ipsismet intellectum est, quo indice insidias cognovissent; neque dubium deinceps cuiquam fuit, sub muscæ ludibrio dæmonẽ latuisse, qui pedis jacturam mendacio claudicationis expresserit; arrepta tamen hinc veniæ occasio est. Rex cum fratribus ex animi sui sententia in gratiam redijt, jusśitq; illos suo deinceps exemplo beneficij potiùs, quã periculi meminisse.

VIII. APVD BOIOS interim Religio, Theodone Principe annitente, eximia incrementa

menta sumpsit; nam cùm Emmerammus nuper Cælo additus, insignibus erga mortales beneficijs inclaresceret, magníque ad ejus tumulum vndique concursus fierent, Theodo ad ampliandam loci dignitatem, emaculandámque cædis, siqua penes se resideret, noxiam, Georgij martyris Ædem adjecto monasterio,& D.Petri, ipsiúsque Emmerammi nomine imposito, augustiorem reddidit. Sacrorum hominum cætui Apollonius cum Religioso Imperio primus præfuit: Annum tabulæ sexcentesimum nonagesimum septimum præferunt. Sed hoc ipsum seculum duobus adhuc triumphis nobilitare, Deo visum. Marinus & Anianus natalibus suis clari, jam olim Hiberniâ patriâ pietatis ergo relictâ, Romam Martyrum sanguine purpuratam venerati, Eugenio I. Summo Pontifice bene precante, transcensis alpibus, inter Boios consederant, in secreto sanctóque otio piè nihilominus negotiosi; vt & eloquentiæ Cælo haustæ fructum adventantium ad se nemini inviderent, & ipsi vltro sæpe hominum cætus cogere soliti de hominis Christiani officio disputarent;

Hund. metrop. & mss. de monasterijs Boicis.

An. Ch. DCXCVII.

Monast. S. Emmerammi Theodo extruit.

Marinvs et Anianvs apvd Boios pro pietate laborant

Ex actis SS. publicè editis. Circa Annum Christi 654.

rent; vitâ & moribus adeò integri, vt facta dictis ingens pondus adderent; in macerando corpore penè humanam patientiam egressi, fonte puro sitim, bucceâ panis sicci famem malignè extinguebant, an irritabant; sal, totum condimentum, obsonium herbę spõtè natæ præbebant; tamen vel sic quotidie epulari, delicatorum arbitrati, bis tantùm per hebdomadem, præter diem Dominicam, hanc naturæ modicam stipem, vt ingratum debitum, persolverunt. Dei Nascentis, & Redivivi ferijs, si caseum & lenticulæ pauxillum ad dimensum addidissent, tum verò genialiter se dicebant convivatos. De lecto nihil attinet dicere, qui fessa fractáq; jejunio corpora, neque meliùs, neque molliùs, quàm mensa accipiebat, fugando quàm invitando somno aptior: quin Marinus etiam prunas substerni sibi, & in vivis cubare ignibus, ad exemplum Laurentij optavit, postquam sacros Martyris cineres Romæ deveneratus, ad illius æmulationem exarsit. Hoc tenore vita illis ad quadraginta annos, vsque ad Leontij Imperium fluxit; cùm sacrificanti Marino (hic enim Episcopi, Anianus Archi-

Archidiaconi dignitate auctus erat) divinitus indicatum est, non procul illos à beati cursus meta abesse, jámq; in vtriusque caput coronas properari. Qua ipsa tempestate Slavi Venedi, quos vulgus Scriptorum communem errorem errantium Vandalos appellat, sedibus suis effusi, factâ in BOICAM irruptione, spem prædæ secuti, etiam ad Marini tugurium devenere. Commodùm ipse provolutus in genua supplices Deo preces fundebat, etiam illis irrumpentibus immotus, vt Viri constantia, & cani capitis majestas propè latronibus sævitiem & ferrum excusserit; direpta deinceps viri supellex est, neminem factura locupletiorem; eóque delusa avaritia furori languescenti faces admovit; fit in Marinum ipsum impetus, jubent defossas opes in lucem proferre, rati summi nominis viro grandem pecuniam, itidem vt ætatē, esse: sed ille, qui spes omnes suas Cœlo reconditas habebat, eò digitum intendit, pollicetúrq; operam, si viam ad æternos thesauros quærant. At enim sobriam aspernati Philosophiam vrgent instántq;, vt Christo ejurato, provincialium opes, qui me-

SLAVI IN BOICAM IRRVMPVNT.

tu profugerant, sibi proderet; illum Patriæ parentem habitum nihil cujusquam ignorare, alioqui ingrati pertinaciam silentij omnibus se tormentis vindicaturos. Nihil ad has minas cohorruit Marinus, negavítque à sede illa vivum se, à Deo verò ne mortuum quidem discessurum: qua constantia barbari in rabiem versi, in equuleo suspensum excarnificant, nudatísque costis jam propè exanguem rogo injiciunt; hic ille ex vetere & perpetuo voto suo expotrectus, inter preces etiam pro Carnificibus suis fusas, beatam animam exhalavit. Aberat Anianus morbo implicitus, cognitóque Magistri discessu, vti & ipse coronatus triũphantem sequeretur, divino epulo pastus, iter immortalitatis ingressus est, eodem die, qui XVII. Kal. Decembrium fuit. Corpora illorum pro præsenti copia tumulata, Pipino & Carolomanno regnantibus, Priamus divinitus monitus detexit, communicatáque cum Tollusio Episcopo re, conditáque Æde, in pagum Aurisium sacra pignora transtulit. Pia posteritas cultum auxit, Cœnobio addito, quod à præterlabente Rota flumine appel-

S. MARINI MARTYRIVM.

S. ANIANI BEATVS OBITVS.

appellationem traxit. Aventinus quamquam Leontij Imp. nomen relatum in Acta legerat, vt indè annorum ratio indubitata elici nullo negotio posset, pudendâ tamen inscitiâ, vel novandi pervertendíque omnia libidine, ad ducentos supra hæc tempora annos historiam promovit, Divósque hos non à Slavis, sed à BOIIS cæsos prodidit, credo, vt à crudelitate, quam alibi etiam ijsdem immerentibus impingit, Genti miseram gloriam quæreret.

Vltimo ejus seculi anno Cunibertus fatis concessit, LVITBERTO filio impubere adhuc relicto; tutor illi Ansprandus procerum omnium longè optimus admotus est, cujus consilijs fidáque industriâ cùm statura pax publica videretur, eam RAGVMBERTVS Taurinatium Dux, Gundeberti Regis filius, concitato gravi bello, turbavit. Hic Regnum ad se pertinere ratus, contemptâ Regis pueritiâ, aditum sibi ad illud armis paravit, & octavo à Cuniberti morte mense, Ansprandum in agro Novariensi prælio vicit: sed neque victoriâ, neque rapto per vim Regno diu lætatus, intra annum, quàm illud

AN. DCTC.
CVNIBERTVS MORITVR, LVITBERTO F. RELICTO.
Paul. l. 6. c. 17.
Sigeb. in Chr.
RAGVMBERTVS REGNO LONG. INHIAT, EORVM POTITVR.
Paul. l. 6. c. 18. & seqq.
MORITVR.

occuparat, obijt. ARIPERTVS filius, vt relictum sibi à Patre Imperium stabiliret, primo vel secundo octavi Seculi anno, cum Ansprando fortunam iterum tentante congressus, eundem prælio ad Ticinum fudit, victoriáque crudeliter vsus, Luitbertum puerum, qui saucius exceptus fuerat, balneo inclusum fervore atque æstu necavit; Ansprandum deinde capitalibus inimicitijs persecutus abire Italiâ coëgit, qui rectà per Clavennam, & Curiam Rætorum, ad THEODEBERTVM BOICÆ Ducem profugit. Aripertus in Vxorem & charissima illius pignora immani barbarie sævijt; nam Sigebrando filio lucis vsuram, erutis oculis, ademit; Theoderadæ conjugi nares aurésque, fædo vulnere, præcidit; vitio ei datum, quòd de fortunâ sua non desperasset, sed subinde Regnum & sceptra muliebri vaticinio loqueretur; id scilicet vt crimen majestatis vindicatum; juncta est, in supplicio, matri Aurona filia prorsus insons, & mutilata etiam ipsa, quod mulieri post pudicitiam charissimum est, formam perdidit. Luitprando soli filiorum minimo pepercit: quamquam neq; huic

ARIPERTI IN LVITBERTVM CRVDELITAS.

Paul. l. 6. c. 20.

ANSPRANDVS LVITBERTI TVTOR IN BOICAM FVGIT.

huic quidem instinctu humanitatis veniam dedit; ætatem in puero contempsit, & indignum censuit suo ferro, novo genere fastus: quin imò sequi exulantem Patrem jussit, vt hoc potissimùm nuncio domesticas clades & ludibria Fortunę bis miser intelligeret: huic tamen etiam ab hoste spreto Deus Regnum parabat, adcò verè Tyrãnis omnia metuentibus jam olim dictum, à nemine successorem suum occisum. Tandem etiam Petrum quendam, quòd Luitberto sanguine junctus esset, Spoletum deportari jussit. Erat Petro Ingenium mite, studiorúmq; humanæ ambitionis ignarum juxtà, atque insolens, insigni castimoniæ famâ etiam à suspicionibus intactâ: in exilium animo æquissimo profectus est, quòd sciret, licere sibi suas saltem virtutes secum ferre, quo comitatu contentus, regias pompas splendidè contempsit. Neque illud ægriùs tulit, quòd Spoleti Regiâ carendum fuit, cùm templum haberet, vbi Deum, & præsentes Divos non modò venerari, sed etiam familiariter alloqui posset. Et fuit, cùm Sabini Martyris Ædem frequentanti divinior vox clarè al-

Vulcat. in Avidio Cassio. Paul. l. 6. c. 56.

PETRI E REGIO SANGVINE PIETAS.

lapſa ſpem redeundi in patriam, & Ticinenſis Mitræ fecit: quorum vtrumque ſub Luitprando Rege factum, Sabini Martyris apud Petrum venerationem auxit, cujus memoriam, poſito etiam Ticini templo, conſecravit. Omnino vir fuit in vtraque fortuna idem, ſibíque ſimilis; ſanctitatis opinionem etiam vivus miraculorum gloriâ adeptus. Paul. l. 6. c. 35. ARIPERTI REGIS MORES. Aripertus cùm Regni initia non vno ſcelere infamaſſet, quod rarum in hoc faſtigio exemplum eſt, imperando melior factus, inter blãditias Fortunæ etiam bonos corrumpentis, ex malo Optimus Princeps evaſit; vt, ſi ab his initijs oculos avertas, nihil in novennali illius Imperio videas erubeſcendum; virtutes in eo verè Regiæ, neq; ad pompam tantùm & famam compoſitæ, ſed candidè & ex amore recti, cultæ. Sciebat, Verum in aulis raro audiri, vel propter delicatas Principum aures blanda pro certis amantium, vel proprio ſubditorum vitio, qui libẽtius cum Fortuna Principis, quàm cum Principe loquuntur. Adverſus hæc adulantium fallentiúmque artificia, ſubtile ab illo remedium excogitatum; nam depoſito cultu

Regio, privatí habitu, Civitates de nocte obibat, captabat judicia hominum, & qualis ipse, quales ij, quos Iuri dicundo præfecerat, in ore vulgi essent, in illa libertate querelarum discebat. Idem exterarum Gentium Legatos comiter magis, quàm splendidè excipiebat; non auro ipse nec purpurâ insignis, sed pellitus plerumque, & ad morem priscæ severitatis incultus, suas & Italiæ opes tam callidè, quàm consilia tegebat, ne quem earum admiratio & cupiditas ex hospite hostem faceret. Regno in hunc modum per annos novem feliciter administrato, Ansprandus, quem ad BOIOS profugisse diximus, resumptis animis, impetratísque validis BOIORVM auxilijs, cum exercitu in Italiam redijt, quóque primùm loco Aripertum obvium nactus est, pugnæ potestatem fecit. Concursum est ingentibus iris, quæ inter vulnera, & sanguinem, & promiscua funera, vtrique parti, diem integrum, suffecere. Nox tandem ingrata vtrisque, interventu suo acies non tam diremit, quàm abscondit, cùm nihil animus aut manus, sed ne oculi quidem provisu juvarent, dubiáque omnia & ipsam

ANSPRANDVS E BOICA ITALIAM REPETIT.

CVM REGE CONFLIGIT.

adeò incertam victoriam tenebræ facerent, à cæde cessatum est; minore cum spe BOII in castra discessere, poterátque Aripertus vincere, simul ac dies redijsset, nisi veterem suam, & ejúsce diei Fortunā stultitiâ consilij corrupisset: castris suis non ausus confidere, Ticini se mœnibus abdidit; id deserti milites fugam interpretati sunt, & judicium Regis de victoria desperantis, prodentísque exercitum suum; quantúmque ipsi animis fracti, tantum hostes aucti sunt. Aripertus cùm jam semel fœdè peccasset, errore altero multò indigniore omnes spei suæ suorúmque reliquias prostravit. Nam cùm in Vrbem delatus, sedatiore jam animo, facti sui à semetipso rationem exigeret, neque id minùs quàm milites damnaret, remedij ferendi vel incertus, vel immemor, præterita, instantia, futuráque pari oblivione abjiciens, neque salutis modò publicæ, sed etiam dignitatis suæ ratione omni insuper habitâ, thesauros Regios compilavit, pecuniáque, quantam ferre potuit, gravis, fugam ad Francos intendit; sed in proximo flumine, quod trajiciendum nando

ARIPERTVS FVGIT.

fuit,

fuit, auri pondere demersus, vitam per ipsa vitæ subsidia amisit. Ita Regni ingressum, crudelitatis; exitum, probri plenum habuit; quod interfuit, laudatissimum fuit; eóque tantum bonæ, quantum malæ apud posteros famæ meruit. Gundebertus frater fugientem secutus, in Franciam pervenit, ibíque patriæ vel desiderio extincto, vel spe amissa, cum tribus filijs consenuit; ex quibus natu maximus Reginbertus Aurelianensem civitatem, Regibus permittentibus, Vicario Imperio rexit. Aripertus BOIORVM apud Langobardos Imperio finẽ imposuit, Anno post Christũ Natum DCCXII, quod indè à Rege Authari, qui Theodelindæ Garibaldi BOIORVM Regis filiæ, maritus fuit, perpetuâ serie, per centum vigintisex annos, in ea Gente continuatum est: quindecim enim ordine Reges numeravimus, eósque omnes Garibaldo Regi BOIORVM vel sanguine, vel affinitatibus annexos. quod quamquam annalium contextu palàm factum est, placuit tamen hanc oculis tabulam subjicere, totúmque stemma discurrentibus lineis ordinare. PERIT.

GARIBALDVS BOIORVM REX.

N. filia Evino Duci Tridenti nupta.

THEODELINDA primùm AVTHARI III.° Regi Langob. eóque sine prole defuncto, AGILVLPHO IV. Regi nupta, ex quo matrimonio nati

GVNDOALDVS Dux Astensis.

ADALVALDVS Rex Langob. sine hærede.

& GVNDEBERGA, quæ primùm ARIOALDO VI. Regi, eóq; sine prole mortuo, ROTHARI VII. Regi Langob. nupsit: hinc natus.

RODOALDVS VIII. Rex Langob. interfectus sine hærede.

ARIPERTVS IX. Rex.

N. Filia Grimoaldo nupta, qui vxoris fratrû altero cæso, altero pulso, Rex Langob. XI. fuit.

GARIBALDVS Grimoaldi filius XII. Rex.

PARTHARITVS & GVNDEBERTVS simul Reges ord. X.

ab exilio reversus, pulso Garibaldo, iterum Rex XIII. ordine.

CVNIBERTVS Rex XIV.

LVITBERTVS Rex XV.

RAGVMBERTVS Luitberto pulso Rex XVI.

ARIPERTVS XVII. Rex vltimus ex Garibaldi Boij stirpe.

An-

Anſprandus Ariperto mortuo, Regno potitus eſt, quod illi trimeſtre tantùm obtigit; tantillum ad decennalis exilij ærumnas abſtergendas indulgente Fortuna; quamquam id illi vita charius fuit, quòd Luitprandum filium ijſdem ſecum caſibus jactatum, adhuc vivus Regem ſalutatum audijt; qui, mortuo deinde Patre, aliquam BOIIS relaturus gratiam, quorum opibus viribúſque adjutus, exilium cum Regno commutârat, Guntrudam Theodeberti filiam ſibi conjugem expetijt. Nihilo tamen ſecius ſimultatibus inter vtramq; Gentem exortis, BOICA non levibus damnis affecta eſt, caſtellis pluribus à Luitprando vi captis, & Langobardorum imperio adiectis. Poſt Theodibertum THEODO quintus eo nomine, apud BOIOS imperavit, inſigni pietate Princeps, cuius clariſſimum documētum, ob raritatem exempli, à Paulo Diacono annotatum eſt, qui Romam illum ad Apoſtolorum limina profectū, precum causâ, ſcripſit, quod Gregorio II. Pontifice Maximo, Indictione decima quarta contigiſſe, ex Anaſtaſio ſcimus. Hæres huius pietatis felix poſteritas, facem

Paul. l. 6. c. 43.
GVNTRVDA BOIA LVITPRANDI REGIS LANGOB. CONIVX.
l. 6. c. 58.
THEODO V BOIORVM DVX.
Vita S. Corbiniani apud Sur. t. 5.
Arnolf. t. 25. antiq. lect.
Paul. l. 6. c. 44.
AN. CHRI. DCCXVI.
Anaſt. in Greg. 2.

cem

BOII SACRIS PEREGRINATIONIBVS ADDICTI.

D.CORBINIANVS BOICAM THEODONE IMPERANTE INGREDITVR.

EIVS SANCTISSIMI MORES.

cem à ſuo Principe accenſam prælucet hodiéque orbi Chriſtiano; neque enim facilè Gentem reperias ſacrarum peregrinationum ſtudioſiorem. Porrò Theodo pietatis ſuæ fructus vberes tulit, ínq; his eximium illum, quòd BOICÆ ſanctiſſimum virum Deus, eo vivente, ſubmiſit. Corbinianus hic fuit in Melitonenſi agro, qui à Meloduno Gallorum Senonum vrbe nomē accepiſſe videtur, natus; virtutum virilium jam in pueritia compos, humanis rebus altior, earum vt fugacium, fallentiúmque amatores ſuos, ambitioſas etiam ſpes procul relegavit, Deo contentus; cui vni, cùm in Monaſterio, quod ad D.Germani Ædem ipſe condiderat, caſtiſſimis obſequijs annos quatuordecim ſervîſſet, virtutum prodigiorúmque famâ, totam in ſui admirationem Galliam rapuit; vt in parte felicitatis collocaretur, divinum virum vidiſſe, pependiſſe ab ore loquētis, commendaſſe illi ſpes ſuas; fuítque cùm Pipinus Heriſtallus Equitum Magiſter, ſive, vt à Francis vocabatur, Maior Domus, id pro ſummo munere expoſceret, vt patrocinium ipſius apud Deum optimus ó-

rator

rator susciperet. Ita virtus Corbinianum in lucem protraxit, quantumvis tenebras affectantem, in quibus præter se & Deum neminem nôsset, vicissim ipse alijs omnibus ignotus; quæ illi etiam causa fuit, vt desertâ patriâ, quæ ipsius otium prodiderat, Romam peteret, vtique illic latebras reperturus, vel iuxta Martyrum sepulchra, vbi inter beatos illos mortuos situs felicissimè viveret. Sed huic secessui dũ toto pectore inhiat, optatæ quietis in ipso portu naufragium fecit. Gregorius enim Pontifex, quem consilij sui arbitrum legerat, viri sanctitate summáque prudentiâ perspectâ, negavit tam fœcunda esse bonorum virorum ea tempora, vt post quantacunque Christianæ militiæ stipendia, missionem efflagitantibus, dari vacatio possit; magnæ virtuti non modò sepulchrum non quærendũ; sed sicubi defossa lateat, non tantùm votis evocandam, sed & manibus effodiendam esse: se quidem Ecclesiæ Dei talem virum nec velle, nec posse invidere; neq; integrum sibi esse, privata illius commoda ante rationes & emolumenta publica ponere. Proinde quantumvis invitum, FVGA ROMANA.

CONSECRATIO.

& onus deprecantem Episcopum creat, addito honoris causâ pallio, quod Archiepiscoporum insigne est, raro privilegio Episcopis extra ordinem concessum; potestate insuper amplissima impertitꝰ, qua sibi sciret orbem terrarum patere, & provinciæ suæ terminos cum Sole mensus, studeret de toto genere humano bene mereri. Sic Pontifex Corbinianum à se dimisit; quem in Galliam reversum, admiranda opera, & auctæ cum honore virtutes multò etiam reddidere celebriorē; sed ipse etiam verissimarum laudum impatiens iterum fugam parat, quasi non & fama fugientem præcurrere, aut gloria sequi soleret. Eo in itinere BOICAM attigit, cui Theodo, vti diximus, ea tempestate præerat, tribus filijs felix, quos ipse in consortium Imperij, Provinciâ omni in quatuor partes divisâ, admiserat. Hic de tanti viri adventu certior factus omnia egit, vt illum à consilio institutæ profectionis averteret. Vbj animum tenacem propositi expugnari posse desperavit, donatum muneribus honorificè à se dimisit; neque deinceps vlla Theodonis apud Scriptores est memoria.

moria: à Patre Corbinianus ad GRIMOALDUM filium venit, qui Frisingæ Regiam collocârat; ibi iterum omnibus amoris & benevolentiæ machinis tentatus est, etiam æqua cum filijs hæreditatis portione promissâ mansuro. At ille in sententia perstitit, & cum Grimoaldi comitatu Italiæ fines ingressus est, veteres spes suas Romæ persecuturus. Imperatum tamen Vallis Venustæ incolis, viciníque populis, Grimoaldi nomine, vt reditu viri explorato, aliò ipsum, quàm ad Boios, divertere ne paterentur. Eum inter Breonum saltus nox oppresserat, quam dum securus cum suis, sub Jove frigido, exigit, vrsus sarcinarium Corbiniani equum incustoditum nactus, in prædam & cibum vertit; sed longas intempestivæ gulæ pœnas dedit, equi vicem subire ab eo jussus, tergo sarcinas accepit, & inter dossuaria jumenta placidus Romam vsque deambulavit; mirante Italia in bellua indocili huius obsequij patientiam, quin hodiéque, in imagine, Corbinianum clitellarius vrsus, sicut leo Herculem, prodit. Porrò etiam hominibus magno stetit, Corbiniani equos furto ap-

HONORES ILLI IN BOICA HABITI.

VRSO SARCINAS IMPONIT.

to appetîsse; duo certè abactores graviùs, quàm vrsus plexi sunt; nam Husingus Tridentinæ vrbis præfectus, scelus suum incomparabili jactura, totis præsepibus peste exhaustis, luit luxítque. Ticini verò alius quispiam idem ausus capite suo pœnas dedit, inspectante Corbiniano, tumulo illatus. Tamen post tot mira, quæ toto itinere sparsit, otium, pro quo Romæ apud Pontificem disertissimè iterum supplicavit, impetrare non potuit: Modestia tamen viri etiam nostro seculo admirationem habet, quo nulla rariùs Romam causa defertur, quàm honores deprecantium. Ergo irritus spei relegit iter suum, & in Majensi castro, à Boiis exceptus, jussus est tantisper subsistere, donec Grimoaldus de illius adventu redderetur certior. Non ingrata omnino camora fuit, quòd Valentini Batavensium Episcopi, cujus res gestæ superiori à nobis libro descriptæ sunt, sacra ossa Maijs condita devenerandi occasio offerretur. Reversi à Grimoaldo Legati summo illius desiderio Principem teneri nunciant: Sed inciderat res tum primùm Corbiniano comperta, quæ ejus animum à Grimoaldi

(*vulgo* Mätsch / *non procul Merania Tiroleos.*)

MAIIS A BOIIS EXCIPITVR.

di amicitia prorſus avertit; is enim Theodibaldi fratris nuper extincti vxorem Pilitrudem è Francia oriundam, forma illius captus, inceſtis ſibi nuptijs copulârat; quod factum adeò non diſſimulavit improbare Corbinianus, vt renunciari Principi juſſerit, non poſſe ſibi cordi eſſe hoſpitium, cui tot probra immigrârint, neque dexteram illam contacturum, quâ fides data ſit adulteræ; horrere ſe Regiam non modò infamiâ, ſed etiam furoris divini incendio conflagrantem, quod ſopiri aliter niſi pœnitudine ſceleris, & lachrymis non poſſit. Hæc tam ſevera denunciatio Grimoaldum graviſſimè, ſed Pilitrudē ſuprà quàm credi poteſt commovit; nam pudore pridem conſumpto, ad artes converſa adulterarum, funeſta cœpit conſilia coquere. Nihil eorum Corbinianum latebat; noluit tamen periclitanti capiti, ſuo ſilentio patrocinari; ſed contendere inſuper cum procaciſſima fæmina inſtitit, vtrum illa Herodiadis, an ipſe Ioannis partes fideliùs impleret: quadraginta ipſos dies quà monendo, quà minando conſumpſit, donec infamem pertinaciam felix eloquentia

SVMMA LIBERTATE GRIMOALDVM PRINCIPEM OFFICII ADMONET.

triumphavit. Adfuere malè-conciliati conjuges, & strati ad Episcopi pedes incestas nuptias ejurârunt, juxtáque cum Deo Deíque interprete in gratiam redierunt. Tum Ædes, quæ Frisingæ jam indè à Maximiliani Martyris ætate D. Virgini sacra steterat, Episcopatus sedes constituta, cui Majensem agrum D. Valentini tumulo confinem, qui vulgo Camina dicebatur, Grimoaldi beneficio redemptum, & SS. Valentini & Zenonis memoriæ dicatum Corbinianus contribuit, vite, & omnis generis felici arbore instructum: huic fundum alterum Chories dictum nihilo ignobiliorem adiicit, argento, quod à Pipino Heristallo dono acceperat, præstinatum. Interim coalescentes mutuis officijs animos, contracta inter mensas offensiuncula rursus dissociavit. Episcopus vsitata cærimonia epulis bene precatus, advertit Principem panis bucceam cani objectare; ídque non modò indignissimè tulit, sed sede sua proripiens semet, eversáque mensâ, triclinio excessit, negans sibi cum ijs commune quidquam fore, apud quos sacri profaníque nullum discrimen esset, quíque ex Chri-

Arenbek. l. 2. c. 17. & 18.

FRISINGÆ SEDEM PONTIFICIAM STATVIT.

STVPENDVM PRISCI RIGORIS ARGVMENTVM.

Christiano caninum prandium facerent. Factum Episcopi, cui simile quantumvis rigida vetustas ægre subjecerit, Piljtrudis apud Principem invidiosissimè traduxit, dictitans, illum non modò connubiorũ, sed conviviorum turbatorem imperium sibi quærere in Principes; antea Regiam, nunc mensam abominatum; crustulam vnam cani obiecisse; ab eo sacrilegium reputari; ipsum interim sanctum hominem totas mensas evertere; non ferendum esse tam tristem animadversorem, qui superstitiosas in triclinio & thalamo leges dictet, eâ tantùm gratiâ, vt sæpius par Principum advolutum pedibus suis videat. G[illegible]moaldus nihil moratus latrantem fœminam, è vestigio misit, qui suam sive imprudentiam, sive temeritatem Episcopo purgaret; ipse cum proceribus insecutus, eadem corporis animíq; submissione, erroris sui veniam petijt, quâ nuper adulterij impetrârat. Verùm hæc Principis, virtutem sancti Viri venerantis, obsequia, Cœlum extraordinarijs favoribus longè superavit. Mons Vrbi imminet, nunc D. Stephani Cœnobio, olim modicâ Ædiculâ insignis, precum causâ

Svbmissio animi in viro Principe.

Corbiniano familiaris. Fuit cùm ægritudo invitum domi detineret, clero eodem commeante; sed absentis vices beati Genij explevere suavissimis vocibus, & luce plus quàm meridiana divinitatis præsentiam contestati: cúmque hæc sublata ex oculis & auribus fuissent, hæsit tamen odor loco, melius aliquid, quàm nostri orbis balsama spirans: vnde illum cordi esse Deo interpretatus Episcopus, in posterum sibi incolendum censuit; útque molesto subinde aquæ onere suos levaret, post pias preces scipione terram perculit, effossáque scrobe aquam eduxit; quæ cuiusnam beneficium esset luculentè ipsa testata est, quando Corbiniano mortuo protinus exaruit; & post quinquaginta demum annos, eius corpore Frisingam relato, iterum emersit. Paulò pòst novæ à Pilitrude turbæ ortæ; Filiolum illa morbo ad extrema deductum, carmine magico excantandum, notissimæ Lamiarum dederat; & verò visus est puer post illius execrabiles nænias vires recepisse; actæque illi gratiæ, vt Principum sospitatrici; adjecta etiam munera, tam largè quidem, vt aliquot baiuli sub onere

AQVAM E S. STEPHANI MONTE CORBIN. PRECIBVS EDVCIT.

PRÆSTIGIATRICEM ANVM DVRE ACCIPIT.

onere sudârint: in hunc comitatum Episcopus, cùm ad D. Virginis sub vesperum iret, commodùm incidit; quid rei esset, aut vnde se ferret, quærenti, Strix ipsa beneficia sua in Principis familiam cum fastu denarrat; hęc depulsæ mortis, vitæque redditæ sibi præmia ferri. Expugnata est, indignitate facti, omnis Corbiniani patientia; ipse equo deruens Lamię os infestis manibus petit, eique alternatim probra & verbera liberalissimè ingerit, partámque malis artibus prædam in mendicabula dividit; reliquum iræ mixtum lacrymis, in Grimoaldi levitatē toties degenerantis effundit. Interim Canidia passo crine, & horrifico vlulatu laniati oris larvam Regiæ inferens, vulnera sua Pilitrudi adnumerat; hæc esse Divinæ artis, qua filium ipsi reddiderit, stipendia; hæc passam se à mitissimo virorum, indignante, quòd ex Principis familia non duci funus videat; hoc nimirum scelus centum plagis luendum fuisse. Quibus lamentis Pilitrudis penè in furorē acta, Grimoaldum vt lentum & secordem palàm detestatur, qui non modò ad probra sua non evigilet, sed latronem domesticum sinu PILITRVDIS ILLI NECEM MACHINATVR.

& oculis ferat; quid enim aliud, quàm euersionem familiæ moliri, qui illam penè occiderit, cuius beneficio spes vnica posteritatis vitam receperit? vxoris sibi antea titulum ereptum, nunc etiam matris nomen adimi, vt marito spoliata & filio, humanísque omnibus orba solatijs, videns vivénsque pereat: quid ergo aliud sibi superesse, quàm vt ne inulta, plenum Episcopo tot cladium sibi suísque illatarum, gaudium relinquat? E vestigio itaq; Ninum emancipatæ ad omnia scelera audaciæ ministrum, in caput Corbiniani armat; infamatáque parricidio proxima nox fuisset, nisi compertas insidias fugâ declinasset, Maias enim abijt, jam pridem secessu illo pleno sanctitatis captus: nuncios tamen de via ad Grimoaldum ablegat, qui imminentem illi Numinis iram vaticinentur: Nihildum de fuga Episcopi, aut Vxoris scelere cognoverat Grimoaldus; sed consternatus tot tristium denunciatione, honestissima legatione dimissa Corbinianum in aulam revocat; Ille id tantummodo respondit, sequi se maximi viri exemplum, qui etiam ipse Iezabelem fugerit. Paulò pòst

CORB. MAIAS FVGIT.

pòst Cælestis vindicta toto in Grimoaldum pondere incubuit. Filius primùm, qui magicis devotionibus morbum pepulisse visus, breve parentibus gaudium fecerat, subitò extinctus est; Grimoaldus ipse occultis insidijs appetitus, solio pariter & vita excidit: Ninus in Corbiniani caput emptus percussor, meditati sceleris, etsi non patrati, pœnas dedit; lanceâ enim trajectus, dum alvum levat, etiam impuram animam eiecit. Pilitrudis suorum funera duxit, & neque hoc quidem impetravit, vt citò, & cum suis periret, longos Fortunę & miserabiles ludos datura. Carolus Pipini ex Alpaide filius, qui Martellus dictus est, anno septingentesimo vicesimo secundo, BOIOS bello devicit; causa non proditur: rebellionem fuisse suspicor; quæ sequenti anno infeliciter resumpta Carolum iterum in BOICAM traxit, qui subactam provinciam partis longa pace thesauris multavit, abductâ etiam Pilitrude; valuitque ea, formæ & blanditiarum lenocinio, aliquamdiu apud victorem, donec gratia & loco bonisque omnibus deturbata, præter asellum reliqui nihil habuit,

DEI VINDICTA IN FAMILIAM PRINCIPIS.

AN. CH. DCCXXII. CAROLVS MARTELLVS BOIOS BELLO VINCIT.

Annal. Fuldens. Herman. Fredegar. cap. 108.

qui ingratum terræ pondus diu circumtulit, dum exilia identidem mutat, vt plurium mortalium ſannis configeretur: Italia tandem, neſcio an expiatæ tumulum dedit. Etiam filijs damno fuit impiam matrem habuiſſe: nulli ex ijs felicior vita, ſed neque mors obtigit. Tot ſupplicijs vindicata Corbiniani innocentia eſt. HVGIBERTVS, qui ex Theodonis filijs ſolus ſupererat, devoluto ad ſe totius BOICÆ Imperio, tot triſtibus motus exemplis, vel quia viri virtutem ſuſpexerat, eundem ad ſe accerſivit, ſummóque in honore habuit. Is mortis propinquæ certus, Erimbertum fratrem ſuum ad Luitprandum Regem Langobardorum miſit, rogatum, vt auctoritate ſua Maienſium prædiorum poſſeſſionem Friſigēſi Eccleſiæ ſtabiliret, eodémq; corpus ſuū inferri pateretur. Idem ab Hugiberto per internuncium petijt; & octavo deinceps die, lotus raſúſque, peracto ſacrificio, domi reſedit, libatóque ſummis labris vino, fronti Crucem impreſſit, & quieturo quàm morienti ſimilior animam efflavit. Friſingenſes, contrà quàm vivus præceperat, mortuum ad D. Mariæ huma-

HVGIBERTVS S. CORBIN. AD SE INVITAT.

CORBIN. SANCTISSIME MORITVR.

humârunt, intempeſtiva pietate; ſed ſubſequens triginta dierum tempeſtas & procelloſi imbres, Principem populúmque ſupremæ voluntatis admonuere. Exhumatum igitur corpus eſt, nullo tabis indicio, & ne minimo quidem livore corruptum; ſed ea potiùs ſpecie, vt revixiſſe nonnullis videretur; nondum enim vigor, qui cõſtat ex ſpiritu, deſtituerat vultum; quinimo calidus de naribus ſanguis profluxit. Vbi Majas, cum ſacro pignore, perventum eſt, quia locus ille de Boiis nuper captus fuerat, ſuſpicio inſidiarum Langobardis mota eſt: ſandapilam ſcrutati, cadaver non aliter, quàm viuam ſpirantémque virtutis imaginem aſpexere, ſine vlla mortis injuria; recenti iterum ſanguine de naribus bulliente. Acceſſere prodigia plura, famam Corbiniani latè propagantia; arſere ad tumulum accenſæ de Cœlo faces, diémque templo intempeſta nocte intulerunt; mira itidem odoris fragrãtia diffuſa, ne poſt tot documenta ad omnes penè ſenſus pertinentia de Cœleſtibus honoribus Corbiniani virtuti decretis dubitare fas eſſet. In trigeſimum annum octavi ſeculi

Mira a morte patrat.

Tt 5 aut

aut paulò vltrà, annales tanti viri obitum referunt; à quo tempore Ratharium Reginoburgensem Episcopum non procul abfuisse, ex eo convincitur, quòd Arnolfus ab Hugiberto Grimoaldi successore, monasterio S. Emmerammi fundũ Pirchinvvach dono datum sub Ratharío Episcopo disertè scripserit; vt vanum esse oporteat illorum commentum, qui Ratharium hunc Emmerammo faciunt vetustiorem.

RATHARIVS EPISCOPVS REGINOB.

Arnolf l.1. de S. Emmer. c.1. Ratharium Adventitium Episcopum nominat.

IX.

AT enim quod in Cœlestium orbium rotatione jucundissimum Naturæ munus est, vt occidentibus alijs sideribus, nascantur identidem emergántque nova, vicariam lucem terris impertitura; idipsum providit in BOICA Deus, nunquam passus ita suis luminibus mœrentem orbari, quin nova fax alterius ad occasum properantis locum expleret; ita certè hucusque illustrium sanctitate virorum funera luximus, vt complorationem semper gratulatio exciperet, novo & fortasse majori hospiti impendenda, qui jacturam, quam Christiana res vnius morte factura erat, in tempore averteret, id quod etiam nunc vsuvenit. Nondum

dum Corbinianus Cœlo receptus fuerat, cùm maximi iterũ nominis vir, Deo ducente, pedem in BOICA posuit. Bonifacius is fuit, qui Germaniâ omni, sudore vel sanguine rigatâ, ingentibus factis solus implere annales possit. Natus inter Britannos Anglis parentibus, summo genere, primum ævi florem Deo & virtuti consecravit. Factus ex Monacho sacerdos Frisios adijt, pietatẽ Genti illaturus: quam vbi parum ex merito aut voto suo æstimari vidit, Romam profectus operam suam Gregorio II. Pont. Max. addixit, qui potestate amplissima donatum Germaniæ remisit; quo in itinere BOICAM obiter lustravit; sed quòd suæ opis minùs egentem animadverterat, ad Thuringos & Hassos perrexit, & vtrosq; summa fide excoluit; cúmque vnus neque tot laboribus neque adeò lucris sufficeret, auxiliares copias domo advocavit, ipsum florem virtutis, ex vtroque sexu collectum; ex quo numero Willibaldus, & Wunebaldus, eorúmque germana soror Waldburgis, & Chunitruda in BOICAM submissi, optimè de Gente vniversa meriti, immortale sibi nomen pepererunt.

D. BONIFACIVS BOICAM LVSTRAT. *Vita apud Sur. t.3. & Canis. t.4. Antiq. lect.*

Pet. Stevartius in Not. ad vitam S. Waldburgis.

runt. Wilibaldo Wunebaldóque Regij ſanguinis viris, ex Italia ad Bonifacium properantibus Sebaldus ſe junxit, etiam ipſe Regum proles; quorum voto olim donatus, cùm inter literarũ virtutúmq; ſtudia adoleviſſet, nuptijs haud ſpontè irretitus, ſponſam non attigit, noctíſque beneficio abuſus aulâ paternâ clam exceſſit, & voluntarius exul annis quindecim latuit, ſoli Deo notus. Romam deinde religionis causâ profectus, Gregorij II. Pont. iuſſu in Germaniam redijt; quæ illi luſtrandæ BOICÆ occaſio fuit; Reginoburgum certè ingentium illius prodigiorũm conſcium, hodie etiam felici hoc hoſpite gloriatur. Focum illic excitaturo glacialis ſtiria pro fomite fuit, quæ igne, naturæ ſuæ oblita, concepit, aluítq; quovis ligno fideliùs. Danubium, cùm navis copia non eſſet, penulâ inſtravit, quæ illum, ſolâ velificante remigantéque innocentiâ, in adverſo littore ſalvum ſiccúmque expoſuit. Silvam deinde proximam ingreſſus, inter caſtiſſimas preces ævum egit; incolis nihilominus, viciniæque Divinam Legem explicavit; mortuũ boves indomiti ad eum locum vexere, quem

D. SEBALDI VITA ET VIRTVTES.

Conr. Celt. Hartman. Schedel. Trithem. in Chron. Hirſaug. Cratepol. de SS. Germ. Vita patriâ linguâ edita.

quem humando corpori legerat; ex quo tempore, vt Noribergensis Vrbis tutela cælestibus honoribus cultus est, donec Cives religionis pietatísque à Sebaldo haustæ odium cepit. Trigesimo primo post septingentesimum anno, Gregorio Secundo, Tertius eodem nomine successit; qui non modò rata omnia habuit, quæ Bonifacio honoris causâ concessa fuerant, sed & honestissimo ea additamento exauxit, cùm ipsum Archiepiscopi dignitate & Pallio decoravit. Periclitari per ea tempora Christiana res in BOICA cœpit, Erenvvolfi pestilentis hominis molitionibus concussa: qui cùm de rebus divinis non rectè sentiret, rude vulgus perniciosâ eloquentiâ in societatem insaniæ suæ pertrahere laborabat. Bonifacius serpenti malo in tempore occursurus, itinere in BOICAM suscepto, lupum illum diris devotúm à Christiano ovili submovit, iísque, quibus jam malum dentem infixerat, medicinâ opémq; attulit. Trigesimo deinde octavo eius seculi anno, iterum Romam profectus, BOIOS etiam in suo comitatu duxit. Ingressus illius in Vrbem triumphi propè spe-

AN. CH. DCCXXXI.

ERENWOLFVS HÆRETICVS BOICA EXACTVS.

AN. CH. DCCXXXVIII. BOII D. BONIFACIVM ROMAM SEQVTI.

ſpeciem habuit; nam cùm conſtaret, virum illum non vnius Gentis ſuperſtitione debellata, & Germaniâ pleraque ad Divinæ Legis obedientiam edomitâ, Chriſtianis armis veteres victorias longè ſuperaſſe, digniſſimus viſus eſt, cui tota Roma applauderet; certè præſentis veneratio, quàm abſentis fama, major fuit; nihil non à Pontifice impetravit; decreti maximi honores, & dona omnis generis, ſacri inprimis Divorum cineres, quibus nihil vnquam pretioſius Roma habuit. Scriptum eſt etiam Pontificis nomine ad Germanię populos de ipſo Bonifacio honorificentiſſimè; ſeparatim etiam ad BOIARIÆ & Alemanniæ Epiſcopos, quæ literæ hodiéque extant: ijs ſignificat, Bonifacio ſuas ſe vices demandaſſe, & convocandorum Comitiorũ poteſtatem feciſſe, quocunque loco ipſe opportunum judicaſſet, ſive ad ripam Danubianam, ſive in Auguſtana civitate mallet. hortatur etiam, ne vel ſibi, vel populo fucum fieri patiantur à circumforaneis quibuſdam erronibus, qui larvâ pietatis obtecti, magna nomina, Epiſcopatus & Sacerdotia jactabãt, & Reli-

GREG. PONTIFEX. AD BOICÆ EPISCOPOS SCRIBIT.

Religionis magiſterium profeſſi, dogmata veneno adipata ignaris & fallaciæ ſecuris inſtillabant. Huic malo BOICA maximè obnoxia, ſacros homines jam olim venerari, & ſuſcipere velut lapſos Cœlo ſolita, facilè in impoſtores impingebat; candoríſque ſui, & nimiæ credulitatis graves pœnas pendebat, in fraudes erroréſque inducta. Id VTILONI animadverſum, qui Hugiberto vita functo, ſive filius, ſive quo alio nomine hæres, anno trigeſimo nono in Principatu ſucceſſit. Bonifacium ergo, qui mederi vnus omnium ſcitiſſimè his malis poſſet, ad ſe invitat; illius adventus provinciæ ſaluti fuit; malorum ſegetem in herba, incendium in ſcintilla oppreſſit; &, ne quid olim renaſci poſſet, etiam in poſterum providit: provinciam omnem in Diœceſes quatuor deſcripſit; tribus, quæ paſtore orbæ erant, præſides dedit, Salisburgenſibus, ex monaſterio D. Petri Ioannem præfecit; Friſingenſibus Erimbertum Corbiniani nuper defuncti fratrem; Reginoburgenſibus Gaubaldum ſive Garibaldum præpoſuit. Supererat Laureacenſis Sedes, quæ cum Batauenſi jam coa-

Arnolf. Comes lib. 1. de S. Emmer. c. 1. horum etiam meminit.

AN. CH. DCCXXXIX.

VTILO BOICÆ PRINCEPS BONIFACIVM ADVOCAT.

Arenp. l. 2. c. 23. & MSS. plures.

BONIFACIVS IN QVATVOR DIŒCESES BOICAM DESCRIBIT.

coaluerat, in qua post Philonem & Brunonem vnius Theodori nota literis successio: huic non ita pridem Vivilum seu Vivilonem Gregorius suffecerat, cuius Bonifacius, vti & reliquorũ Provincias, certis limitibus distinxit. Quadragesimus primus ánnus Carolo Martello fortissimo Principi fatalis fuit, cùm sex & viginti annis Franciæ gloria eo vno potissimùm nixa fuisset, ijs quidem conflictata periculis, quæ Regno extrema fuissent, nisi sæculo illi Martellus obtigisset. Saraceni animo impij, sed armis felices, occupatâ maximâ parte orbis terrarum, ex Hispaniâ infusi Galliæ, vltima omnia non tantùm Francicò nomini minati, quidquid vsquam esset Christiani sanguinis, sitiebant. Hos tamen tot triumphis ferocientes Martellus non repressit modò, sed maximis duobus prœlijs concîdit, partâ in vtroque immortali famâ, quâ non suæ modò ætatis, sed omnis ante se memoriæ Ducum gloriam vel æquavit, vel vicit. Posterioris tamen victoriæ, quæ illustrior etiam primâ fuit, partem BOII sibi vendicant, qui Otilone Duce, odio impietatis, in Franciam profecti, in debellan-

AN. CH. DCCXLI. *Annal. Fuld. Herman. & alij.*

CAROLI MARTELLI GLORIA BELLICA.

BOII CAROLO MARTELLO BELLO SARACENICO AVXILIANTVR *P. Æmil.*

bellandis barbaris egregiam operam navarunt; neque Martellus erubuit, fidos socios in consortium gloriæ admittere, sed magnificè insuper collaudatos donatósque, ob impigram militiam, domum remisit. Carolus, patriâ ab æterno hoste liberatâ, moriens, liberis intestinum bellum reliquit. Ij erant Carolomannus, Pipinus, qui postea Rex fuit, & Hiltrudis, quibus Sigebertus Remigiũ Rodomensem Archiepiscopum, nescio an ex vero, adjicit, ex quo Æmilius Ægidium Rhothomagensem fecit; Gripho denique ex Suanhilde Boici sanguinis Principe natus, quem fratres in provinciarum sortitione præteriere. Id natalium vitio, an proprio aliquo scelere commeruerit, dubium Scriptores fecerunt. Hermannus quidem disertè vt spurium notat; quam maculam qui in Griphone non agnovere, immoderatę tamen eundem ambitionis arguunt; eâ impulsum, parente mortuo, spe amplissimi Imperij in se vnum devolvendi, fratribus bellum movisse, sed viribus imparem tota deinceps hæreditate excidisse. Id constat, Suanhilde faces admovente, Laudunum occupasse,

Gripho Car. Martel. fil. matre Boia natus in Francia tumultuatur.

Tom. 1. antiq. lect. an. 748.

Continuator Aimoini

Adelmus sive Ademarus quem Vrspergi secutus est.

coaluerat, in qua poſt Philonem & Brunonem vnius Theodori nota literis ſucceſſio: huic non ita pridem Vivilum ſeu Vivilonem Gregorius ſuffecerat, cuius Bonifacius, vti & reliquorũ Provincias, certis limitibus diſtinxit. Quadrageſimus primus ánnus Carolo Martello fortiſſimo Principi fatalis fuit, cùm ſex & viginti annis Franciæ gloria eo vno potiſſimùm nixa fuiſſet, ijs quidem conflictata periculis, quæ Regno extrema fuiſſent, niſi ſæculo illi Martellus obtigiſſet. Saraceni animo impij, ſed armis felices, occupatâ maximâ parte orbis terrarum, ex Hiſpaniâ infuſi Galliæ, vltima omnia non tantùm Francico nomini minati, quidquid vſquam eſſet Chriſtiani ſanguinis, ſitiebant. Hos tamen tot triumphis ferocientes Martellus non repreſſit modò, ſed maximis duobus prœlijs concîdit, partâ in vtroque immortali famâ, quâ non ſuæ modò ætatis, ſed omnis ante ſe memoriæ Ducum gloriam vel æquavit, vel vicit. Poſterioris tamen victoriæ, quæ illuſtrior etiam primâ fuit, partem Boii ſibi vendicant, qui Otilone Duce, odio impietatis, in Franciam profecti, in debellan-

AN. CH. DCCXLI.
Annal. Fuld. Herman. & alij.
CAROLI MARTELLI GLORIA BELLICA.
BOII CAROLO MARTELLO BELLO SARACENICO AVXILIANTVR
P. Æmil.

bellandis barbaris egregiam operam navarunt; neque Martellus erubuit, fidos socios in consortium gloriæ admittere, sed magnificè insuper collaudatos donatósque, ob impigram militiam, domum remisit. Carolus, patriâ ab æterno hoste liberatâ, moriens, liberis intestinum bellum reliquit. Ij erant Carolomannus, Pipinus, qui postea Rex fuit, & Hiltrudis, quibus Sigebertus Remigiū Rodomensem Archiepiscopum, nescio an ex vero, adjicit, ex quo Æmilius Ægidium Rhothomagensem fecit; Gripho denique ex Suanhilde BOICI sanguinis Principe natus, quem fratres in provinciarum sortitione præteriere. Id natalium vitio, an proprio aliquo scelere commeruerit, dubium Scriptores fecerunt. Hermannus quidem disertè vt spurium notat; quam maculam qui in Griphone non agnovere, immoderatę tamen eundem ambitionis arguunt; eâ impulsum, parente mortuo, spe amplissimi Imperij in se vnum devolvendi, fratribus bellum movisse, sed viribus imparem tota deinceps hæreditate excidisse. Id constat, Suanhilde faces admovente, Laudunum occupasse,

GRIPHO CAR. MARTEL. FIL. MATRE BOIA NATVS IN FRANCIA TVMVLTVATVR.

Tom. 1. antiq. lect. an. 748.

Continuator Aimoini

Adelmus sive Ademarus quem Vrspergi secutus est.

fratrésque provocasse priorem, eventu tamen parum prospero; ipse enim paulò pòst in eadem vrbe, quam in arcem belli legerat, obsessus, oppressúsq; à fratribus, temeritatis pœnas dedit, faciles quidem illas, & pietate temperatas; in munitum duntaxat Arduennæ silvæ castrum, cui Novo nomen fuit, custodiendus missus. Equidem vt pronior in illorum sententiam sum, qui Griphonem probro natalium eximunt, ita etiam spurio nego causas defuisse magna audendi; cèrtè vt alia omnia deessent, Caroli Martelli Patris exemplum in oculis erat, cui infamia cunarum ad summos honores capessendos si obstitisset, quas tandem Pipinus & Carolomannus sortituri divisuríq; provincias fuissent? cùm in eas olim Patri nihilo plus juris fuerit, quàm ipsi Griphoni esse tunc vellent. Facilè igitur persuaderi poterat feroci Juveni, vt paternis potissimùm vestigijs ad gloriam grassaretur, & quod nascendi conditio immerenti negasset, manu sibi quæreret, crederétque eam pulcherrimam esse hæreditatem, quam non alieno suffragio, sed suo gladio deberet. Verùm vtcunque se res hæc habeat,

Nicol. Serar. in Epist. 26. S. Bonifacij.

habeat, primos Griphonis conatus, vt diximus, Fortuna destituit; Suanhildis Griphonis mater, quando prima consilia non successere, aliâ viâ privignis ægrè factura, Hiltrudi eorundem sorori persuadet in Boicam proficisci, nuptiarum cum Vtilone spe objecta. neque defuit prompta ministrorum manus, qui Rheno transvectam comitarentur. Vtilo etsi graves se eâ causâ inimicitias suscipere videbat, amori obsecutus Hiltrudem sibi despondit, altero mox anno pater Thassilonis effectus; & quia à fratribus Conjugis nihil movebatur, longiùs provectus, pro Duce, Regem appellari se voluit, eo nomine confessus, Francorum se Imperium exuisse. Id Carolomannus, sub cuius jura Boii reciderant, non ferendum ratus, assumpto etiam Pipino fratre, cum exercitu in Boicam contendit, Vtilone ad fines Provinciæ, virium confidentiâ, occurrente. Ad Lycum vterque exercitus convenit, & diu neutro transgredi auso, convitijs, quæ vtrinque jaciebātur, pugnatum est; donec obsaturati ijs Franci, reperto vado, in adversam ripam evasere, noctéque ad frau-

Fredegar. in Chron.

Hiltrvdis Vtiloni desponsa.

A. Ch. DCCXLII.

Thassilo nascitvr.

Arenpeck. l. 2. c. 23. & alij.

Vtiloni bellvm motvm.

A. Ch. DCCXLIII.

Ann. Fuldens. Regino. Aimoin. Marian. Sigebert.

dem abusi, in hostes periculi securos, passímque sparsos sopitósque irruerunt; multi somnum morte continuarunt: serò, & ferè ex vltimis morientium vocibus observatum est, adesse hostem; horum eiulatus pro classico fuit; sed neque explicari signa, nec acies potuere; temerè cōgressi per noctem metuebant omnes; & vicissim ab omnibus metuebantur; cùm hostem à socio nemo dignosceret, & alius voce, alius silentio proderetur; nusquam tutum consistere, & sæpe periculosior fuga; mortem multi, dum maximè vitant, invenerunt, pessimo errore in hostes delapsi, vel pro hoste cæsi à suis. Francus etsi multa adversus noctem hostémque provisa haberet, tamen etiam ad vulnera patuit; nam & BOIIS vltima desperatio vires dabat, cúmque pugnæ æqua potestas deesset, aderat tamen animus, qui juberet non inultos mori; vt parùm lęta Franco fuerit victoria, promptissimos suorum post pugnam desideranti. Vtilo vbi iniqua omnia sibi suísq; vidit, paucis comitantibus discrimini se subduxit, præcipiti fugâ vltra Oenum flumen ablatus. Ibi demum vanam sine viri-

UTILO VINCITUR.

bus

bus iram ex damnis suis æstimans, animi tumorem demisit: videbat non eo fortiorem se fuisse, quòd Regium nomen assumpserat, imò opportuniorem Fortunæ, semper magnis titulis insidianti. Francis solis ambitionem suam profuisse, quibus ad famam aptius sit, Regem vna nocte debellasse, quàm si Ducem vicissent. Posuit igitur inutile nomen, neque in posterum profuturum, & modestiore Ducis appellatione Fortunam suam circūscripsit. Sic pax sequenti anno constituta est. Etiam Bonifacio per hæc tempora, cum fucis, quos exagitandos, exigendósque è BOICA susceperat, bella intercedebant; fuítq;, qui Episcopum se auctoritate Pontificia constitutū mentitus, graves turbas cieret; cuius nomen cùm Bonifacius, finiendæ litis causâ, ad Zachariam, qui Gregorio III. successerat, detulisset, Pontifex proprijs literis pseudoepiscopi mendaciū confutavit; potestatem insuper, quam à decessore Bonifacius acceperat, ampliavit, non modò BOICÆ lustrandæ, illustrandæq; curâ, sed omnium Galliæ provinciarum procuratione in illius humeros rejectâ, quâ perpetuò ita functus est, vt

REGIVM NOMEN ABDICAT.

Annal. Fuld. Herman. vlt. edit.

BONIFACII IN BOICA LABORES.

Epist. Bonifac. ep. 143.

vt summi infimíque non modò fidem, industriámque probarent, sed ad pios illius conatus promovendos, exornandámq; suis etiam symbolis Christianam Rempublicam exardescerent. Mirificus in eo studio Carolomannus, luculenta, omni ævo exempla daturus, quas primas deceat esse Principum curas; non contentus nobilissimum Christo Servatori Cœnobium ad Fuldam amnem condidisse, auctor etiam Bonifacio fuit, Würceburgensis & Eistadiani Episcopatuum constituendorum; quorum posterior, cùm BOICÆ fines contingat, repetenda altiùs initia censui. Wilibaldus, cuius suprà facta est mentio, trigesimo nono hujus seculi anno, Româ redux, cùm Vtilonem BOICÆ Principem ex itinere salutasset, indè ad Suiggerum seu Suiggarium Comitem Hirspergēsem digressus, haud difficulter ab eo impetravit, vt nobili Toparchiâ in meliores transcriptâ vsus, opum suarum Deum faceret hæredem. Auctorem habeo, qui ex nescio quibus tabulis exscripsit, Wilibaldū etiam Hirspergensium Insignium picturam in suæ subsidium eloquentiæ traxisse; gentilitium

CAROLOMANNVS PIISSIMVS PRINCEPS.

EISTADIANI EPISCOPATVS INITIA.

Itinerar. Sanctimonial. Heidenheim. Herman. A. 746.

S. VVILIBALDI CVM SVIGGERO COM. CONGRESSVS.

Cyriac. Spangenberg. in Hist. S. Bonif. cap. 31.

tium ijs ſcutum, colore aureo, protuberante cliuo diſtinctum, quem cervus in primores erectus pedes, nitentis in altum ſpecie, occupabat; quem contemplatus Wilibaldus, habere Suiggerum monitorem domeſticum, & magiſtrum arduarum cogitationum, dixit; præſultorem enim illum ceruum invitare dominum ſuum exemplo, ne ſegniùs ad aſtra tendat, quàm ipſe aſſurgat in ſcutum, quod etſi aureum ſit, pulchrius tamen longè eſſe cœlum. Quæ res vt vt ſeſe habeat, illud ſanè conſtat, Suiggerum in Wilibaldi ſententiam conceſſiſſe, cúmq; eo Friſingam ad Bonifacium profectum, optimam Toparchiæ ſuæ partem eius arbitrio permiſiſſe, Vtilone pietatem donationemq; Comitis prolixè approbante. Tum demum Epiſcopio condendo locus ille ad Almonium ſeu Altmülam amnem delectus, qui poſtmodum à ſucciſo querceto, quod vallem inumbrabat, Aichſtadium dici cœpit; Aureatum etiam multi appellarunt, nomen ex vicinia mutuati, vbi Aureati veteris, Hunnorum furore, vti alia multa, everſi ruinæ oſtenduntur. Wilibaldi ſtudium Wunibaldus

SVIGGERVS VTILONE PROBANTE TOPARCHIAM SVAM EPISCOPIO CONTRIBVIT.

Iacob. Gretſer. in Patron. Eiſtetenſ.

HAIDENHAIMIVM DEO SACRATVM.

frater & Walburga soror imitati, Heidenhaimij, virorum ille, hæc fæminarum cætus coëgit, religiosísq; domiciliis distinctos, sanctissimis præceptis & exemplis imbuerunt.

X.

D. STVRMIO BOIVS FVLDENSE COENOBIVM ERIGIT.

A. CH. DCCXLIV.

Vita eius à S. Aegil. Abb. Fuld. conscripta extat apud Christ. Brovv. in Siderib. Ill. Vir. & SS. Germ.

PORRO silentio transmittendum non est, etiam Fuldensis Cœnobij initia, in quantamcunque amplitudinem deinceps provecta, BOICÆ in acceptis referenda, quæ primum loco illi incolam, conditorémq; submisit. Is Sturmio fuit, nobili apud BOIOS genere natus, quem Bonifacio parentes etiamnum adolescentulum, altam in eo indolem suspicienti, de manu in manum tradiderunt. Sub hoc magistro primum virtutis tirocinium posuit; quo exacto, Frideslariæ S. Wigberto laborum operúmque Bonifacij socio excolendus est datus. Inter tam felices adultus manus, sacrísque initiatus Sturmio, volente Bonifacio Buchoniæ silvę recessus lustravit, delectatúsque regionis ad Fuldam amnem adsitæ opportunitate, locum Monasterio capit, eóque liberalitate Carolomanni potitus, tecta pro præsente copia, anno DCCXLIV, molitus est, modicis adhuc opi-

opibus, ad quas paupertas non erubesceret; loci tamen angustias magnis virtutibus dilatavit; neque domesticis quidem contentus, peregrinas etiam invehere institit. Monasteria Italiæ omnia adijt, & quidquid sanctitatis Roma habuit, oculis admovit; nullum religionis Gymnasium præterijt, ex nullo non seipso melior recessit: inter quæ pia lucra annum versatus Fuldam redijt, ibíque capacissimum pectus, quo omnia Monastices arcana complexus fuerat, exoneravit, visa in mores induxit, vt omnes Deum amandi artes, illic velut in compendio spectarentur: quæ Bonifacio causa fuit, vt ad Superos abiturus, mortalitatis exuvias hoc potissimùm loco cuperet deponere: quo Thesauro, non sine invidia, Fuldam illato, nihil mirandum fuit, etiam cæteras opes crevisse; quæ quidem tantæ, vivente Sturmione, fuere, vt quadringentis Monachis (eovsque enim numerus excreverat) alendis sufficeret; præter familiæ dimensum, & liberalem sportulam, quâ pauperũ annona levabatur. Et verò ipsa BOICA memor ingentium bonorũ, quæ Bonifacio referebat accepta, pio

HAIDENHAIMIVM DEO SACRATVM.

frater & Walburga soror imitati, Heidenhaimij, virorum ille, hæc fœminarum cætus coëgit, religiosísq; domiciliis distinctos, sanctissimis præceptis & exemplis imbuerunt.

X.

D. STVRMIO BOIVS FVLDENSE COENOBIVM ERIGIT. A. CH. DCCXLIV. *Vita eius à S. Aegil. Abb. Fuld. conscripta extat apud Christ. Brovv. in Siderib. Ill. Vir. & SS. Germ.*

PORRO silentio transmittendum non est, etiam Fuldensis Cœnobij initia, in quantamcunque amplitudinem deinceps provecta, BOICÆ in acceptis referenda, quæ primum loco illi incolam, conditorémq; submisit. Is Sturmio fuit, nobili apud BOIOS genere natus, quem Bonifacio parentes etiamnum adolescentulum, altam in eo indolem suspicienti, de manu in manum tradiderunt. Sub hoc magistro primum virtutis tirocinium posuit; quo exacto, Frideslariæ S. Wigberto laborum operúmque Bonifacij socio excolendus est datus. Inter tam felices adultus manus, sacrísque initiatus Sturmio, volente Bonifacio Buchoniæ siluç recessus lustravit, delectatúsque regionis ad Fuldam amnem adsitæ opportunitate, locum Monasterio capit, eóque liberalitate Carolomanni potitus, tecta pro præsente copia, anno DCCXLIV. molitus est, modicis adhuc

opi-

opibus, ad quas paupertas non erubesceret; loci tamen angustias magnis virtutibus dilatavit; neque domesticis quidem contentus, peregrinas etiam invehere institit. Monasteria Italiæ omnia adijt, & quidquid sanctitatis Roma habuit, oculis admovit; nullum religionis Gymnasium præterijt, ex nullo non seipso melior recessit: inter quæ pia lucra annum versatus Fuldam redijt, ibíque capacissimum pectus, quo omnia Monastices arcana complexus fuerat, exoneravit, visa in mores induxit, vt omnes Deum amandi artes, illic velut in compendio spectarentur: quæ Bonifacio causa fuit, vt ad Superos abiturus, mortalitatis exuvias hoc potissimùm loco cuperet deponere: quo Thesauro, non sine invidia, Fuldam illato, nihil mirandum fuit, etiam cæteras opes crevisse; quæ quidem tantæ, vivente Sturmione, fuere, vt quadringentis Monachis (eovsque enim numerus excreverat) alendis sufficeret; præter familiæ dimensum, & liberalem sportulam, quâ pauperũ annona levabatur. Et verò ipsa BOICA memor ingentium bonorũ, quæ Bonifacio referebat accepta, pio

BOICÆ IN FVLDENSE MONAST. LIBERALITAS.

Christoph. Brovver. l. 3. Antiq. Fuld. cap. 15.

cum populis pluribus studio ad locupletandum eum locum exarsit, quem communis ille Germaniæ Pater mortuus occupasset. Extant fideles tabulæ, quibus Episcoporum BOICÆ erga Fuldense Cœnobium liberalitas est consignata. Salisburgensis Ecclesia ex Salinarum proventu talenta annua duodecim repræsentavit: Ratisponensis ex vinearum fundorúmque reditu olei tantum, quantum equi clitellarij duo lagenis deferrent: piscē insuper, insigni magnitudine, Esocem, proprium Danubij spolium. Eadem munera Batavensis Episcopus Vivilus cum fide misit; sed eo vita functo, posteros suæ pietatis pœnituit. Casei in alpibus pressi Erimberti Frisingensium Episcopi donum fuere: Wilibaldus verò Eistettensis Præsul omnem villæ vnius vsum fructum Fuldensibus transcripsit. Jam prædiorum villarúmque, à reliqua plebe Fuldensibus adjectorum, vix iniri numerus possit; certè ex sola Alemannia sive Suevia, & BOICA, aliquot millium donatio recensita, tam felicis glebæ & soli, vt fundus vnicus indomitos equos octoginta, quinquaginta boves, porcos nona-

vulgo Haussen *dicitur.*

nonaginta subinde mitteret. Sed hæc tanta ad Cœnobij opes accessio, Bonifacio pro Christi fide cæso, facta est: proinde nos ad reliqua illius acta, cùm in humanis ageret, revertamur. Virgilius per hæc tempora novum BOIARIÆ columen accessit, vt quandò fata Bonifacium aliò vocabant, respublica Christiana interim non in impares humeros incumberet. In Hibernia, nobili genere natus, in Francia deinceps, apud Pipinum primum gratiæ locum obtinuit. ad BOIOS cum insignium virorum comitatu profectum turbellæ & nubila exceperunt. Sacerdos illic insigni inscitiâ, quòd literas vix à limine salutasset, in Sacrorum administratione miserè alucinabatur, neque solennis quidem formulæ gnarus, quæ Baptismi Fonte tingendis adhibetur, quam ille fœdè deartuatam corruptámque balbutiebat. Bonifacius neminem ritè lustratum credebat, quem barbarus hic Mysta fonti admovisset; contranitentibus Virgilio & Sidonio, causámque ad Romani Pont. tribunal deferentibus; vbi Zacharias secundùm Virgilium sententiam tulit, Literis super ea lite ad

D.VIRGILIVS IN BOICAM DELATVS.

S.Eberhardi discip. in vita tom.2. antiq. lect.

In nomine Patria & Filia & Spiritus sancta.

Tom.5. Con. & tom.2. Epist. Decret.

te ad Bonifaciū datis, ipso anno DCCLIV.

A. CH. DCCXLVII. CAROLOMANNVS REGNO ABDICATO MONACHVM INDVIT.

Post triennium deinceps Carolomannus, florentissimis rebus, cùm neque de sua, neque Pipini fratris, cum quo coniunctissimus vixit, Fortuna cōqueri posset, hac ipsa illius nimia indulgentia offensus, prior blandientem deseruit, & in securiorem arcem, quò pertingere illa non posset, perfugit, obstupescente orbe terrarum Monachum professus. illo illo seculo (verba Æmilij repeto) quo Cœnobium lacrymis pœnitentiæ rigabatur, laceratáque voluntarijs verberibus terga mox cilicio tegebantur. In Soracte primùm monte consederat; sed salutantium frequentiâ interpellari otium suum non ferens, in Cassinatis Cœnobij latebris omnem pristinæ gloriæ pompam sepelivit; infra mediastinorum sortem abjectus, coquinaria vasa, quæ eluebat, reverentiùs, quàm Imperij Insignia tractabat; pulchrior sibi in sordibus & fuligine, quàm sub purpura visus; os etiam irretortum ebrio verberandum coquo præbuit, quoties minùs scitè focum adornârat. Ex culina in ovile detrusus, sereniore ibi vultu, quàm in palatio fuit; hinc ille olim

Regino in Chron. an. 746. Leo Ostiens. Chron. l. 1. c. 7.

tot

tot Gentibus imperans, prodijt ad paſcua opilio, Regiáſque curas pecori impendit; & neque tunc quidem, cùm ſublata in tergum ovis ſuis eum ſordibus perfunderet, fædatum ſe credidit, non indignaturus, etiamſi illud homo feciſſet; adeò ipſam contumelijs omnibus ignominiam detraxerat. Poterit tamen BOICA, cùm Principum ſuorum victorias celebrabit, hunc Carolomanni ſub ovicula de faſtu & ſeipſo actum triumphum oſtentare inter primos; certè ſalubrioris exempli nullus vnquam fuit: quod tamen apud Griphonem, Carolomanni, vti diximus, fratrem, tantum efficere non potuit, vt ſorte ſua contentus, Fortunam, quam adeò iniquam nuper expertus fuerat, laceſſere deſineret. enimvero, neque poſt abdicationem Carolomanni quidem, ſui rationem haberi indignatus, elapſus è cuſtodia, ad Saxones ſe contulit, auxilia illic contra fratrem quæſiturus; & invenit certè, vt in Gente Francis nunquam æquâ, & quemcunque adverſus illos Ducem ſecuturâ. Sed repentinus Pipini adventus turbida conſilia diſcuſſit; quem cùm Saxones vt fortiorem metuerent,

GRIPHONIS NOVI MOTVS.

Adelmus in annalibus.

Regino & Vrsperg.

placa-

placare per legatos, quàm irritare maluerunt, positâ jam Griphonis curâ, postquam in clientela illa plus periculi, quàm lucri apparuit. Extat Bonifacij ad Griphonem epistola, sacros cœtus virorum virginúmque illi commendantis, eo tempore scripta, quo Gripho ambitiosas in Saxonia spes secutus est; quas eversas prostratásque novo iterum scelere suffulcire & erigere contendit, impotens animi, & vltimæ infamiæ ratus, Caroli Martelli sobolem inglorium intra privatæ vitæ angustias sine Imperio vivere: Tumultuarias ergo copias cum auxilijs, quæ Lantfridus & Svvitgerus adduxerant, in BOIARIAM rapit, nihilo meliore in Hiltrudem sororem animo, quàm in fratres fuerat; eámque imparatissimam, maximè adversus fratrem, inexpectati impiique belli turbine oppressam, cum Thassilone filio in deditionem accipit, nullóque resistente, tyrannidem occupat. neque defuere provincialium studia, amore an metu conciliata, incertum: multis sub novo Imperio novæ spes, eóque promptiora obsequia, aut in illorum vicem æquè valida simulatio. De Vtilone interim

Ep. 26. inter editas à Nicol. Serario.

GRIPHO IN BOICAM CVM EXERCITV IRRVMPIT. A. CH. DCCXLVIII.

rim apud Scriptores veteres verbum nullum; eóq; recentiorum turba, quà cuíq; visum, discessere. abfuisse domo fortuitò, aut profugisse metu, etsi vtrumvis egregiè credibile est, autores tamen tantùm divinantes habet. quidam longiùs progressi, fastidio rerum humanarum, Fortunæ suæ nuncium remisisse, attonsúmque Monasticen professum esse, speciosiùs fortasse, quàm veriùs fabulantur: rem pulcherrimam Scriptorem olim non reperisse, vix est vt credam; cùm Carolomanni factum tot præcones habuerit, cui hoc Vtilonis, similitudine exempli, & ætate conjunctum, quàm aptè poterat subnecti? Proximum erat, illum inter mortuos censere; neque vllus ad excusandum Scriptorum silentium melior color, si omnino hariolari luberet, neque tutior multò esset, in re tam obscura; ignorationis confessio. Illa tamen verissima Vtilonis laus est, Principē fuisse Rei Christianæ amplificandæ cupidissimum. Documento sunt, præter alia, quæ diximus, Monasteria complura, quæ illo auctore gloriantur. Mentem illi ad ea tantis impendijs molienda Pirminius potissimùm

De Vtilone variæ sententiæ.

Vitus Eberspergi.

Vtilonis laus.

S. PIRMINIVS PLVRIVM IN BOICA MONASTERIORVM AVCTOR.

mùm iniecit, vir vitæ ſanctitate, & admirandis operibus ingens nomen adeptus; qui Epiſcopi dignitate inſignis, ex Gallia ad Alemannos profectus, inſulã Acronij lacus inacceſſam hominibus, & ſerpentum illic ſtabulantium colluvione infamem, fugata peſte, humanis, imò divinis vſibus conſecravit, nobili Monaſterio condito, quod ab opibus, quæ ingentes illi loco acceſſere, Augiæ Divitis nomen invenit. Idem decus cùm provincijs pluribus intuliſſet, in BOICA, ejuſdem conſilio, Altaichum Inferius & Superius Vtilo erexit: vtrique à quercu nomen, neque temerè, vti fama vult, inditum. Stetiſſe enim vtrinque annoſas arbores etiam hodie creditur, quibus vetus ſuperſtitio majeſtatem affinxerit, quaſi conſcijs Divinitatis, & plenis Numine. Mannſee præterea, Niderburgum, Pfaffenmünſter, Oſterhova, origines ſuas Vtilonis opibus, pietatiq; Pirminij debent. Joſephus etiam Friſingenſis Epiſcopus, Erimberti ſucceſſor, ad Iſeniſcum amnem, Vtilone ſumptus ſuppeditante, Monaſterium condidit. At enim quando Divini cultus incrementa narrando attigimus, quæ

PLVRIVM BOICÆ MONASTERIORVM ORIGINES.

nullo

nullo seculo majora fuere, quàm Vtilone, ejusque filio Thassilone rerum in BOICA potientibus; etiam illorum vindicanda ab oblivione fama est, qui dignitate infra Principes, religionis studio, & optimè collocatis opibus, illorum gloriam exæquarunt. Insignes inprimis eo in genere Landfridus, Waldramus, & Elilandus fratres, sive ij Walteri Bliantij Comitis filij, domo Galli fuere, sive indigenæ BOII Antorffæ & Loysæ Comites; vtrumque enim traditur: ij Monasteria octo à fundamentis erexere, opus vix Regibus hodie tentandum; supersunt ex ijs Benedictoburanum, Schlechdorfense, Wessobrunnense, Pollinganum; quatuor reliqua temporum hominúmque injuriâ perierunt, nomina extant; Siverstatense, Sandavense, & deniq; duo ad Gochelium & Stafelium lacus sita, vnde etiam appellationes traxerant; etsi ex his quædam origines suas alijs auctoribus transcribunt, quod in rebus tam antiquis solenne est: Fuisse cordi Deo tam munificam pietatem Cælestibus prodigijs ostensum; quale in primi Cœnobij molitione obtigisse, annales domestici referunt: nam

TRES FRATRES BOII OCTO MONASTERIORVM FVNDATORES.

S. PIRMINIVS PLVRIVM IN BOICA MONASTERIORVM AVCTOR.

mùm iniecit, vir vitæ ſanctitate, & admirandis operibus ingens nomen adeptus; qui Epiſcopi dignitate inſignis, ex Gallia ad Alemannos profectus, inſulã Acronij lacus inacceſſam hominibus, & ſerpentum illic ſtabulantium colluvione infamem, fugata peſte, humanis, imò divinis vſibus conſecravit, nobili Monaſterio condito, quod ab opibus, quæ ingentes illi loco acceſſere, Augiæ Divitis nomen invenit. Idem decus cùm provincijs pluribus intuliſſet, in BOICA, ejuſdem conſilio, Altaichum Inferius & Superius Vtilo erexit: vtrique à quercu nomen, neque temerè, vti fama vult, inditum. Stetiſſe enim vtrinque annoſas arbores etiam hodie creditur, quibus vetus ſuperſtitio majeſtatem affinxerit, quaſi conſcijs Divinitatis, & plenis Numine. Mannſee præterea, Niderburgum, Pfaffenmünſter, Oſterhova, origines ſuas Vtilonis opibus, pietatíq; Pirminij debent. Joſephus etiam Friſingenſis Epiſcopus, Erimberti ſucceſſor, ad Iſeniſcum amnem, Vtilone ſumptus ſuppeditante, Monaſterium condidit. At enim quando Divini cultus incrementa narrando attigimus, quæ

PLVRIVM BOICÆ MONASTERIORVM ORIGINES.

nullo

nullo seculo majora fuere, quàm Vtilone, ejusque filio Thassilone rerum in BOICA potientibus; etiam illorum vindicanda ab oblivione fama est, qui dignitate infra Principes, religionis studio, & optimè collocatis opibus, illorum gloriam exæquarunt. Insignes inprimis eo in genere Landfridus, Waldramus, & Elilandus fratres, sive ij Walteri Bliantij Comitis filij, domo Galli fuere, sive indigenæ BOII Antorffæ & Loysæ Comites; vtrumque enim traditur: ij Monasteria octo à fundamentis erexere, opus vix Regibus hodie tentandum; supersunt ex ijs Benedictoburanum, Schlechdorfense, Wessobrunnense, Pollinganum; quatuor reliqua temporum hominúmque injuriâ perierunt, nomina extant; Siverstatense, Sandavense, & deniq; duo ad Cochelium & Stafelium lacus sita, vnde etiam appellationes traxerant; etsi ex his quædam origines suas alijs auctoribus transcribunt, quod in rebus tam antiquis solẽne est: Fuisse cordi Deo tam munificam pietatem Cælestibus prodigijs ostensum; quale in primi Cœnobij molitione obtigisse, annales domestici referunt: nam

TRES FRATRES BOII OCTO MONASTERIORVM FVNDATORES.

Arenbek materiarij ad rivum Colomanbachium silvam cædere aggressi, exerrante ferro, & velut imperium detrectante; luculenta ipsi vulnera accepere; cruentatas assulas columbæ raptim sublatas eum in locum, vbi hodie Benedicto-Buranæ Ædis princeps ara visitur, deposuere; neque dubitarunt fratres auspicium sequi, designatámque à bonis avibus aream ingenti opere circumscripserunt. In hunc modum pia prodigalitate effusis opibus, ne quid sibi reliqui facerent, se ipsos Deo devoverunt, conditásque regijs sumptibus ædes multò liberaliùs suis virtutibus exornârunt. Imitati nobile exemplum sunt, seu fortasse facem his tribus fratribus, duo alij, summo itidem genere nati, præluxere, Adalbertus & Otkarius Tegerenses dynastæ; de quorum natalibus, quod in rebus tam antiquis perpetuum, non vna narratio; quos cùm augustiores quidam reddere cuperent, fabulis multò veriùs inquinaverunt. Id constat, Comites fuisse, & ad Tegerensem lacum, amplissimum Cœnobium ædificasse. Viri ipsi militares, & defensæ in summis periculis Romanæ Vrbis titulo gloriosi, omnia

TEGERENSIS COENOBII AVCTORES.

Otto 2. & Henricus 6. Comites in diplomatis vocant.

ninia domi forisq; parta decora post virtutem habuerũt. Periere, magno Historię damno, Zachariæ pontificis literæ ad D. *Literarum mentionem Metellus Poëta Quirinalib. facit od. 20.* Bonifacium Archiepiscopum scriptæ, quibus heroës isti magnificè laudati, eorumque fideli operæ publicum testimonium tributum. nam quod Scriptores quidam serò nati, nulla temporum habita ratione, Romanam fratrum horum militiam in Zachariæ annos conijciunt, inscitiæ imputandum; cùm constet, quieta omnia Romæ tum fuisse; aut, si quid glisceret tristius, periculum intra metum stetisse. Illud certum, sub Gregorio III. *An. Ch. DCCXXXIX.* qui Zachariam proximè antecessit, Langobardorum furore vexatam Romam, & sanctissimum D. Petri templum sacrilegè expilatum fuisse; quo tempore verosimilius est, Tegerenses Comites, cùm religionis causâ Romam profecti in ipsum tumultum incidissent, laboranti Ecclesiæ pias fortésque suppetias tulisse. Abeuntibus Pontifex nobile stipendium solvit, S. Quirini corpore petentibus cõcesso; quod illi omni thesauro charius, condito à se Monasterio, vt perpetuam tutelam intulere; ipsi denique eodem ab-

diti, novæ militiæ Christo sacramentum dixerunt, de seipsis deinceps triumphaturi. Adalbertus Abbas electus, accepto in centum quinquaginta viros Imperio, regiâ eosdem viâ ad Christianæ virtutis fastigium duxit. Vto fratrum horúm sorore natus, accensus exemplo, etiam ipse ad Ilmum amnem, Religiosorum collegium instituit, quod cum D. Arsacij corpore, aliquot seculis pòst, Monachium translatum est. Illustrasse locum illum B. Lullus S. Virgilij assecla dicitur: sed celebrius etiam Altonis, ex eiusdem comitatu, nomen est, qui cælesti voce in Boica iussus subsistere, vastū nemus, succisis arboribus, habitabile reddidit; locus hodiéque Altonis Monasterium dicitur; Alto ipse insigni virtute Cælestes post mortem honores meruit. Has tot tantásque, Civium, Principúmque suorum conspirantibus animis, intra annos pauculos, Boica Religionis arces accepit, Bonifacij, cæterorúmque, quos nominavi, Illustrium virorum æterna monumenta; singulis tamen ætatem suam & annos præfigi posse, etsi cura supersit, spes tamē non est; quòd ipsas Monasteriorum tabulas,

Monasterii Ilmensis initia.

B.B. Lullus et Alto Boicam illustrant.

Ex fragmento Chron. Scot. tom. 4. lect. antiq. Canis.

las, quantamcunque vetustatem redoleant, vacillantes dubiæque fidei deprehenderimus; Illud præstabimus, intra annum quadragesimum & sexagesimum octavi seculi, hæc pietatis domicilia, quotquot numeravimus, omnia surrexisse; neque facilè alios viginti, pari felicitate, annos, secuturi Annales his opponendos reperient. verùm vnde digressi sumus revertamur. Pipinus, occupatæ à Griphone BOICÆ nuncio accepto, continuò arma in fratrem resumpsit, quibus tamen impietatis notam causæ æquitas absterget; cujus quidem ea vis fuit, etiam apud hostē, vt Gripho quãtumvis valido exercitu instructus, pedem conferre non ausus, fuga & fluminum objectu se tutari institerit, quasi sequi Pipinus non posset, quà ipse præcessisset. Vbi ventum ad Oenum est, Pipinus, quòd pontis copia non esset, totum littus navibus complet, exercitum ad vlteriora transportaturus; Ingens apparatus, & comperta Ducis felicitas, & Francus ipse miles jam in oculis, virtutis conscientiâ non tam ad bellum, quàm certam victoriã properans, BOIIS pœnitentiam prioris consilij, & rapto-

AN. CH. DCCIL. PIPINVS GRIPHONI FR. BOICAM ERIPIT. *Ann. Fuld. Herman. Aimoin. & alij.*

rum pro incubatore provinciæ armorum injecere; quâ enim ſpe tot fortes viros & ingenuos in pericula ruere? neque victoriæ quidem aliam mercedem fore, quàm vt ſpurio Principi pareant, legitimis expulſis; cujus etſi ipſos nunc non pudeat, id tamen cavendum, ne aliquando pigeat; neminem enim, qui proculcato jure ad Imperium venerit, facilè juris in Imperio meminiſſe: Potentiam vi & ſcelere quęſitam, non ſolere virtute exerceri; tutiſſimas cuíque illas artes videri, quibus felicior evaſerit. Ita ratiocinantibus optimum viſum, cum Pipino in gratiam redire; ad quem legati cum amplis muneribus miſſi omnia ex ſententia confecere. minimè crudeliter in illos conſultum; obſides duntaxat imperati, ſacramentúmque renovatum eſt: neque Gripho quidem pro merito ſuo habitus, jam tertiùm rebellis, & ſęper victus; non modò vitã illi, ſed Dynaſtiam Dentelicẽſem inſuper, cui inter Sequanam & Iſaram duodecim Neuſtriæ Comitatus contribuebantur, Pipinus donavit; vt ſi ſubeſſe fratri durum putaret, patrem illum in hoc animo tãtíſq; beneficijs agnoſceret;

GRIPHONIS IMPROBI AVSVS.

ſed

ſed neutrum nomen apud inſanabile ingenium valuit. mox vt hoſtem Pipino vel inveniret, vel fa[illegible]et, ad Aquitanos abijt, & Vaifario inquieto homini, & omnia ſecū auſuro ſe conjunxit; ſed cùm adverſantibus fatis, neque illic exſaturare odia ſua poſſet, Galliam Germaniámque, vt infelices terras deteſtatus, extremáque omnia tentaturus, in Italiam abijt; ſed in alpium tranſitu à vallis Mauriennæ præfectis deprehenſus occiſúsq;, anno illius ſeculi quinquageſimo tertio, fratrem, & patriam, & noſtram etiam BOICAM metu liberavit, cui, poſt exactum nuper Griphonem, THASSILO Vtilonis Filius, nondum pueritiam egreſſus, à Pipino præfectus eſt. neque, quod jam antea monui, Vtilonis deinceps nomē vetuſtiores Annales habent; cùm tamen domeſtici Scriptores, vitam illi ad annum vſque ſexageſimum quintum propagent. *Ex Annal. Franc. P. Pithœi.* THASSILO BOICÆ PRINCEPS INAVGVRATVS. AN. CH. DCCXLIX.

XI. EXARSERAT ſub initium motuum à Griphone concitatorum, etiam inter divinos viros Bonifacium & Virgilium ſimultas, pravorum hominum maledicentiâ conflata; qui tantam virtutem cùm palàm exſcindere non poſſent, ſub- BONIFACIVS ET VIRGILIVS INTER SE COLLISI.

ruere per cuniculos meditabantur; concinnatis aliquot iniquæ accusationis capitibus, quâ Virgilium Bonifacio exosum redderent; Arguebatur in primis, Vtilonem Principem à Bonifacio avertisse, jactare insuper Pontificis privilegium, & jus successionis, si quis quatuor BOICÆ Episcoporum decessisset; tum denique manifesto delirio impiam fabulam procudere, & novum mundum, nova sidera; alióſque homines effingere, ejúſque commenti stultitiâ vnicum Dei opus, & pulcherrimum Naturæ ordinem dissoluere; &prima quidem capita duo, mera calumniandi libidine excogitata; tertium insigni inscitia & stupore confictum; quod, vt plurium opinio fert, Virgilius subtilissimum eo tempore philosophorum arcanum, quod hodie pueri etiam sciunt, palàm proferret, nempe terram specie globosam esse, neque gratìs orbem dici, vtpote in eam formam Dei manibus velut torno rotundatam; habitari autem totam, hominéſque adversis cõtra nos vestigijs niti, ex eo Antipodes dictos, qui vicissim nobiscum dies noctéſque, lunam & solem partiantur:

quæ

quæ ſcita tunc ignorata vulgo, imò etiam à felicioribus ingenijs deriſa, & ab iniquis in invidiam tracta ſunt clamantibus alterum Democritum exortum eſſe, cui vnus orbis non ſufficeret. Bonifacius delatoribus, quàm Virgilio æquior, judicio tamen abſtinuit, causâ integrâ ad ſummum Pontificem Zachariam rejectâ; qui animo graviter commotus, nihil mediocre videbatur in Virgilium & Sidonium, vt participem conſiliorum, & culpæ innexum decreturus, quod ex literis ab eodem ad Bonifacium perſcriptis colligere eſt; quid decretum omnino ſit, non conſtat: exiſtimem, calumniam patefacta veritate, in fumum abijſſe; facilis fuerit apud æquiſſimos Iudices innocentiæ defenſio, integratióq; convulſi non-nihil amoris. ſanè ſopitam ſepultámque optima fide offenſiunculam, ſequentis temporis ſilentio oſtenditur; cùm Bonifacio, qui ſeptennio integro provixit, vox ſuper ea re nulla, de qua conſtet, exciderit; ſed & geſti deinceps à Virgilio honores vitæque integritas, quæ illum Divis accenſuit, neq; ſuſpicioni quidem læve latebram relinquunt.

Extant inter Epiſtolas S. Bonifacij, n. 140.

RVRSVS CONCILIATI.

Annales plerique omnes. PIPINVS REX FRANCORVM.

QVINQVAGESIMVS secundus annus insigni rerum in Gallia conversione nobilis fuit; cùm Childericus ex Merovea stirpe vltimus, in quo præter Regium nomen solio dignum nihil plerique agnovere, exauctoratus, & in Monasterium detrusus est, Pipinúsque Caroli Magni pater, de quo nobis sermo jam sæpius fuit, à Magisterio equitum ad Regnum ascendit, à Bonifacio vnctus. Childerici etiam reliqua vita obscura fuit; neque de Monasterio, in quod relegatus est, satis liquet; pluribus hoc qualecunque decus impunè ad se rapientibus; inter quæ etiam Reginoburgense S. Emmerammi hunc sibi exulem vendicat; adeò ignavus ille nullum neque Regno, neque Monasterio insigne vestigium impressit, solâ infamiâ magnum potiùs, quàm clarum nomen adeptus: Vxorem illius in BOICA ad Cochelium lacum in Religioso cœtu, vitæ reliquum exegisse æquè incertos autores habet; neque pro obscuris his Regibus laborem sumere animus est, cùm clariora & comperta decora in promptu sint; nam per hæc ipsa tempora, Erardus & Albertus magnis BOICAM virtutibus irra-

irradiarunt; fratres fuisse, & in Hibernia natos accepimus, etsi de vtroque alijs aliter visum. Id constat, illum Episcopatus Ardahadensis, hunc Casselensis honore & onere sponte posito, peregrinari instituisse. Roma primùm Religionis nostræ arx adita. Treviros indè digressi apud Hyldolphum fratrem suum, ejusdem vrbis Episcopum tamdiu hæsere, donec eo fatis functo, vel Monasticen amplexo (vtrumque enim traditur) omnium animos oculósque in se conversos animadverterunt. Ergò iterum ad suas artes, & prima consilia versi, imminentes capiti suo mitras, & exosos honores fugâ declinârunt; & Erardus quidem Reginoburgi substitit, Albertus longiùs abreptus, loca nascentis Dei lacrymis, & morientis sanguine sparsa venerabundus obijt septem socijs comitatus, ex quibus Guillipatricium in Palæstina sepelivit: Salisburgum reverso mors Ioannem etiam abstulit; Reginoburgi deniq; etiam de Erardi fato cognoscit: quo nuncio vehementer commotus, inundare tumulum lacrymis non desijt, donec, pro magno munere, è vita missionem impetravit, exiguo ab Erar-

B.B. Erardvs et Albertvs Boicam visvnt et illvstrant.

Hund. in Metro. Vita MSS. apud Selenderum.

Erardo intervallo conditus. Erardi fama tum admirandis rebus plurimis, tum maximè Otiliæ, quam cæcam natam tolli, educaríq; pater vetuerat, lucis aspiciendæ facultate impetratâ, inclaruit.

AN. CH. DCCLV.
S. BONIFACII MORS LAVREATA.
Vita S. Bonif. Vrsperg. Chron. Otto Frising.

QVINQVAGESIMVS quintus annus supra septingentesimũ Bonifacij triumpho nobilitatus est, quem vt pulcherrimum ageret, supra vetera merita etiam sanguinem impendit, latronum ferro apud Frisios haustum; Multum viro illi BOICA, multum Hassia, Thuringi, provinciæque plures debent, vt Christianæ Libertatis auctori, & optimo Magistro; neque immeritò, quod amplissimum apud nos nomen est, Germaniæ Apostolus est appellatus. Corpus illius Sturmio, ex nobili BOIO primus, vt dictum est, Fuldensium Abbas, suo Cœnobio intulit, quo ipse non diu pòst malevolorum insidijs calumniísque appetitus, cùm Pipini regis gratiâ excidisset, pulsus, biennium exulavit, donec victrix Innocentia, eodem revocante, qui ejecerat, suis illum sedibus reddidit, nihil imminutâ majestate, cui nusquam certius, quàm ex injurijs incrementum. At enim quando huc

STVRMIO EXVLAT.

ven-

ventum est, sileri non debet novi decoris ex OICA in Fuldense Monasteriū immigratio. Ægil nobilitate generis Sturmioni suppar, eidémque sanguine junctus, necdum pueritiæ annos emensus, ab ipsis parentibus in illius sinum datus est educandus. Agnovit Sturmio in tam tenello corpore elementa maximi animi, virtutísque ad summum culmen evasuræ gustum, non vno experimento, præcepit; vnde non aliter, quàm Cælo lapsum munus, reverenter juxtà, atque amanter habuit: neque ita occultare potuit gestientis animi affectus grauissimus vir, quin palàm erumperent. Sic enim candidè de illo propemodum repuerascente scripsit Vetus Fuldensium Poëta Candidus:

ÆGIL NOBILIS BOIVS FVLDAM MIGRAT. *Candidus in vita apud Browerum.*

——blandiloquo Sturmi quem munere visum
Suscepit, lætisque suis complectitur vlnis,
Ac Iuveni consanguineo dat basia pastor.

Verùm non fefellisse spem, sed superasse potiùs, suis Annis ostendemus.

Proximo post Bonifacij mortem anno, Pipinus Astulphum Langobardorum Regem contra fœdera agentem, & Romanæ vrbi infestum repressurus, exercitum iterum in Italiam duxit. Thassilo vt

AN. CH. DCCLVI. *Annal. Fuld. Fredeg. Chron.*

sub

THASSILO PIPINI CASTRA SEQVITVR.

sub felici Rege & forti, in optima causa, tirocinium militiæ poneret, castra secutus est; quo minùs suspicari possum, quid Paulo Æmilio Scriptori elegantissimo in mentem venerit, Thassilonem & BOICA arma cum Saxonibus miscere, quos per hæc tempora contra Francos, irrito conatu pugnasse, Annales veteres, nullâ BOIORVM factâ mentione, tradiderunt; nam quod solus Sigebertus de reconciliata inter Pipinum Thassilonémque gratia scripsit, fidem non invenit, & ætate ipsa Thassilonis, qui tertium lustrum nondum exegerat, refellitur. Neque dubito, sequentis anni gesta, quæ mox daturi sumus, parum propria voce à Sigeberto perperã esse perstricta; ea sic se habent.

A. CH. DCCLVII. THASSILO COMPENDII PIPINO SACRAMENTVM DICIT.

Pipino Francorum Comitia Compendij celebrãte, Thassilo cum nobilitatis BOICÆ flore eodem profectus, Sacramẽtum Regi dixit, conceptísque verbis & solenni formula fidem ei suam, filijsque obstrinxit. Juramentum interpositum est, plenum religione; tactæ aræ, & ipsis SS. Dionysij, Rustici, Eleutherij, Martini & Germani sacris pignoribus manus admotæ; qui, vt Franciæ tutelares Divi, testes invo-

invocati, ijdémque, si sciens volénsque olim falleret, vindices & vltores futuri. In eadem verba etiam nobilitas adacta, exanimi sui sententia Jusjurandum concepit. Sed hæc tam sancta fœdera sexennio non ampliùs culta cum fide, palàm deinceps rupta sunt; causæ à Scriptorum nemine produntur; ne coniecturis quidem via aperta. id modò consensu traditur, Thassilonem, cùm aliquot contra Vaifarum Aquitanum bellis fidelem operam præstitisset, tandem anno sexagesimo tertio, cùm nova in eundem hostem pararetur expeditio, ab exercitu se subduxisse, & colorandæ perfidiæ, valetudinem excusasse. Fines suos vbi attigit, popularibus sensum animi aperit, sibi quidem cum Pipino rei posthac nihil fore; nemini mortalium obnoxium, libera jura Patriæ daturum, neque commissurum, vt quem BOICA Principem veneretur, Francus inter fa..itia numeret; neque se illi ad contumeliam os præbiturum, aut suo suorúmque sanguine victorias nihil sibi profuturas empturum. Pipinus ex repentina abitione turbidísq; consilijs palàm pasímque jactatis, facilè intelligebat,

AN. CH. DCCLXIII. THASSILO A FRANCORVM FIDE ET CLIENTELA SE SVBDVCIT.

bat, novum Francicæ gloriæ æmulum, & penè hostem excitatum; ea enim dicebat faciebátque Thassilo, quæ argumento esse poterant, si bello lacesseretur, neque voluntatem, neque vim resistendi ei defuturam. Digna res visa est, de qua Franci in Comitijs publicis sententiam ferrent, quæ sequenti mox anno Wormatię habita sunt. Vna omnium vox fuit BOIVM transfugam bello petendum, prodendúmq; etiam posteris exemplum, datam Francis fidem à nemine impunè violatam; quos qui amicos ferre non potuerit, multò ægriùs hostes passurum. Verùm ingruente Aquitanico bello, vnde plus periculi imminebat, BOICVM in præses, quamquam stimularet ira, omittendum necessariò fuit: neque Pipino, donec vixit, tantum otij fuit, vt Thassilonem hostem judicatum armis persequi posset. Sexagesimo octavo anno moriens, perfidiæ illius vltionem Superis, filiísque Carolo, & Carolomanno reliquit.

AN. CH. DCCLXIV. THASSILO PERDVELLIONIS REVS PERAGITVR.

XII. VNO alteróve ante Pipini mortem anno, Virgilius S. Ruperti solium, Joannis Episcopi obitu vacuum, diu multúmque reluctatus conscendit; biennio integro

Ex vita S. Virgilij t.6. Canis.f.1141.

Dobda-

Dobdagrei cuiuſdam operâ vſus, quem Epiſcopum domo ſecum abduxerat; honoratiora quæque munia, gloriæ ipſe fugitans, in eum ſtudioſè devolvebat, donec provincialium ſtudijs votiſque victus, palàm pro Epiſcopo gerere ſe cœpit; neque maieſtatem modò nominis illius implevit, ſed maximis patratis operibus, proximè ad Ruperti famam acceſſit. Præcipua fuere, ingentis Baſilicæ, D. Ruperti memoriæ ſacrandæ, molitio, quam anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo cœptam, ſeptuageſimo tertio dedicavit. Carantanorum deinde, qui Carinthij vulgò dicuntur, à ſuperſtitionibus ad Chriſtiana Sacra traductio; quæ quia Virgilij auſpicijs laboribúſque tota debetur, rem ſuprà repetendam duximus. Dagoberti Regis ævo, illius qui BOIIS Leges ſcripſit, Carantanis Hunni fœdiſſimæ ſervitutis jugum impoſuerant, vt fortunis opibúſque avaritiæ crudelium dominorum expoſitis, intima etiam penetralia libido impunè pervaderet; vt jam nemo ex bonis cariſque omnibus quidquam jure dicere poſſet ſuum. Muſſitabatur tamen etiam hæc injuria, neque vlli vel extre-

D. RVPERTO BASILICAM CONDIT.

CARANTANOS CHRISTO SVBIICIT.

Aimoin. l. 4. c. 9. & 25. Fredeg. c. 48. & Vita S. Virgil. t. 6. Caniſ.

ma indignitas honestum consilium expressit, donec Samo quidam Gente Francus, mercaturæ studio ad Slavos commeare solitus, ducem delendæ tyrannidi se præbuit, & egregiæ operæ pretium maximum tulit, à mercatura ad Regnum translatus, quod per annos triginta sex gloriosè administravit. Verùm eo mortuo, brevi relapsæ res cursum suum non tenuerunt, vt, Pipino in Francia regnante, prope desperationem ventum sit. Præerat tum Carantanis Boruthus, qui Hunnis imminentibus imparem se professus, auxilia à Boiis petijt, quæ submissa in tempore periclitantibus saluti fuere. Eâ re Boiis ingens gloria parta; Carantani ijs obnoxij vivere, vt servatoribus patriæ; neque modò felicia illorum arma, sed & dicta adorare, cúmque ijs de Repub. in medium consulere. Boii occasione vsi suadere Carantanis, ne brevi præsentis victoriæ fructu ebrij, futuri temporis cogitationem dimitterent: victos scilicet fugatósque nuper Hunnos esse, erepta ijs signa, arma, multis etiam vitam; ne tamen crederent, vnâ victoriâ debellatum; superesse etiam victis virorum & virium satis;

SAMO EX MERCATORE REX.

BOII CARANTANIS AVXILIANTVR.

ſatis; irarum verò nimium quantum: illa ipſa itinera, quæ nuper ijs ad fugam patuerint, non eſſe clauſa rediturіs; & redituros profectò, locóque ſuis cædibus infami ignominiam detracturos. quod ſi eveniat, notas eſſe Carantanis vires ſuas; neque ſpem quidem victoriæ poſſe eos in aciem educere. porrò nihil eſſe miſerius exercitu ante pugnam deſperante: ſequerentur igitur tutiſſimum conſilium, & fortunas ſuas, quas proprijs non poſſent, alienis viribus tuerentur. Francorum fidei ſe, ſuáque permitterent; crederéntque, aut nullā in humanis auxilijs ſpem, aut certè in Francis ſitam; vnum illum populum æternis triumphis tantum exiſtimationis collegiſſe, vt jam vulgò feratur, cum Francis non niſi perituros pugnare; ſub horum ſcuto & ipſa nominis vmbra ſi velint deliteſcere, neminem inultum auſurum in illos telum mittere. Id ſe eò confidentiùs promittere, quòd domeſticum in hac cauſa exemplū habeant; Boios certè, quàm diu in fide & clientela Francorum fuerint, neque de patronis, neque de Fortuna ſua jure potuiſſe conqueri. His rationibus permoti Ca-

CARANT. IN FRANC. CLIENTELAM CONCEDVNT.

tantani Francorum amicitiam fidémque vltro amplexi sunt, obsides sanciendo fœderi Carastus Boruthi filius, & Chetimarus fratre eiusdem genitus, BOIIS in patriam deducendi & Christianâ pietate imbuendi dati. Ij deinceps ambo apud Carantanos imperarunt: nam Borutho Carastus, huic post triennium mortuo Chetimarus successit, vir insigniter pius, & annuo munere Salisburgensem Ecclesiam velut incunabula felicioris vitę prosequi solitus; id se Minerval magistris, quibus in pietatis schola vsus fuerat, debere professus. Lupus illum Sacerdos, Insulæ, quam Chimēsis lacus facit, incola, de Sacro fonte susceptum Christiana Sacra docuerat, qui abeunti etiam Maioranum sanguine sibi junctum, & à Virgilio Sacris initiatum, comitem monitorémque domesticum addidit. Chetimarus nihilominus Christianæ rei interesse putabat, Virgilium velut magni operis architectum aspici, audiríque præsentem, quòd plenus ipse Deo, admirandâ instructus eloquētiâ, vel invitis videbatur impietatem extorturus. At enim Virgilius vt maximè vellet, impedimentis alijs super alia

VIRGILII ERGA CARANTANOS PIA STVDIA.

ena-

ſcẽtribus, obſequi pio Principis voto non potuit. In vicẽ tamen viros eximios, qualibus Saliſburgenſis Eccleſia abundabat, magno numero ſubmiſit, Watonem, Reginbertum, Gozarium, Latinum Preſbyteros, Ekardum Diaconum, pluréſque alios, quibus omnibus Modeſtum Epiſcopum ducem dedit. ij munere ſuo gnavè functi, brevi meliorem provinciæ faciem, incolíſque mentem induerunt. & Modeſtus quidem egregijs laboribus eſt immortuus, Ædibus ſacris paſſim pluribus poſitis, quas inter auguſtiores Dei Matri ſacratæ. Repetitus tantò ardentiùs Virgilius, cùm iter expedire non poſſet, Latinum Preſbyterum Legatum ire iterum ac tertiùm juſſit. additi Collegæ Madelohus, & Warmannus Preſbyteri; quorum conatibus intempeſtiva Chetimari mors, & recrudeſcentia ab illius morte bella violentam manum injecerunt: Inter armorum ſtrepitus Sacra ſiluerunt, eiectíſque, qui ea tuerentur, etiam pietas eviluit, minórque ſcelerum verecundia, quàm nuper virtutum fuit. Sedatis tumultibus, cùm Valtuncus ſolium occupaſſet, iterum erigere caput auſa eſt Reli-

CARANTANIS MAGISTRI PIETATIS EX BOICA SUBMISSI.

CARANT. IN FRANC. CLIENTELAM CONCEDVNT.

tantani Francorum amicitiam fidémque vltro amplexi sunt, obsides sanciendo fœderi Carastus Boruthi filius, & Chetimarus fratre eiusdem genitus, Boiis in patriam deducendi & Christianâ pietate imbuendi dati. Ij deinceps ambo apud Carantanos imperarunt: nam Borutho Carastus, huic post triennium mortuo Chetimarus successit, vir insigniter pius, & annuo munere Salisburgensem Ecclesiam velut incunabula felicioris vitę prosequi solitus; id se Minerval magistris, quibus in pietatis schola vsus fuerat, debere professus. Lupus illum Sacerdos, Insulæ, quam Chimēsis lacus facit, incola, de Sacro fonte susceptum Christiana Sacra docuerat, qui abeunti etiam Maioranum sanguine sibi junctum, & à Virgilio Sacris initiatum, comitem monitorémque domesticum addidit. Chetimarus nihilominus Christianæ rei interesse putabat,

VIRGILII ERGA CARANTANOS PIA STVDIA.

Virgilium velut magni operis architectum aspici, audiríque præsentem, quòd plenus ipse Deo, admirandâ instructus eloquētiâ, vel invitis videbatur impietatem extorturus. At enim Virgilius vt maximè vellet, impedimentis alijs super alia

ena-

ſcẽtribus, obſequi pio Principis voto non potuit. In vicẽ tamen viros eximios, qualibus Saliſburgenſis Eccleſia abundabat, magno numero ſubmiſit, Watonem, Reginbertum, Gozarium, Latinum Preſbyteros, Ekardum Diaconum, pluréſque alios, quibus omnibus Modeſtum Epiſcopum ducem dedit. ij munere ſuo gnavè functi, brevi meliorem provinciæ faciem, incoliſque mentem induerunt. & Modeſtus quidem egregijs laboribus eſt immortuus, Ædibus ſacris paſſim pluribus poſitis, quas inter auguſtiores Dei Matri ſacratæ. Repetitus tantò ardentiùs Virgilius, cùm iter expedire non poſſet, Latinum Preſbyterum Legatum ire iterum ac tertiùm juſſit. additi Collegæ Madelohus, & Warmannus Preſbÿteri; quorum conatibus intempeſtiva Chetimari mors, & recrudeſcentia ab illius morte bella violentam manum injecerunt: Inter armorum ſtrepitus Sacra ſiluerunt, eiectíſque, qui ea tuerentur, etiam pietas eviluit, minórque ſcelerum verecundia, quàm nuper virtutum fuit. Sedatis tumultibus, cùm Valtuncus ſolium occupaſſet, iterum erigere caput auſa eſt Reli-

CARANTANIS MAGISTRI PIETATIS EX BOICA SVBMISSI.

gio, misśique à Virgilio, qui eam ſuſtentarent, Heimo, Reginobaldus, Majoranus, Gozarius, Erehenbertus, Reinhardus, Auguſtinus, & Guntarius Myſtæ omnes; quorum laboribus ſubactâ penè vniversâ provinciâ, vltimæ Virgilio admotæ preces evicerunt, vt ipſe in Carantanos profectus, bene cœptis ſupremam manum imponeret. Incredibile dictu eſt, Rei Chriſtianæ adhuc inter initia ſua laboranti eius præſentia quid contulerit; nunquam pulchrior viſa eſt virtus, quàm illius ore laudata, & expreſſa moribus; nunquam bona cauſa in meliorem incidit patronum; pro Cælo & Deo nemo fortiùs, nemo facundiùs dixit, nulli adeò bene cum vitijs ſuis convenit, vt non odiſſe inciperet etiam familiariter recepta, poſt Virgilij cenſuram: Profana porrò Sacra, cum patrijs Dijs, ſicubi fortaſſe hæſerāt, nullo intercedente, æternùm proſcripta, caſta Religio templis animíſque recepta; ex quo deinceps tempore maximum vnicúmque Numen Carantanis Chriſtus fuit, ſub cuius ſigna traducti, doctíque melioribus armis pugnare, in ſpem æterni triumphi, ſemper Virgilium

VIRGILIVS CARANTANOS ADIT.

vt

vt auctorem felicitatis suæ, & Christianæ militiæ antesignanum coluere, & consentiens posteritas patriç suæ Apostolum appellavit.

XIII. CAROLVS M. CONATVR THASSILONEM AD OFFICIVM REDVCERE STVRMIONE LEGATO VSVS.

CAROLVS interim & Carolomannus provincias sortiti, Regium vterque nomen assumpserunt: & Carolus quidem ingentes victorias à seipso auspicatus, Magni cognomētum cœpit clementia animíque moderatione mereri. Nondum redierat Thassilo ad bonam mentem, immodicus ipse animi, & penè turpius existimans flecti, quàm vinci; blanda insuper pro veris audire solitus, & ex adulantium mendacijs mensus magnitudinem suam, bellum adeò non metuebat, vt penè provocaret. Carolo contrà ingenium mite, & animus sui potens, neque vnquam ferrum stricturus, nisi molloribus remedijs consumptis. Erga Thassilonem verò etiam reverentiâ cognati sanguinis, iras multo languidiores gerebat, vt satis pependisse pœnarum crederet, si illum facti sui pœnituisset, & vltio intra verecundiam stetisset; quam vt illi exprimeret, prior Legatum de obliterandis injurijs, & redintegranda gratia ad Thassilonem

lonem mittere statuit, eíque muneri, vt aptissimum, Sturmionem Abbatem Fuldensem præfecit, gnarus, quanta illius moribus suavitas, & orationi Suada inesset; Gente præterea BOIVS, & nobili apud suos loco natus, pro concilianda amicitia vtilissimâ patriæ, honestissimâ Principi suo, summa fide, & diligentia credebatur laboraturus. Neque fefellit conceptam de se spem Sturmio; magnis itineribus in BOICAM profectus, vbi in Thassilonis conspectum venit, cordatè & eloquenter ad constantiam colendi fœderis illum est adhortatus, & à belli, quod parturire videbatur, cogitationibus tali ferè oratione illum deterruit.

'Parvulum me, Thassilo Princeps, Bonifacius BOICÆ nostræ Apostolus è sinu parentum abductum, suis propè manibus è patria extulit; credo, quòd divinus vir Ingenium meum Reipub. nihil profuturum, jam tum censuit hoc exilio damnandum. Ex illo quidem die civis officia vel omisi, vel amisi; atque vtinam vel hominis impleverim! ne patriâ neglectâ, etiam de me ipso malè meruerim. Tibi certè, Princeps, nullum jactare obsequij genus

genus poſſum;nunquam in acie latus tuũ ‘
texi, nihil ſanguinis tibi impendi; &, ſi ‘
pro vulneribus ſtipendium numeratur, ‘
nulli mortalium minus debes, quàm mi- ‘
hi;neque patria, ſi milites tantùm amat, ‘
gratulabitur adventum Civi ſuo, adhuc ‘
poſt tot annos inermi. Equidem non diſ- ‘
fitebor tibi imbelliam meam, Princeps, ‘
nunquam amavi pugnas, ſed ne trium- ‘
phos quidem ſanguine emptos; miſeram ‘
credidi cruentam felicitatem, ad quam ‘
per gladios venitur: & vide, quàm nihil ‘
diſſimulem; hanc vnicam reditus mei ‘
cauſam habui, vt exarmarem te, & Patriæ ‘
meæ gladios extorquerem;aut ſi hoc tur- ‘
pe putas viris, certè non patiar tam for- ‘
tes eſſe vos, vt bellum quæratis priùs, ‘
quàm hoſtem repereritis. nam cui mi- ‘
nantur hi tot truces vultus? in cujus jugu- ‘
lum exacuitur ferrum? quis quietem ‘
ſuam BOICÆ invidit, aut modeſtiam ex- ‘
cuſſit? Francos hîc mihi & Carolum no- ‘
minabis, qui ſi hoſtis nomen meretur, ‘
tum quidem tibi amicus nec naſci, nec ‘
fieri poteſt, natura, & ſanguis ita vos jun- ‘
xit, vt penè fratrem cogaris dicere; ani- ‘
mum inſpicere ſi liceat, aliquid etiam ſu- ‘

'pra fratrem agnoſceres; odiſſe certè in il-
'lo nihil potes, niſi quod Pipino natus eſt;
'quem ſi inimiciſſimum expertus fuiſſes,
'dicerem tamen nuper morte tibi ſatisfe-
'ciſſe; niſi immortalibus odijs putes eſſe
'cum larvis luctandum. quamquam mihi
'promptum plura illius in te beneficia,
'quàm tibi maleficia percenſere. Princi-
'patum, cujus nunc viribus oppugnare il-
'lius ſanguinem paras, armata tibi manu
'peperit; & vt regnare poſſes, bellum cum
'Griphone fratre geſſit; apud eundem ca-
'ptivo tibi, & vltima exempla metuenti,
'vitam, libertatem, & Imperium reddidit;
'impuberi, & injurijs opportuno pro pa-
'rente fuit; tironem in caſtris habuit, &
'belli artes docuit, haud certè eo conſilio,
'vt ijs adverſum ſe, ſuósq; aliquando vte-
'rere. Potuit, credo, poſt tot argumenta
'animi ſui, Pipinus etiam de tuo cõfidere,
'neque alia bella timere, quàm te officijs
'per omnem ſecum vitam certaturum; et-
'ſi ſatis caverat, vt neq; hoc duello vnquã
'à te vinci poſſet. Tu cùm majorem ab illo
'injuriam non accepiſſes, quàm quòd te
'grandibus debitis oneràrat, quæ te vive-
're & mori obnoxium illi cogerent, hanc
ipſam

ipsam idoneam causam credidisti inimi- ‘
citiarum; cúmque erubesceres Pipino ‘
fateri te obstrictum, tot benevolentiæ ‘
vincula etiam Jurejurando & devotioni- ‘
bus firmata cogitasti gladio discindere, ‘
& nomina quæ expedire non posses, san- ‘
guine obruere. Pipinus cùm te opprime- ‘
re inter principia, & precarium Imperium ‘
tam facilè eripere posset, quàm olim de- ‘
derat, annos tamen tibi indulsit, longam ‘
vel sanis, vel turbidis consilijs moram; ‘
quorum alterum mitis animi, alterum ‘
confidentis fuit, & bonitate causæ nixi; ‘
quam, si cætera auxilia omnia conquisi- ‘
visses, sciebat partibus tuis defuturam. ‘
Interim ille, vocãtibus fatis, decessit, læ- ‘
tus vel sic necessitate tristis so belli susci- ‘
piendi defungi; adeò ex te triumphum ‘
sibi quærendum non censuit, vt illum et- ‘
iam morte mallet subterfugere. Carolus ‘
filius, cui cum reliqua hæreditate etiam ‘
imperfecta Patris bella obvenere, cùm ‘
ad nullum trepidet, ad hoc tamen invi- ‘
tus oculos torquet; in quo nec fortem, ‘
nec felicem, nisi cum jactura pietatis, se ‘
videt futurum: crede mihi, & gladius illi ‘
& animus ad memoriam cognati sangui- ‘
nis

'nis hebetantur; neque, nisi tu cogas, tam
'triste seculo suo exemplum proditurus
'est, vt penè fraternæ acies, quas in mu-
'tuos amplexus venire multò æquius fue-
'rat, in cædes & vulnera ruisse, duce Caro-
'lo, dicantur. Tuum invicem erit cogita-
're, Princeps, quomodo & præsentem fa-
'cti huius invidiam, & infamiam in poste-
'rum sis laturus; quibus, sive vincare, sive
'vincas, ex æquo es conflagraturus; vt pro-
'inde neq; vates de consilij tui exitu con-
'sulendi sint, quādo jam olim pronuncia-
Cic. 4. ep. ad fam. ep. 9. 'tum est, velut oraculo, omnia in bellis e-
'jusmodi misera, nihil tamen ipsâ victoriâ
'miserius esse: nam quantumcunq; victis
'sanguinis, tantundē victoribus lacryma-
'rum esse fundendū. Impugnare privatim
'spes tuas animus non est, prçfidentes esse
'video, quæ Francum hostem audent con-
'temnere: enimvero si primus cōtra Gen-
'tem hucusque invictam satis munitum te
'credis, quale Cælitibus scutum objicies?
'nam & contra hos pugnandū est. Diony-
'sius, German⁹, Martinus, magna nomina,
'quos ipse in caput tuū vindices excitasti,
'in prima acie ante signa occurrēt; per hos
'via facienda ad hostem est, quos vereor,
Opti-

'Optime Princeps, vt de gradu locóve dimoveas. te quidem à sententia discedere multò pulchrius est, quàm irato Cœlo constantem velle videri; certè Divos non vinces; à Carolo autem jam nobili exemplo victus, vincere nisi teipsum non potes; eóque triumpho contentus, nisi convellere felicitatem publicam, noménque Patris Patriæ prodigere cogites, malis inermem Caroli dextram, quàm armatam experiri. Valuit apud Thassilonem Sancti Viri oratio; quódque ex eventu colligere est, ad officium redijt, Caróloque satisfecit. Porrò cùm ex vitæ Sturmionis Scriptore constet, antè Saxonicum bellum, quod quarto Regni anno Carolus suscepit, Sturmionem hac Legatione functum, falli eos manifestum est, qui post Langobardicum demum bellum, Sturmionem in BOICAM deducunt. Neque si eousque animorum offensiones protractæ fuissent, Bertam Caroli matrem pedem in BOICA posituram fuisse, mihi persuadeam; quam tamen anno septuagesimo supra septingentesimum, cùm in Italiam ad conciliandas Filio nuptias proficisceretur, illac iter habuisse cō stat.

THASSILO FOEDVS RVPTVM INTEGRAT.

Aigil in vita S. Sturm. Inter Carolum Regem Franc. & Thassilonē Noricæ provinciæ Ducē, per plures annos, inter ipsos amicitiam statuit.

AN. CH. DCCLXX.

BERTA CAROLI M. MATER PER BOICAM IN ITALIAM INGREDITVR.

Regino in Chron. *Egolism. in vita Caroli M.*

stat. Petebatur in conjugium Desiderij Langobardorum Regis filia, cùm alteram, Luitpurgam nomine jam Thassiloni clocasset, vt novum id amicitiæ perpetuandæ vinculum futurum fuerit, nisi secuto Caroli cum Langobarda divortio dissiluisset. Thassilo ex Luitpurga Guntherum, & septuagesimo secundo anno, Theodonem sustulit, quem ab Adriano Pont. salutaribus aquis ablutū domestici Annales referunt. Religione tactus, an qua alia causa Romam accesserit, incompertum; Illud ex tabulario Ecclesiæ Frisingensis constat, vigesimo secundo initi Principatus anno, ex Italia revertentem, cùm Bauzani substitisset, Attoni Abbati magnum terræ tractum Ecclesiæ S. Petri contributum sua manu confirmasse: verùm iter illud anno integro Theodonis natalem, & Hadriani Pontificatum prævertit. Idem annus, eorundem Annalium testimonio, victoriâ de Carantanis reportatâ insignis fuit; Violata fœdera, descitúmque à fide, quæque alia ferro vindicantur, bello ansam dedisse, etiam tacentibus literis, intelligitur. Eodem anno, Dingolvingæ BOICÆ oppido, Concilium

THASSILONIS EX LVITBVRGA LIBERI. AN. CH. DCCLXXII.

THASSILONIS DE CARANT. VICTORIA. *Staindel in Chron.*

cilium celebratum. Sex Episcopi, Abbates tredecim interfuere. Primum inter Episcopos locum Manno Nuenburgensis tenuit, quem vnum vnicúmque ejus Vrbis Episcopum scimus. Almus sive Alimus Sabionâ adfuit, Virgilius Salisburgo, VisericusBatavis, quod Passavium hodie est, Reginoburgo Simpertus, Frisinga denique Hæres, qui idem vernaculo nomine Aribo, vel vt in membranis Frisingensibus frequentiùs scribitur, Arbio dictus, tertium etiam sibiCyrini adoptavit, nempe quòd Hebraicum id existimaret. Abbatibus tredecim suas assignare sedes, nullo vetustatis superstite suffragio, divinantium est; cùm certum sit, plura jam id ætatis per BOICAM sparsa Monasteria fuisse. Acta Concilij, vel summa certè capita, pridem vulgata in manibus sunt, neq; necesse fuit ea huc transcribi. Sequenti anno Virgilius Basilicam, quam D. Ruperto voverat, VIII. Kal. Octobr. dedicavit; ejusdémque ossa, vti & comitum illius DD. Kunialdi & Gisilarij eodem intulit. Biennio pòst, Batavensem sedem, Viserici Episcopi morte vacuam, Waldericus nactus est. Septuagesimo septimo

An. Ch. DCCLXXII. THASSILO DINGOLVINGÆ COMITIA CELEBRAT.

DEDICATVR BASILICA S. RVPERTI.

ptimo Carolus cum Saxonibus anniversarijs propè hostibus, nunquam tamen satis victis; feliciter congressus, domitis servitutis confessionem expressit; quódque triumpho ipso speciosius fuit, pertinaciam efferæ Gentis ad Christianæ Legis mansuetudinem inflexit, & sub Christi Iugum misit. Inter pietatis Magistros, qui Saxonibus dati sunt, princeps fuit Sturmio Abbas, ita providente Deo, vt eodem penè tempore, duæ ferocissimæ Gentes Slavi & Saxones, jura Cœli, interpretibus BOIIS, addiscerent; nam de Slavis Carantanis Sacra è BOICA petentibus paulò antè retuli; & Sturmionem hunc Gente & domo BOIVM fuisse, sæpius jam monui: non potuit tamen vnius anni culturâ cousque commitigari Saxonum ingenium, quin, recrudescentibus iris, bellum, quàm pacem obnoxiam Francis mallent; qui Hispanico tum bello impliciti, longéque à patria abducti, domesticum otium sanctitate fœderum se satis credebant constabilîsse, quorum tamen non ea apud Saxones fuit reverentia, vt occasionem tam bellam, tot suas solandi clades, prætermitterent. Igitur,

STVRMIO BOIVS SAXONES CHRISTO INITIAT.

tur, Widekindo concitatore & Duce, ad Rhenum vſque diris populationibus omnia infeſta habuere, Fuldæ etiam vltima minati; quæ Sturmioni cauſa fuit, D. Bonifacij oſſa, vnicum Theſaurum, illorum furori ſubducendi; ipſe in Wederaviam excurrit, præſidio illi futurus, nonnulla etiam ſpe Saxonum leniendorum, quorum faſtum brevémque ex dulcedine prædæ lætitiam, Francorum manus extinxit, vetere fortuna ſua, & recenti in perfidos ira feliciter vſa. Carolus redux exempla in perfidiam luculenta edidit, ſemper tamen clementiâ temperata; nec deſtitit Religionis noſtræ obiectâ majeſtate, captare feroces animos: Sturmionis tamen ſenium huic labori iterum obijciendum non putavit, ſed Eresburgi, velut poſt principia locatum ſummo in honore habuit, donec ætate fatiſcentem Cœnobio ſuo reddidit, cuſtode ſalutis Wintero nobili Medico, quo ipſe vtebatur, addito: verùm is haud ſcio an ignoratione morbi falſus, an victus gravitate, dum potionem medicatam haud ſatis ſcitè dilutam propinat; ægro mortem accelerauit. XVI. Kal. Jan. anni DCCLXXIX. STVRMIONIS MORS. A. DCCLXXIX.

illi vitæ ultimus fuit. mortuo Cælestes honores decreti; sed extra patriam memoria illius clarior fuit, quam tamen Thassilonis Principis turbidis consilijs inclinatam solus manu sua erexit, sustentavitque: Nostro demum ævo Guilelmo Pio V. BOICÆ Duce flagitante, in suo tumulo inspectus, corporis usitatam molem egressi reliquias admirantibus, ingentis spiritus, qui in illo olim inclusus habitavit, recordationem desideriumq; renovavit. At enim bellum Hispaniense, quod, ut Sturmionis res reliquas semel in conspectum darem, suprà nominavi tantum, collectis plurium Gentium, interq; eas BOICÆ quoque viribus gestum, maximâ semper famâ fuit. Porrò præfidenter nonnulli BOIORUM in ea expeditione Duci Naamano nomen faciunt, obscuris quibusdam Scriptoribus nixi, quibus Historiam inquinare fabulis religio non fuit. Per eadem tempora, pietas in BOICA insigniter culta: Thassilo exemplo præluxit, optimo quoque studia Principis æmulante laudatissimi sine dubio, nisi pulcherrima decora flagrantior ambitio obscurasset. Innumera propè

An. Ch. MDCCXIII.

Regino. Engolismens. in Vita Caroli.

BOII CUM CAROLO M. IN HISPAN. BELLUM PROFECTI.

Turpin. c. 30. & ex illo Vincent. in Speculo l. 25.

THASSILONIS PIETAS.

pè ſunt, quæ Religioni quotidie caput altiùs efferenti, vel ipſe per ſe contulit, vel ab alijs conferri paſſus eſt, autoritate ſua, & remiſſo Jure, ſi quod illi in hæc talia eſſet. Veteres Eccleſiarum tabulæ id loquuntur, quæ nullius nomen Principis, quàm Thaſſilonis frequentiùs gerunt. Et hoc quidem anno, Cœnobium nobile, quod à Chremſa flumine nomen traxit, Valdericus, Virgilius, & Simpertus Epiſcopi dedicarunt, Thaſſilonis opus, Guntheri Filij Manibus propitiandis poſitum, quem in ipſo flore ævi feras ſectantem, cùm juvenilis ardor, & prædę amor longiùs à comitum grege avulſiſſet, ingens aper imparem occupavit; excepit tamen irruentem Regius Iuvenis, & totis connixus viribus venabulum intorſit; quod vbi fatale ſenſit bellua, vltimas moritura iras collegit, ſuóq; interfectori vicem rependit; canum deinde indicio ambo exanimes in ſuo ſanguine reperti, triſte ſpectaculum, Patri præſertim; qui multa de fati acerbitate queſtus, lacrymas tandem pietate vel extinxit vel ſopivit, & in templo, quod dixi, immaturas Filio exequias duxit, & Mauſoleo intulit. A-

Extant Saliſburg. Eccl. apud Caniſ. t. 6. antiq. lect. Friſing. MS. aſſervantur.

AN. CH. DCCLXXVIII. THASSILONIS F. GVNTHERVS AB APRO LACERATVS.

Ex MS. Monaſt. Crembſmonaſt.

THASSILONIS OPIBUS COENOBIA PLURA CONDITA.

drianus deinde Pontifex divinius pignus, S. Agapiti M. ossa submisit: Ejusdem Principis magnificentiam testantur etiam Mattséense, Thierhauptēse, Münchsmünsteriense viris, itémque alterum in Chiminensi lacu virginibus erectum; Alia instauravit, ditavítque, tam prolixè quidem, vt alicubi fundatorum memoriam penè extinxerit; id quod in Wessenbrunnensi Monasterio accidit, cui à Thassilonis venatore Wessone nomen factum perhibent, quòd prodigiosam Fontis scaturiginem, in quatuor siphones decussatam, primus eo loci deprehendisset. Thassiloni ipsi scalarum gradus inter nubila se condentium visi, quo ostento illiús liberalitas mirificè est excitata, vtiq; in eum locum, ex quo illū via rectà ad patentes cæli portas ferret. Nihilo minora alterius Venationis miracula sunt, in qua Cerua Thassilonis canibus citata, petitáque in prædam, nobiliore sese pignore redemit. Ea in fugâ Pollingum abrepta, haud sanè ex ingenio suo, repentè substitit, insidiarum secura, velut in Libertatis Asylo, Canibus procul nequicquam allatran-

latrantibus, & diviniore vi prohibitis vltrà furere, vt Cerua interim ignoratas in eam úsque diem mortalibus opes suo indicio proderet. Thassilo enim strenuè terrā pede fodientis assiduitate animadversâ, humum altiùs molitus, tres Cruces, incertùm quo tempore defossas eruit, agnitóque favore Numinis, immortalem thesaurum pro dignitate ornare instituit, Cœnobio vel adjecto, vel aucto, in quo felicissimæ Venationis spolium hodiéque adoratur. Et detectum est, nobis hæc lucubrantibus, hypogæum conditorium, quale ferè Servatoris nostri in Palæstina visitur, in quo ipso humanissimus juxtà atq; Religiosissimus Vir Chilianus loci Antistes divini Ligni simulachra latuisse plausibili conjecturâ opinatur. Annum indubitatum his prodigijs adscribere, in tanto Auctorum dissensu, difficile, vti & illis, quæ Thassilone rerum potiente, aliorum industriâ sumptibúsq; crevere. Schlierseense Adaluncus, Hiltipaldus, Kerpaldus, Antonius & Ottakerus posuerunt coluerúntque; Aribo Frisingensis Episcopus dedicavit: Schefftla-

riense Walcherico, Garsense Bosoni, Avvense Balduno & Roberto presbyteris initia sua debent, quæ ipsa etiam Thassilo beneficentiæ suæ noluit esse expertia. Antiquius aliquantò his Oetingense Monasterium, vivo etiamnum Pipino Rege, à Gunthario Comite & Hadeburga erectum, & memoriæ D. Stephani à Virgilio Salisburgensi Antistite consecratum. Nominat Arno Episcopus, cujus diligentiæ hæc accepta referimus, etiam Caoffstainensem cellam, quam pridem interijsse suspicamur, nunquam deinceps restitutam. Ejusdem Thassilonis studio Valentinus Passaviensium, Corbinianus Frisingensium Episcopi, sedibus suis redditi, ingēti populorum plausu, & pietatis incremento. Nam Valentini corpore, Tridento, quò illud Langobardi Maijs exhumatum deportârant, Passavium relato, nihil jam causę superesse Aribo Episcopus censuit, cur desideria patriæ optimum parentem jam diu suspirio repetentis longiùs protraheret; Corbinianum patriâ excessisse mortuum, vt cum Valentino contumularetur; verùm eo contubernio pridem soluto, fortasse ipsum

Margin notes: OETINGENSE MONASTERIUM. *Tom. 6. antiq. lect. Canis.* — S. VALENTINUS PASSAVIUM, S. CORBIN. FRISING. TRANSLATI.

patriâ

patriâ non velle, patriam certè ipſo carere non debere. Concilio coacto ſententiæ perquiſitæ, vnáque omnium vox fuit, Sanctiſſimi Viri corpus cùm triumpho in patriam reportandum: publicum votum Deus ratum habuit. Ita ordinis Eccleſiaſtici proceribus provincia mandata; quibus ad tumulum Corbiniani pervigilantibus, claro Cælo tonuit; id eò interpretati ſunt, Deo cordi eſſe, quod molirentur. Egeſta deinde terra Corbiniani corpus aperuit, ídque etiam tunc ſine vllatabis nota, aut veſtigio mortalitatis: Orta ex eo non modò ingens admiratio, ſed pium certamen ſacri ferculi geſtationem exambientium; cùm præſertim ſuccollantes ferri ipſi viderentur, adeò onus vel nullum fuit, vel nullus ſenſit, vt ingenti paſſu prævolantes, vix eques aſſequeretur. Sparſa toto itinere divina beneficia; paſſim morbis ægri levati; eximiũ hoc vectigal pendente Divo. Miriſſimum illud, quòd interquieſcente pompa, cùm ſignifer crucem, quam ſublimem conto præfixam gerebat depãgere humi vellet, ampullam teſtaceam, haſtili altiùs impacto, ruperit, quam illam ipſam eſſe tabulę

adjectæ indicio compertum est, quæ sanguinantis olim Corbiniani cadaveris cruorem exceperat, qui ipse nondum suo corruptus ævo, attonitis omnibus, integerrimus fluxit. cujus prodigij memoria ne intercideret, monumentum perpetuum, templo superstructo, positum est. Corpus ipsum Frisingæ Thassilo & sacer ordo obviam effusus, & promiscuum denique vulgus, quanto licuit maximo cultu, acceperunt, & ad D. Virginis tumularunt. mirificè exinde mortalium omnium studia excitata, hæredem sibi D. Corbinianum deposcentium, totáque illi patrimonia, aut potiorem eorundem partem transcribentium; quorum tabulæ seculi illius pietatem testantes, nostrúmque in ruborem daturæ, hodiéque supersunt.

XIV. LVITPVRGA THASSILONI REBELLIONIS FACES SVBDIT.

VNA interim felicitati publicæ Luitpurga invidens, Thassiloni marito admovere faces non destitit, quibus tota deinceps BOICA conflagravit. Desiderij ipsa Langobardorum nuper florentissimi Regis, nunc exulis filia & captivi, patris miserias misericordiâ suas fecerat; neque contenta muliebri luctu, & con-

ces-

cessis pietati querimonijs, arma & justam vltionem suspirabat, certa, vel collapsam patris fortunam erigere, vel excipere ruinas, quocunque eventu, cujus, vti & famæ impotens ira non meminit. Thassilo causam iniquam & consilium præceps probavit, vxorijs blanditijs ad rem nimis quàm seriam adactus; Caroloque, anno octogesimo, Romam profecto, iterum aperta rebellione fœdera rupit. neque sic tamen Carolus ferrum strinxit, sed re cum Pontifice deliberata, honestissima Legatione expugnare animum Thassilonis maluit. Ierunt Pontificis nomine Formosus, & Damasus Episcopi; Carolus Richulfum Diaconum, & Eberhardum Magistrum pincernarum addidit, qui optimam causam tam disertè egerunt, vt Thassilo sine cunctatione in Caroli se potestate futurum promitteret, &, si periculum abesset, suæq; incolumitati, fide publica, & per obsides caveretur, vltro se, renovandi fœderis causâ, Carolū conventurum. Dato commeatu Wormatiam accessit, sacramentum dixit, illíque firmando obsides duodecim addidit, quos Simpertus Reginoburgensis Episcopus

AN. CH. DCCLXXX. *Annal. Fuld. Franc. Annal. Sigebert.*

THASSILO CAROLO M. REBELLIS.

AN. CH. DCCLXXXI.

NOVUM FOEDUS SANCIT.

AN. CH. DCCLXXXI. VVILIBALDVS EPISC. MORITVR. *In MS. Tradition. Frising. Ecclesf. 68.*

paulò pòst Carisiaci repræsentavit. Eodē anno Wilibaldus Eistettensis Pontifex Cælum maximis virtutibus jam olim debitum adijt, Gerochum successorem nactus; proximo, Atto Frisingensem Mitram ab Aribone positam induit, cujus ingenij monumenta Res ab Emmerammo & Corbiniano Episcopis gestæ extant; vir fuit recti rigidissimus custos, nullius vnquam consilij, nisi publicè profuturi autor; ambitioni Principum constanter obnisus, eóque suspectior, tanquam Franco emancipatus; at ille invicto adversus gratiam & odium animo, lacerari nomen suum, vexari etiam Ecclesiæ opes, quàm accusari fidem suam maluit. Proximo anno Hildegardis Caroli vxor vivere desijt, nobilissimo Suevorum sanguine nata, cuius matrem BOICAM ex Andecensium Comitum stirpe, Regardam recentiores quidā Scriptores nominant. Extant Alberti IV. BOIORVM Principis literæ, anno MCDLXXXII. scriptæ, quibus tutelam Campidonensis Cœnobij ab Hildegarde structi vltro oblatam recipere se testatur; vbi tanquam indubitatum sumitur, Hildegar-

AN. CH. DCCLXXXII. ARIBONIS EPISC. INVICTVS ANIMVS.

AN. CH. DCCLXXXIII.

Munster l. 3. Hund in Geneal. Brusch. de Monast.

degardem BOIORVM ſanguini innexam fuiſſe. Eo ipſo anno, Divo Emmeramno poſitam Reginoburgi nobilem Ædem Simpertus dedicavit, idémque proximo è vivis abijt: duplicavit mœſtitiam etiam Virgilij obitus, ſanctiſsimi viri, Salisburgenſis Antiſtitis, quem vnum elugere BOICA nunquā potuiſſet, ſi cum illo ejus in humanū genus beneficia expiraſſent. At enim illa immortalia fuerunt; nunquam Virgilius etiam ex tumulo de miſeris deſijt bene mereri, ad quem velut ad aram ſalutis concurſum eſt, donec vulgatâ beneficentiæ famâ cæleſtes illi honores decreti, quod ſuo loco exequemur. Bertrico, qui ſucceſſit, vita non longior anno fuit; Eum Arno excepit, maximæ vir Famæ, & ſæpius nominandus. Interim Thaſſilo ad ingenium redierat, domeſtico flabello malè ſopitos ignes reſuſcitante: neq; enim dubitandum exiſtimo, initium omnia turbandi iterum à Luitpurga ortum; ea virum muliebribus inſtinctum furijs, ad deſtinata fatis præcipitia agebat; reſumpta igitur vana ſine viribus odia, & claſſicum cantante fœminâ, bellum reparatū, cuius tamen Thaſſilo-

AN. CH. DCCLXXXIV.

Vitæ Scriptor. Chron. Magn. presb. Staindel in Chron.

D. VIRGILIVS MORITVR.

ARNO TERTIVS À VIRGILIO EPISCOP. SALISBVRG.

THASSILO ARMA RESUMIT. silonem ipsum mox vel piguit, vel puduit; sive enim lustranti copias, viresque suas contendenti cum Caroli exercitu domitore terrarum, inique comparata apparuit certatio, sive citius, quam vellet, seque ad tantam rem paratum crederet, erupisse consilia sua animadvertit, PONIT. leoninæ, quod dicitur, vulpinam assuit, & Legatione parum bona fide in Italiam missa, Pontifici, &, si posset, Carolo fucum facere, persuaderéque instituit, nihil LEGATOS AD PONTIF. MITTIT. esse sibi pace potius, nihil fœderibus sanctius, nihil amicitia Caroli optatius, si modo illam, nullo suo vitio, labatem, auctoritate sua Pontifex optimus conciliator stabiliret, æternámque redderet. Legati *Regino Annal. Franc. Adelmi. Arenpeck. Steindel.* Arno Episcopus, & Henricus Manseensis Abbas fuere. Adrianus Pontifex eo nuncio exhilaratus, Carolum adoritur, commodum Romæ tunc voti exolvendi causa commorantem; quamquam apud AN. CH. DCC LXXXVII. illum longa oratione opus non fuit: ad primam pacis mentionem palam protestatus est, mortalium nulli in illa colenda se concessurum; certam se pacem non modo incertis victorijs, sed dubia etiam indubitatis triumphis antetulisse; minus stu-

ſtudioſè Thaſſilonem caviſſe, ne vinceretur, quàm ipſe fugerit, ne vinceret: eam in rem oratores ſe miſiſſe priorē, pacem ſuaſiſſe, & ægre exoraſſe, magis hoſti vtilem, imò neceſſariam, quàm honeſtam ſibi; præoptaſſe ſe timidum, quàm nimis fortem videri: inter hæc Thaſſiloni ex modeſtia ſua ferociam creviſſe; & quia illum debellare ſuperſederit, quoties jam auſum rebellare; ni mirum poſt Vaifarū, & Aquitanos, poſt Deſiderium & Langobardos, poſt Saxones & Widekindum ſubjugatos, vires Thaſſilonis & BOIORVM Francis formidini eſſe? malle ſe tamen hanc Francicæ gloriæ notam inuſtam pati, quàm triſti etiam victoribus bello Thaſſiloni oſtendere, quo judicio, quáve fiducia Carolum laceſſierit; quòd ſi ſapere niſi ictus nolit, & invitos in arma Francos trudat, ſenſurum profectò, haud paulò maioris negotij eſſe, illorum gladios excipere, quàm fœdera rumpere; quibus ab ipſo proculcatis, nulla ſe religione, ſed ne verecundiâ quidē Thaſſiloni obſtrictum, quò minùs rebus ſuis conſulat. Interim in vtrumque paratum, ex ſummi Pontificis ſinu & arbitrio pacem,

vel

vel bellum ſumpturum. Pontifex collaudatâ Caroli moderatione, pacis conditiones dîcere parabat inter præſentes: Hîc verò Legati neque voce, neque animo ſibi ſatis conſtare, diverticula quærere, ambages nectere, palàm profeſſi, non id ſui juris eſſe, ſponſionem injuſſu Principis ſui vti facerent, qua ille teneretur. Eo reſponſo & Legationis vanitas aperta, & Thaſſilonis fallaciæ nudatæ juſtam Pontifici ſententiam expreſſerunt, qua Thaſſilonem eiúſque aſſeclas Diris devovit; Carolum & Francos, tot & tam inſignitas injurias, legitimis auſpicijs, puro pióque bello perſecuturos, pronunciavit. Thaſſilonem vnum vnicúmque facem patriæ ſubdidiſſe; quæcunque bellum fortuna ſequatur, apud poſteritatē, facti ſui infamiâ conflagraturum. Ita Legati dimiſſi; quos Carolus ſubſecutus, Vormatiæ fraudulētæ Legationis acta in Concilio recitat; cuius indignitate cùm omnes moverentur, bellúmque depoſcerent; Legatos tamen, vel ex ſupervacuo, in BOICAM deſtinat, qui Thaſſilonem hoc vltimùm moneant, conſideret etiam atque etiam, irato Cælo, protrita Juris-

LEGATIONIS FVCVS DEPREHENDITVR.

THASSILO DIRIS DEVOTVS.

Jurisjurandi religione, devoto diris capite, quid ſperare, quid metuere ipſum æquius ſit. Humaniſſima Legatio nil niſi ferocia reſponſa domum retulit, etiam ignavis bilem motura, quibus tandem Caroli expugnata patientia eſt. Decretum ergo bellum, viſúmque totis Franciæ viribus Thaſſilonem eſſe obruendũ. Tripartito agmine in BOICAM itum. Carolus in vaſtis Lycatium cãpis ad Auguſtæ Vindelicæ ſuburbia caſtra poſuit; Thuringi, Saxones, quíque Franci orientem reſpiciunt, Pferingæ ad Danubij ripam ſubſtitere: Pipinus Caroli filius à meridie imminens copiâs Italicas Bauzano admovit. Ad tanti apparatus famam Thaſſilonis tumidæ ſpes, & imbellis furor concidêre; cùm ſimul in frontem, & latera pugnandum videret; tres pro vno ſe hoſtes accepiſſe, cùm ne vni quidem par eſſet. Ibi demum ſerò animadvertit, bellum incipere etiam ignavo licere; ſed non niſi à fortibus geri, & ne finiri quidem, niſi cùm victor velit. Damnatis igitur maleſanis conſilijs, vires Caroli experiri ne auſus quidem, Clementiæ illius vltimas admovere machinas ſtatuit,

CAROLUS IN THASSILONEM MOVET.

THASSILO BELLUM DEPRECATUR.

tuit,

tuit, Inermis, & ſupplicis habitu in caſtra venit, veniam pervicaciæ ſuæ oravit, inſaniſſe ſe faſſus, neque illuſtrius documentum dementiæ ſuæ extare potuiſſe, quàm faſtiditam à ſe Francorum amicitiam, quorum vim nemo vnquam tulerit: inter blanditias fortunæ, mentem ſe primùm, deinde etiam oculos amiſiſſe; eò nec alienas vires æſtimare, nec perſpicere ſuas quiviſſe, erroréque illo in alienam, ſuámque injuriam abuſum: habere ſaltem has calamitati ſuæ gratias, quòd illius magiſterio ſeipſum noſſe cœperit, & vltima exempla meritus, triſtia omnia ſibi; quidquid mitius eveniat, didicerit Carolo imputandum: poſſe tamen ſe, quantumvis afflictis rebus ſuis, ejus famæ prodeſſe; ſi, cùm invicti nomen ex reliquis hoſtibus tulerit, titulum clementiæ à ſe petat, cujus exercendæ nobilior adhuc occaſio nulla fuerit, cùm illi impendatur, qui ſe agnoſcat nullam meruiſſe. Carolum & oratio viri, & priſtina fortuna collata præſenti, & reſpectus cognati ſanguinis, ſupérque omnia innata humanitas emollijt, ne quid in eum gravius conſuleret, ratus & vincendo, & parcen-

do victis, Imperium æqualiter augeri: sacramentum tantùm eadem cęremoniâ, ijsdémque Divis testibus, quos tam infestos senserat fœdera violanti, renovare jussit; obsides ex familiaribus duodecim, quóq; vno continendum in officio Thassilonem putabat, etiam Theodonem filium postulavit; facta omnia obedienter. Carolus innoxiâ & incruentâ victoriâ haud paulò, quàm prioribus lætior, exercitum è BOICA deportavit; quæ tanto perfuncta periculo, respirare velut à funere visa est: sed lætitia diuturna non fuit; proximo mox anno, ijsdem malis conflictata, minimo minùs ab vltimo exitio abfuit. Nam Luitpurga postquam eò recidisse consilia sua, vanísque apparatibus id duntaxat factum lucri vidit, vt nova marito clientelæ, id est, Regiæ servitutis confessio exprimeretur; sordidato illi, ad reorum artes confugiendum, misericordiam, penè lacrymis, è Caroli genibus, exsculpendam fuisse; filium è sinu suo avulsum; illâ miserabili impensâ precarium à Carolo spiritum orbis parentibus redemptum; animi impotens, & amens dolore, totam questibus Regiam implevit;

ANN. DCC. LXXXVIII. LUITPURGA NOVUM BELLUM EXCITAT.

malè natam, & peius nuptam ſe inclamans; ab infelici patre imbelli elocatam viro, eâ tantùm gratiâ, vt in calamitates ſuas fœcunda, Apro & Carceri liberos gigneret: vnum ad hæc probra maritum non expergiſci; & quia vivere illi per Carolum liceat, nec orbitatis mala perſentiſcere, verè nec Imperio, nec Parentis nomine dignum. His vocibus cùm Thaſſilonis animum identidem incantaret, turpiter obſequẽtem ad nefarium conſiliũ, nobiliſſimæ tãdem Gentis ruinâ plexum, impulit: domeſticis auxilijs diffiſus, Hunnos natã in BOICÆ perniciem Gentẽ, infami ſibi fœdere jũctos, obijcere Francis ſtatuit; monitus à fido ex amicis, Theodonem filium reſpiceret; ea cõſilia per illius jugulum itura. vocem indignam homine, nedum patre reddidit, Tanti tu, inquit, vnum caput putas, etiam filij? equidem ſi victima quæritur, patiar ex Theodonibus hecatombem fieri, vt vel ſic litem, & Francos vlciſcar. Cætera illius dicta factáque nihilo mitiora exulceratiſſimum animum & vltima auſurum arguebant; neque ea Carolo clàm fuere, qui furori occurrendum in tempore ratus

HVNNORVM AVXILIA THASSILO EVOCAT.

tus, concilium ſubditarum Gentium Ingelheimium indixit: Franci, Boii, Langobardi, Saxones frequentes adfuere; evocatus etiam Thaſſilo, cùm ſubterfugere judicium non poſſet, deſperato cauſæ ſuæ patrocinio, velut in fatalem arenam deſcendit. Nullius ibi neque vultum ferre, neque liberam diluere vocem potuit: BOIORVM potiſſimùm teſtimonijs confoſſus eſt, ſalvo Principe illo, ſalvam eſſe poſſe Rempub. negantium: nec patriæ, neque filij affectu moveri; neque ſi illa vnam cervicem, aut filius centum capita habeat, ab vllius jugulo gladium averſurum; per civium ſuorum cadavera, per filiorum ſanguinem, ad Francorum vltionem properaturum. Alere ipſum Circen domi, quæ bonam illi mentem, omnémque humanitatis ſenſum, velut inſaniæ poculo propinato, eripuerit: Nunc, cùm ambo ad exitium properent, id duntaxat agere, quomodo quàm ſplendidiſſimè pereant; id arbitrari conſecuturos ſe, ſi vnà ſecum ruentem patriam videant, nullo Civium, aut omnino hominũ ſuperſtite: ad hanc miſerabilẽ ſui funeris pompam exercitum car-

THASSILO CAVSAM DICIT, BOIIS ACCVSANTIBVS.

nificum, ex Hunnis, ſtipendio conductũ; illis belluis propinatum eſſe ſanguinem ſuum; neque enim aliam eſſe ſub Sole Gentem, quæ illum avidiùs ſitiat. Nova deinceps crimina veteribus cumulata; illud præſertim militaris perfidiæ nondum obliteratum, quòd Pipini olim exercitum turpis transfuga in ipſo belli ardore, deſeruiſſet (quod Franci vernacula voce Heriſchliz appellant, quaſi ſciſſionem exercitus dicas) eius, etſi cætera abeſſent, pœna expendẽda capite fuerat; quæ proinde conſpirantibus ſententijs in illum lata eſt. Thaſſilo quamquam pro ſe loquendi facta poteſtas eſſet, cauſæ iniquitate oppreſſus obmutuit: genua tantùm Caroli prehenſans, ore confuſo, & ſqualido à lacrymis, vitam fortunáſque ſuas, & infelicem faſtum Clementiæ illius ſubſtravit. Spectaculi inſolentia, & mœſtum ſilentium qualicunque oratione potentius, duram miſerandi Principis cauſam, multóq; magis Caroli animum permollivere, vt qui Iudex aſſederat, tantùm patrem ſe meminiſſet: certè, quod patris proprium eſt, vitam illi iterum donvit, Et tu videris, inquit, Thaſſilo, quomodo

hoc

hoc meo beneficio in posterum sis vsurus; me si neque nunc amicum pati potes, saltem hostem ne lacesse, cuius non modò arma, sed nec patientiam quidem tam pertinacibus odijs expugnasti; incipe tandem, quia Carolum non potes, te ipsum vincere. Thassilo vbi primùm vocem recepit, Carolum obtestatus est, mortem, cuius sibi gratiam fecerit, in Monasterio sibi liceret persequi; ibi se insaniæ suæ sepulchrum quæsiturum, intérque Monachorum greges attonsũ, pro Regia, quam malè assumpserit, modestiorem coronam laturum, & voluntarijs supplicijs de seipso exactis, Carolo toties impunè læso, & fortasse etiam Deo satisfacturum. Omnia impetravit, & in Laurishaimense Cœnobium, quod in Rhenẽsi pago Cancor Comes non ita pridem erexerat, abditus, cum Theodone filio, quod vitæ reliquum fuit, inter officia pietatis exegit, quam prodigijs divinis comprobatam recentiores quidam Scriptores affirmãt, non tamẽ sine prodigijs fabularum, quas interlinunt; qualis illa est, qua vtroque orbatum lumine ignitarum pelvium objectu Thassilonem Angeli deinceps con-

VLTRO MONASTICE AMPLECTENDÆ SIBI COPIAM FIERI POSTVLAT.

IN LAVRISHAIMENSE MONAST. SECEDIT.

Ex literis Monasterij Chiemseensis, Virgin.

tubernio præquam familiariter vſum, illóque duce de nocte aras obeuntem, ab ipſomet Carolo deprehenſum ſcripſere, manifeſti vanitatis, cuius in cæcitate confingēda perſpecta impudentia etiam reliquæ narrationi caliginem offundit. Vitam in eodem monaſterio poſuiſſe, carmen epitaphium loquitur horridum, neque ad aures noſtri ſeculi factum:

Conditur hac fovea, quem pie Chriſte bea,
Thaßilo Dux primùm, poſt Rex, Monachus ſed ad imũ:
Idibus in ternis deceßerat ille Decembris.

Sepultum cum eo pariter & Theodone filio Agilolfingorum Imperium, quod indè à Theodone annis ducentis & octoginta inter Boios tenuerant; Thaſſilonis illud faſtus evertit, vetus Regum aſſecla, peſſimóque errore, velut in ſatellitium tutandis rebus aſſumptus, cùm pernicies certior quantævis potentiæ nulla ſit: neque enim cur Romæ Reges eſſe deſierint, quærendum quiſquam putat, qui vltimum ex ijs cognomentum habuiſſe Superbi intelligit. Sanè quod in Thaſſilone præterea reprehendas, nihil eſt; Religionis ſtudijs nulli Principum ſecundus, munificentia incredibili, fortitudine in bellis,

lis, quæ quidem justa suscepisset, eximia; etiam, quamdiu in ordinē redactus privatus vixit, maior privato visus, & omnino dignus Imperio, nisi imperasset. Quæ Luitpurgæ deinceps Fortuna fuerit, Scriptores veteres dicere supersederūt: & facilis jactura est; ita de Gente BOICA, Langobarda illa merita est, vt ipsius etiam nomen tenebris & alto silentio par fuerit sepeliri. Ex BOIIS pauci, qui Thassilonis perfidiam turbidis consilijs aluerant, proscripti patriâ caruerunt. Ita Carolus, sine ferro & sanguine, BOICA, sedendo parcendóque, potitus, motus omnes, qui conversiones Imperiorum ferè consequi solent, solâ clementiæ famâ prævertit; Civibus haud vanè ex tam lætis initijs augurantibus, impotenti Domino Optimum Principem, & Patriæ Patrem successisse.

INDEX CHRONOLOGICVS In primam Annalium BOICORVM Partem.

Ann. ante Christum Natum		Ann. post Vrbem Romam conditam
DC	TArquinio Prisco Romæ regnante, BOIORVM nomen in Italia primùm auditum est; eodémque tempore duæ TRANSMIGRATIONES è Gallia Celtica, primævâ BOIORVM Patriâ susceptæ: Primam BOIORVM Coloniam SIGOVESVS in Germaniam & incinctos Herciniæ silvæ saltus duxit, quibus deinceps, de BOIORVM nomine, BOIOHAEMI appellatio adhæsit. fol. 22. 23. & seq. Secunda Colonia BOIORVM in Italiam deducta vltra Padum flumen, vbi Hetruscis Vmbrisque expulsis, amplum deinde eorum imperium fuit. fol. 16. 17. & seq.	CLII.
CCCXCIV	BOII Italici cum Insubribus & Senonibus Melpum oppidum expugnant, & non procul indè insignem vicum, qui Laus Pompeja postea dictus est, condunt. fol. 30. 31.	CCCLVIII.
CCCLXXXVIII	BOII cum Socijs, BRENNO Duce, Clusiũ Hetruriæ vrbem obsident. Romam indè progressi, Romanũ exercitum ad Alliam fundũt. Vrbem ipsam primi omnium mortalium capiunt, diripiunt, incendunt. Capitolium septem mensibus obsident, & mille auri pondo pacti, nobilem victoriam & Romanæ vrbis pretium in patriam referunt. Capta est Vrbs 4. kal. Sextiles. deserta à Victoribus Idib. Feb: vt Plutarch. annotavit. 37. & seq.	CCCLXIIII.

AB HOC TEMPORE QVIA ALIQVOVSQVE INTER POLYBIVM ET LIVIVM NON CONVENIT, VTRIVSQVE CHRONOLOGIAM SEPARATIM VISVM SVBIICERE.

POLYBIANA

An. ant. Chr. Nat.		Ann. Urb. cond.
CCC LXXXVII.	Veneti in Gallorum Italicorum fines ingressi cladium illatarum magnitudine eos à Capitolij obsidione abstrahunt; eaque occasione Roma liberatur. f. 43.	CCC LXV.
	Motus Venetos intestinum bellum inter Gallos ipsosmet excipit. f. 47.	
	Eo sopito, Inalpini Populi felicibus Gallorum successibus invidentes, contra illos armantur. f. 48. & seq.	
CCCLVII.	Boii Sociíque Galli Secundam in Romanos fines expeditionem suscipiunt; & Albam vsque progressi, nemine obviam prodire auso, prædas agunt. f. 52. 53.	CCCXCV
CCCXL IV	Tertiam contra Romanos expeditionem adornant, sine successu; Panico metu, & intestinis discordijs domum retracti. f. 57.	CD VIII.
CCCXXX	Fœdus cum Romanis sanciunt. f. 58.	CCXXII.
CCC	Galli Transalpini Gallos Italicos bello petunt; eos hi in agrum Romanum divertunt; sed præda cum ex æquo dividi non posset, bellum intestinum exardescit. f. 58. 59.	CD LII.

LIVIANA

CCCLXV.	Galli in Albano Monte à Camillo cæduntur. f. 60. 61.	CCCLXXX VII.
CCCLIX	Galli ad Pontem Anienis castra locant; & cùm T. Manlius Torquatus nobilem Gallum duello occidisset, pedem trepidi indè referunt. fol. 61.	CCCXCIII
CCCLVIII	Gallos ad Portam vsque Collinam progressos Petiljus Consul Tybure assecutus insigni clade afficit. f. 63.	CCCXCIV.
CCC LVI.	Boii à C. Sulpitio Petico Dictatore circa Pedum memorabili prælio vincuntur. fol. 64. & seq.	CCC XCVI

Galli

An. ant. Chr. Nat.		*An. Urb. Cond.*
	Galli in agro Latino à M. Popilio Lenate conciduntur. f. 68.	
CCCXL VIII CCCXLVII	Iterum à L. Furio Camillo in agro Pomptino vincuntur: eóque bello M. Valerius Gallum secum congressum, Corvo suppetias ferente, obtruncat. 68. 69.	CCCCIV CDV
CCCXXX	Tumultus Gallici causâ M. Papirius Crassus Dictator dictus hosté nusquam reperit. 69.	CDXXII
	Circa hæc tempora Boii Alexandro Macedoni fœdere junguntur f. 69. & seq.	
CCXCVI.	Galli in Hetruscorum fines delati pacem ijs auro vendunt: ad Romanos impugnandos invitati nova stipendia exposcunt, quæ cùm negarentur, domum revertuntur. f. 73. 74. 75.	CDLVI
CCXCIII.	Bellum Sociale Gallorum, Hetruscorum & Samnitum, in quo Galli, quorum id secundùm Polybium Quintum; juxta Livium, Octavum (quem numerando in posterum sequemur) cum Romanis bellum est, Proprætoris Legionem internecione delent. Duos etiam Consulares Exercitus in fugam conijciunt, vt Polyb. scripsit. etsi Livius P. Decij Devotione aversum fusúmque Gallorum sociorúmque exercitum tradat. f. 75. & seq.	CDLIX
CCLXXXII.	Galli Arretium Vrbem obsident; cui cum Cæcilius Cos. auxilio venisset, à Gallis cum tredecim hominum millibus occisus est. Isque congressus Gallorum cum Romanis Nonus est. f. 82.	CDLXX
CCLXXXI.	Senonibus Italiâ ejectis, & Senâ in illorum Agrum Coloniâ deductâ, Boii ad Lacum Vadimonis cum Romanis congressi vincuntur. Id illorum bellum cum Rom. Decimum fuit. Atque hoc demum anno Sigonius existimat, Livium Drusum, aurum, quod Gallis Roma captiva appendit, in Patriam retulisse. f. 84. 85.	CDLXXI
CCXXC	Boii vndecimo cum Romanis prælio congressi	CDLXXII

An. ant. Chr. Nat.		*An. Vrb. Cond.*
	congreſſi iterúmque victi, pacem petunt & impetrant. f 85 Interim dum Boiis Italicis ſub Romanis Armis ſua qualiscunque Fortuna peragitur; Boii Germanici, qui in Herciniam ſilvam demigrarunt, nobiles etiam ipſi expeditiones tres ſuſcipiunt; in quas qui deſcripti ſunt, aucto nomine, Tolistoboii dicti: Prima Duce Cambaule in Thraciam ſuſcepta. Secunda, quæ in hæc ipſa tempora incidit, tripartita fuit: 1. In Thracas & Triballos 2. In Pannones 3. In Illyricos & Macedones: qua Ptolemæus Ceraunus Maced. Rex victus occiſúsq; eſt f. 92. 93. &c.	
CCLXXIX	Brennus Tertiam Expeditionem in Macedoniam ſuſcipit; Soſthenem Regem Maced. bello vincit, tamdiu felix, donec impius eſſe cœpit; nam Delphicum templum ſpoliare aggreſſus, quod tertio abhinc anno factum eſt, ingentes clades paſſus in gladium incubuit. fol. 92. vſque ad 108.	CDLXXIIII
CCLXXVI	Bojodurum circa hæc tempora ad Oeni & Danubij confluentes à Boiis conditum. f. 110	CDLXXVI
	Tolistoboii cum ſocijs ad viginti millia, qui à Brenni ſcelere ſeceſſerant, in Aſiam migrant. éſtque hæc Tertia Boiorum in tertiam orbis Partem famoſiſſima Transmigratio, quam totam ſibi vectigalem fecere, omnium Regum Patroni. In Bithynia locatis ſedibus & conſtitutâ Rep. Provinciæ nomen Galatiæ indidere. f. 116 & ſeq. Pro Nicomede Bithyniæ Rege, pro Zeila ejusdem filio, contra Bithynos, Heraclienſes, Mithridatem Ariobarzanis Filium bella gerunt. f. 124 & ſeq.	

Anti-

An. ant. Chr. Nat.		*An. Vrb. Cond.*
CCLXXII	Antigono Gonata & Rege Pyrrho inter se bellantibus, vtrinque Galli inter Auxilia censentur. f. 128. Pyrrho Spartam & Argos oppugnanti operam navant. f. 130. 131	CDLXXX.
CCXLIV	Circa hunc annum, cùm Seleucus Callinicus, Antiochi, qui Deus dictus est F. Syriæ Rex Berenicem Novercam suam Ptolemæi Evergetis Ægypti Regis sororem cum parvulo fratre interemisset, eáq; propter à Ptolemæo bello appetitus esset fusúsque; implorato Antiochi Hieracis Fr. auxilio, sub quo Galli militabant, à Ptolemæo inducias impetrat; sed à fratre Gallicis viribus ferociente insigni clade afficitur; qui tamen mox à Gallis, quorum opera victor evaserat, nihilo mitiora patitur. fol. 134 & seq. Attalus tandem Pergami Rex Gallorum spiritus contudit, primúsque Regum vectigal ijs negare ausus, bello illos vicit, circa annum, vti nonnulli existimant V. Cond. DXIII. Ante Christum Natum CCXXXIX. f. 138 & seq.	DVIII.
CCXXXVI.	ATES ET GALATVS BOIORVM in Italia Reges, quadragesimo quinto post pacem initam Anno, Romanis iterum bellum movent, quod Duodecimũ est cũ illa gente: & primo quidem congressu feliciter, secundo improspere pugnant. f. 152 & seq.	DXVI.
CCXXXV	BOII contra vtrumque Romanum Consulem pugnant: alterum etiam in suis castris obsident. Estque id Decimum tertium cum Romanis bellum. Eodem tempore Reges BOIORVM Transalpina auxilia adducunt. f. 154.	DXVII.
CCXXXIV.	BOII à Romanis Agrum Ariminensem repetunt; sed nihil impetrant: In suos Reges & Transalpina auxilia ferro grassãtur. 156. & seq.	DXVIII.
CCXXX.	BOII lege Agraria à C. Flaminio lata irritati novum bellum concitant, Insubribus in	DXXII.

Italia

An. ant. Chr. Nat.		*An. Vrb. Cond.*
	Italia, & Gæſatis Tranſalpinis in ejus ſocietatem adſcitis. f. 158 & ſeq.	
CCXXVIII.	Serpente famâ BOICORVM apparatuum in bellum, Romæ opidò trepidatum: impia ſacra inſtructa; octingenta armatorum millia contracta. f. 163 & ſeq.	DXXIV.
CCXXIII.	Bellum Decimum quartum BOIORVM cum Romanis erumpit. Pugnatum primò feliciter: deinde tribus Romanorum exercitibus conjunctis, Gæſatis ordines turbantibus, BOII cæduntur: Britomarus regulus captus diſcingitur. f. 164 vſque ad 174	DXXIX.
CCXXII.	BOII in fidem Populi Romani concedunt fol. 174.	DXXX.
CCXXI.	A Romanis contra Inſubres pugnatum, ſecundum Silium etiam contra BOIOS, qui GARGENVM BOIORVM Regem, eo prælio, quod Decimũ quintum eſt, cecidiſſe canit. 176 Sequenti anno Inſubribus iterum fuſis, & Gæſatorum Rege interfecto, Mediolano capto, pax BOIIS Galliſque omnibus neceſſario allubeſcere cœpit. Eodem etiam Cleomenes Spartæ Rex, ab Antigono Tutore Philippi, operâ Gallorum vincitur. f. 176 & ſeq.	DXXXI.
CCXVIII.	CAVARVS Gallorum Aſiaticorum Rex bellum inter Rhodios & Byzantinos, honorarius arbiter dirimit. Eodem anno, ab Attalo Rege Pergami Galli è Thracia in Aſiam evocati, egregiam illi operam præſtant: In Abydena deinde regione, ubi ſedes fixerant, à Rege Pruſia internecione delentur. f. 179. & ſeq.	DXXXIV.
CCXVI.	BOII Italici à Romanis deficiunt, & cum Inſubribus bellum Decimum ſextum Romanis movent; Placentiam vexant, Mutinam obſident, Triumviros contra jus gentium comprehendunt. Prætorem Romanum bis ex inſidijs magna clade afficiunt. Eodem anno MATA-	DXXXVI.

An. ant. Chr. Nat.		An. Vrbi Cond.
	LVS Bojorum Regulus, transcensis Alpibus, ad Annibalem profectus, illum in Italiam invitat. & ducem se Pœnis præbet. Annibal primo ad Ticinum prælio Bojorum maximè operâ Romanos vincit: Eâ etiam ad Trebiam vtitur. Vnde bella Boico-Romana numerantibus hoc Decimum septimum erit duplici hujus anni pugnâ felix, & tertiâ sequentis. 194. & seq.	
CCXV.	Tertiâ Annibalis ad Thrasymenum cum Romanis pugnâ DVCARIVS Bojus C. Flaminium Consulem veterem BOIORVM hostem obtruncat. f. 209.	DXXXVII.
CCXIV.	BOII Posthumium Prætorem cum viginti quinque millium exercitu Litanâ sylvâ obruunt; idque bellorum cum Romanis gestorum Decimum octavum fuit. f. 212 & seq.	DXXXVIII.
CCV.	Asdrubal Boijs gratificaturus Placentiam obsidet; sed cum ijsdem contra duos consules infeliciter pugnans occiditur. Id bellum Boijs Decimum nonum fuit. f. 217.	DXLVII.
CCIV.	BOII Placentinam & Cremonensem Colonias vexant, vt coloni maximam partem dilaberentur. f. 218.	DXLIIX.
CCIIL	Magonem Annibalis Fr. in Italiam transgressum Boij sociique commeatu juvant. f. 219	DXLIX.
CCI.	Magone superato C. Servilius Consul patrem suum, & C. Luctatium patruum, post decimum sextum Captivitatis annum, è Bojorum manibus & servitute liberat. Boij Annibalem ex Italia discedentem in Africam sequuntur. f. 221 & seq.	DLI.
CIC.	BOII Vigesimum cum Romanis congressi C Appium cum septem millibus occidunt. f. 224	DLIIL
CXCVIII.	BOII cum cæteris Gallis Amilcari Pœno se jungunt, & Vigesimum primum Romanis bellum movent: Placentiam expugnant, Cremo-	DLIV.

nam

An. ant. Chr. Nat.		An. Urb. Cond.
	nam obsident, sed tandem à L. Furio Purpureone ingenti prælio vincuntur. f. 225 & seq	
CXCVI & V.	Boii in novam spem Romá potiundi assurgunt, & ingens bellum parant, ordine Vigesimum secundum, quod altero anno, quàm apparatum erat, gestum est: in quo Boij à socijs fœdè deserti, cum Minutio consule aliquot levibus prælijs decernunt. f. 234 & seq.	DLVI & VII.
CXCIV.	Boiorum Vigesimum tertium bellum cum Romanis, duplici prælio, variâ fortuna geritur: Priore Corolamus Bojorum Rex M. Cl. Marcellum vicit. Sed L. Furius Purpureo Felsinæ Bojos imparatos nactus ad deditionem cogit; post quam cùm iterum in Romanos irruissent, ingenti cæde multantur. f. 240. & seq.	DLVIII.
CXCIII.	Vigesimo quarto bello Boij ad Litanam silvam cum Val. Flacco Cos. congressi octo hominum millia desiderant. f. 242	DLIX.
CXCII.	Boii duplex bellum cum Romanis gerunt: priore quod Vigesimum quintum fuit, Dorulacus Bojorum Regulus cum eod. Val. Flacco congressus decem millia hominum amittit: Vigesimo sexto, quod Boiorix concitavit, penè partam victoriam Boij ex manibus dimittunt. Quinq; millia Rom: Bojorum vndecim millia cadunt. f. 243 & seq.	DLX.
CXCI.	Bellum Vigesimum septimum cum Cornelio Merula gestum, lætis initijs, luctuoso exitu; quatuordecim millium hominum jactura facta. f. 248 & seq.	DLXI.
CXC & CLXXXIX.	Boios quiescentes, Flaminij Consulis crudelitas ad Vigesimum octavum bellum impellit, quod sequenti anno illis fatale fuit. nam ad viginti octo millia cæsa; tria millia & quadringenti capti. f. 253 & seq.	DLXII & DLXIII.
CLXXXVIII.	Tolisto Boii Antiocho in Asia regnanti	DLXIV.

An. ant. Chr. Nat.		*An. Urb. Cond.*
	junguntur, & infelici, unà cum illo, bello involvuntur, quod Boicæ Gentis cum Romanis Vigesimum nonum fuit. 272 usque ad 281.	
CLXXXVII.	TOLISTO BOII Trigesimo cum Romanis bello collisi in Olympo monte à Manlio Volsone vincuntur: ORTIAGONTE Gentis Rege elapso, CHIOMARA ejus uxor captiva ereptam vi pudicitiam, insigni fortitudine, vindicat. f. 282 & seq.	DLXV.
CLXXXVI.	BOII Italici Romanis armis Fortunaq; subacti ex Italia ad Tauriscos in Noricum migrãt: Estque hæc Quarta illius gentis Transmigratio. f. 265.	DLXVI.
CLXIX.	Bello Macedonico, quod cum Perseo Rege gestum est, Galli inter Eumenis Regis auxilia Rom. partes juvant, parùm feliciter: quæ illis causa deinceps fuit ipsum Eumenem bello appetendi. f. 293 & seq.	DLXXXV.
CXII.	Circa hunc annum Bojorum manus BOIORIGE duce se Cimbris Italiam petentibus jungit; cum ij aliquantó ante à Boijs Bojohæmum incolentibus rejecti pulsique fuissent, usque ad illam diem semper invicti. 310. & seq. Ita Boijs bello Cimbrico immixtis, illud ipsum Trigesimum primum eorum, quæ cum Romanis gessere, numerandum. f. 311. & seq.	DCXL.
IC.	BOIORIX ad Athesin flumen Marium Cõsulem Romanum ad singulare certamen provocat; qui cùm sui copiam non faceret, BOIORIX strenuè in acie dimicans occubuit. f. 324 & seq.	DCLIII.
LXXXVI.	Circa initia belli Mithridatici sexaginta Galatarum Principes à Mithridate morti, per summam iniquitatem, addicti sunt; ex quibus DEIOTARUS TolistoBojorum tetrarcha evasit, totóque illo bello, Romanis Ducibus, Sullæ, Murenæ, Lucullo, Pompejo, fidelem operam præstitit. f. 331. & seq.	DCLXVI.

In

Ann. ant. Chr. Nat.		*Ann. Vrb. Cond.*
LVI.	In hunc annum incidit Quinta Bojorum Transmigratio; nam pars illorum Bojohæmo egressa, Noreiâ in Norico oppugnatâ, cum Helvetijs iter in Galliã instituit. f. 348 & seq. Eam expeditionem cùm Julius Cæsar non probaret, bello illos appetijt, idque Trigesimum secundum est Bojorum cum Romanis. Bojos victos Aedui in suis finibus collocari à Cæsare petunt. f 353 & seq	DCXCVI.
L.	Boij Gergobinæ obsessi, à Julio Cæsare liberantur. Paullò pòst tamen in communi totius Galliæ motu, etiam illi pro libertate arma corripiunt, & contra Cæsarem bellum gerunt, idque Trigesimum tertium est à Boijs contra Rom. gestum, nullo successu, f. 358. & seq.	DCCII.
XLIX.	Cicero in Ciliciam venit, DEIOTARO Tolisto Bojo familiarissimè usus, illius auxilijs nobiles victorias parat f 363 & seq.	DCCIII.
XLVI.	Civili bello DEIOTARVS Pompejo auxilia mittit, Pharsalico prælio interest, Pompeij in fuga socius. f. 365. & seq.	DCCVI.
XLV.	Julius Cæsar DEIOTARVM de Pharnace victus, regium illi nomen honorémque supplici reddit; paulò pòst tamen parte provinciarum multat. f. 369. & seq.	DCCVII.
XLIII.	Insidiarum Cæsari structarum accusatus DEIOTARVS à Cicerone defenditur. Cæsare sequenti anno interfecto, amissa recuperat. f. 372. & seq.	DCCIX.
XL.	Bello Philippico DEIOTARVS Bruto auxilia mittit. biennio pòst mortuus: successores duos habuit Castorem & Amyntam, post quos circa annum ante Christum N. XXIII. Galatia in formam provinciæ redacta est. f. 377 & seq.	DCCXII.
VIII.	Circa hunc annum, Boica res prope exitium venit: nam ij, qui Noricum incolebant cum	DCCXLIV.

Rege CRITASIRO à Dacis funditus deleti. Qui in Bojohæmo per annos sexcentos habitaverant, à Marcomannis indè exacti sunt ad Nariscos. eaque Sexta est Bojorum Transmigratio. f. 385; vbi illorum per annos quingentos & amplius sepulta memoria est: nisi quod A. CH. CLXXI bello Marcomannico, in quo etiam Narisci censi sunt, illos pro patria arma tulisse necessariò convincitur. Præterea Atilæ Hunno CREINHILDEM Bojorum Reguli filiam nuptam fuisse, novitijs quorundam annalibus perscribitur. f. 390. & seq.

AN. POST CHRISTVM NATVM.

LXXI. MAricus è Boijs Gallicis divinitatis affectator in oculis Vitellij Imp. occiditur. f. 399.

DVIII. Auspicatissimus vniverso Boico Nomini annus, & felicissima Gentis in Vindeliciam & Noricum Transmigratione, quæ Septima ordine est, sacer. THEODO Agilolfingus Coloniæ deducendæ princeps autor, eo vno facto, nam reliqua interciderunt, famæ æternitatem meruit. f. 507. 512.

DXXVI. Theodoricus Rex Italiæ, quo favente & approbante Bojorum in Vindeliciam deducta Colonia est, quíque Leges Edicti nomine publicatas ijs dederat, moritur: Ab eo tempore Boij à Gothis ad Francos transiere, jura Legésque ab ijs accepere, quibus initium Theodoricus Clodovæi F. dedit, qui A. DXXXI. obijt. 523. & seq.

DXXXVIII. THEODO Princeps clarissimus moritur. Succedit VTILO. 527.

DLXV. Vtilo moritur Successor incertus: 529.

DLXVIII. Langobardi multis BOIORVM comitantibus, ex Pannonia in Italiam migrant. Langobardorum sedes Hunni occupant pessimi BOIORVM vicini. 531.

DLXXV. Evinus Langobardus Tridentinus Dux GARIBALDI BO-

Ann. Post Chr. Nat.	
	BOIORVM Principis, sive, ut à Paulo Diac. appellatur Regis filiam sibi copulat. 534.
DLXXXV.	Autharis Langobard. Rex salutatur, cui Garibaldus BOICÆ Dux alteram filiam Theodelindam despondet. 535.
DXC.	Childebertus offensus affinitatibus, quibus Garibaldus BOJUS Langobardis junctus fuerat, illum bello petit, Theodelindá jam in Italiam à Gundoaldo fratre deductâ. 538. Garibaldo Rex Francus THASSILONEM subrogat. 539.
DXCII.	Theodelinda viduata marito, Langobardis volentibus Maritum sibi, & genti Regem adsciscit Agilulphum Taurinatem. 542. Eundem cum Gente vniversa ab Arrio ad Catholicam Pietatem traducit. 543.
DXCV.	Evinus Garibaldi Gener moritur. Thassilo Slavos bello vincit. 548.
DXCVI.	Childebertus Francus, qui Legibus BOICIS secundus manum admovit, moritur. 548.
DC.	Duo millia BOIORVM in Slavos ducta, Hunnorum improviso adventu, obruuntur. 550.
DCVII.	Circa hunc annum Thassiloni mortuo GARIBALDVS II. succedit. Vxorem habuit Gisulphi ForoJuliensis Ducis filiam memorabilis castimoniæ. 556. Garibaldus armis contra Slavos motis primùm victus est: sed resumptis animis viribúsque hosti Victoriam & Prædam excussit. 558
DCXIV.	Hec aut sequente anno Gundoaldus Theodelindæ frater Dux Astensis occisus est. 559.
DCXVI.	D. RVPERTVS Fidem Christianam in BOJARIAM importat, THEODONE III apud BOJES principatum gerente. 573. & seq. Quo item tempore D. Eustasius BOICAM excoluit. 586. Theodoni THEODEBERTVS, incertum quó anno, successit 581.
DCXXVIII	D. Rupertus ad Cælum abit. Vitale in Salisburgensi Cathedra, successore designato. 585.
DCXXVI	Adalualdo Theodelindæ Filio delirij & Tyrannidis causá exauthorato Arioaldus in Langob. Regno succedit: cujus

Ann. Post Chr. Nat.	
	conjux Gundeberga Theodelindæ F. ſtupri falsò inſimulata, duelli judicio innocens probatur. 585. Pp. A ſecundo marito Rothare nihilo mitiora paſſa, Franci Regis patrocinio in integrum reſtituitur. 593.
DCXLI.	Bulgari à Dagoberto in Bojaria hybernare juſſi, ibidem illius imperio occiduntur. 591. HUGIBERTO apud Bojos imperante, à Dagoberto Boicæ leges abſolutæ vulgatæque ſunt. 592.
DCXLVI.	S. Vitalis Salisburg. Epiſc. miraculis clarus moritur. 596.
DCXLIX.	THEODONE Quarto apud Bojos imperante, D. Emmerammus in Bojariam venit. 597.
DCLI.	Aripertus Gundoaldi Filius, Garibaldi Bojariæ Principis nepos, Langobard. Rex ſalutatur. 610.
DCLII.	D. Emmerammus Helffendorfij crudeli laniena excarnificatur. 602.
DCLX.	Patri mortuo Partharitus & Gundebertus, æquali jure, ſuccedunt. Gundebertus fratrem evertere cogitans, ſequẽti mox anno, ſolio & vita exuitur: Partharitus poſt novennalem fugam, & varia exilia, dignitatem recuperat. 610. & ſeq.
DCLXXVII.	Partharitus regnum cum Cuniberto F. communicat. Alahis Tridentinus Dux Bojos bello petit. 623.
DCLXXXVII.	Partharitus moritur: Alahis Cunibertum regno pellit: ſed paullò pòſt eodem excidit. 625.
DCXCVII.	Theodo D. Emmerammi monaſterium condit. 631. quo tempore apud Bojos DD. Marinus & Anianus claruerunt. 631. & ſeq.
DCIC.	Cunibertus moritur. Ansprandum Luitberti F. Tutorem Ragumbertus anno proximo acie fundit, regnúmque occupat. Ansprandus DCCII iterum victus in Boicam fugit. 635. & ſeq.
DCCXII.	THEODIBERTUS Boicæ Princeps Ansprandum copijs Bojorum auctum in Italiam remittit, quibus Aripertus Ragumberti Filius victus eſt. 639.
DCCXVI.	THEODO V. Boicæ Dux Romam voti cauſa proficiſcitur.

Eo

Ann. Post Chr. Nat.	Eo imperante, Corbinianus novum Boicæ Sidus illuxit. Idē Boicam in quatuor partes divisam æquali cum tribus filij imperio rexit. Patre mortuo, Corbinianus ad GRIMOALDUM F. Frisingæ divertit. 643. & seq.
DCCXXII. & DCCXXIII.	Carolus Martellus Boicam bello domat. Pilitrudem Grimoaldi uxorem D. Corbiniano infestam abducit. 655.
DCCXXX.	D. Corbinianus ab HUGIBERTO Principe revocatus moritur; quo tempore Ratharius Reginoburgi Episcopus fuit. 656.
DCCXXXII. vel III.	Bonifacius secundò in Boicam venit; Erenvvolfum primum in hac Gente hæreticū diris devovet. Sub idem tempus, etiam VVunibaldus & VVillibaldus & Sebaldus, VValburga & Chunitruda in Boicam migrarunt. 659.
DCCXXXVIII.	Bonifacius comitantibus Boijs Romam redit. 661.
DCCXXXIX.	Hugiberto VTILO succedit; Bonifacius Boicam in IV diœceses tribuit & Episcopos illis imponit. 663.
DCCXLI.	Carolo Martello in Francia mortuo, Gripho F. Suanhilde Bojâ natus, in cernenda hæreditate præteritus tumultuatur: Hiltrudem Caroli Filiam Vtilo sibi despondet; ex quo matrimonio, altero anno, Thassilo natus. 664. & seq.
DCCXLIII.	Vtilo à Francis bello appetitus ad Lycum, exercitum amisit. Regis nomine, quod assumpserat, proximo anno, posito, cum Pipino & Carolomanno in gratiam redijt. 667.
DCCXLVI.	B. Sturmio Bojus, Carolomanni auspicijs, Fuldense cœnobium molitur: eodem tempore VVillibaldus Vtilone favente Aichstetensem Episcopatum erigit: & Virgilius cum Sidonio Boicam excolit. 670. 672.
DCCXLVIII.	Gripho Bojariam invadit: quam sequenti anno Pipinus illi iterum extorsit. THASSILONEMQVE Ducem appellavit. 678. & seq.
DCCLIII.	DD. Erhardus & Albertus in Bojaria inclarescunt. 691.
DCCLV.	D. Bonifacium Mart. B. Sturmio Fuldæ sepelit. 692.
DCCLVI.	Thassilo Pipinum ad Ticinensem obsidionem sequitur. Sequenti anno, Compendij se suáque in Pipini clientelam dedit: fidémque sexennio coluit. 693 & seq.

Ann. Post Chr. Nat.	
DCCLXIII.	Thassilo Pipini exercitum deserit, & obsequium palàm exuit, eáque propter sequenti anno VVormatiæ in illum bellum decretum. *695. 696.*
DCCLXVII.	D. Virgilius Salisburg. Episcopus D. Ruperti templum molitur. Quo tempore Carantani Bojorum auxilio Hunnos vicere, eorundémque consilio Francorum amicitiam & Christiana sacra amplexi sunt, Virgilij potissimùm operâ. *696.* seq.
DCCLXX.	Circa hunc annum Carolus M. Pipini F. Thassilonem, legato Sturmione Bojo misso, ad renovandum fœdus invitat. 730. seq.
DCCXXXII.	Thassiloni Theodo filius nascitur. Carantanos bello domat. Comitia Dingolvingæ celebrat, 710. seq.
DCCLXXVI.	Saxonibus devictis B. Sturmio Christi legé explicat. 712
DCCLXXVIII.	Thassilo, Manibus Filij Guntheri ab apro occisi placandis, ad Chremsam nobile monasterium condit. Eodem imperante plura per Boicam passim surrexere. 715. seq.
DCCLXXX.	Thassilo nuper instauratum fœdus rumpit; quod conciliatore summo Pontif. sequenti anno iterum coalescit. Tres proximi summis Religionis antistitibus pluribus per Boicam fatales fuere. 721.
DCCLXXXVII	Thassilo legatos Romam mittit, per speciem fœderis integrandi; fraude compertâ Diris devotus, & tripartito exercitu appetitus, vltimum exitium supplicabundus à se & patria avertit. 724. seq.
DCCLXXXVIII	Thassilo ad ingenium redit. Hunnorum auxilia stipendio in novum bellum conducit; sed Caroli celeritate præventus, in Ingelheimensibus comitijs exauthoratus, in Monasterium cum Theodone filio detruditur. In illo Agilolfingorum sanguis extinctus est. Boica deinceps Carolo M. paruit.

NB.

Ob posteriores numeros quatuor pagellarum, Folij O o, sequenti Folio P p. vitiosè repetitos, in vtroque Indice numeris ijs nota Folij adiecta est.

INDEX

INDEX RERVM

MEMORABILIVM

PRIMA PARTE ANNALIVM BOICORVM CONTENTARVM.

A

Aria-

exer-

maxi-

Cuni-
ne

EXEMPLA

ILLVSTRIA.

Hu-

Hu- *naid.*

Ccc 2

EMENDANDA.

Pag. 35. in Marg. POENA. l. PVGNA. p. 79. Marg. EXPEDIDIONIS. l. EXPEDITIONIS. p. 92. & alibi. Ptolomæus. l. Ptolemæus. ibid. in Marg. 471. l. 472. p. 181. coinurasse. l. conjurasse. p. 229. v. 2. animadverit. l. animadvertit. p. 282. In Marg. l. CLXXXVII. A. V. C. 565. p. 283. v. 10. à fin. præsertim regiæ adde, Beneficentia. p. 258. Naun. l. Nam. ibid. Carthagne. l. Carthagine. p. 293. in Marg. 583. l. 585. p. 298. In Marg. lege. CLXIV. V. C. 588. p. 358. v. 18. Quarto l. Sexto. p. 540. v. 2. suscipio. l. suspicio. p. 73[illegible]. v. penult. donvit. l. donavit.

MONACHII.

SVMPTV ET FORMIS HÆREDVM IOANNIS HERSTROY ET CORNELII LEYSSERII.

Anno M. DC. XXVI.